

Digitized by Google

71
11 C

VII. 6. nu.
H. 9.



X.I.

Sal Seaf 1-6-6

13-22.f.9

LEGES
PRVDENTIÆ EPISCOPALIS
Ad
OPTIMVM ECCLESIÆ REGIMEN
INDICTÆ
A IOSEPHO MARIA MARAVIGLIA
EPISCOPO NOVARIENSI, &c.
Atque
BEATISSIMO PATRI
INNOCENTIO XI.
PONT. OPT. MAX.
DICATÆ.



AVGVSTÆ TAVRINORVM, M.DC.LXXVIII.

Typis Bartholomæi Zappatæ. *Superiorum permiſſu.*

Beatiſsime Pater.

BIBL. NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

REDEVNT ad fontem, vnde prodiere Epiſcopalis Prudentiæ Leges; enimuerò fluenta quæcumque, tamquam ad fontem, reuertuntur ad Mare. Sic benè reſpondent vltima primis; & quod ex te vno rutilauit olim in hac Sede Nouarienſi, ad te vnum regreditur ſupremâ nunc in Sede locatum. Ex his Athenis, quæ tibi fuere primæ, optimi regiminis Canones in Latium tranſlati, te Dracone, & Solone longè meliorem deprędicant Legumlatorem; nec non Romanum Capitolium, vnde tricipiti diademate redimitus totum affulges in Orbem, per te vnum, nunc trinum accinitur Sapientiæ, Prudentiæ, & Sanctitatis Athenęum: Ideò par fuit, vt eiuſmodi Leges, qualeſcumque ſint, tuo inſcriberentur nomine, reſque redderetur tibi, quæ à te accepta eſt, atque huiuſce operis impendium eſſet tuæ inclytæ famæ compendium tametſi poſitus in ſummo rerum vertice, omnium virtutum nitore circumfuſus, vmbras quæras, affectes latibula, quibus celeris ad gloriam, ex te, vel inuito, iam vndiquè apricantem. Ea præ cæteris tuæ Prudentiæ, ſeu mauis Munificen-

tiæ Lex eſt, & laus ſupra miraculum, quod vnâ & Principes exteros opulentiſſimos, & pauperes accolas miſerrimos facis tua largitate beatos,& æquè labentes Regnorum, Prouinciarumque fortunas inſtauras, tuæ etiam Vrbis penè ruentes reparans Gazas; cum tamen à Spiritualibus, & Diuinis vigilem numquam auuertas obtutum, Seduli Paſtoris vbique munus exercens, vbique infatigato labore, & cura multiplici omnia promouens in ſummum, nec ſumma humilitate deſerens ima. Sic moderatione ſublimior tua celſa Maieſtas, velut ſuppreſſa velo, & extra Italiæ fines, & vltra Regionum ſpatia, ac diuortia terrarum erumpit clariore luce; ad cuius intuitum, dum mei calami volatus illuſtrandus attollitur, etiam ad Pedes prouolutus venerator accedit tuis gratijs cumulandus. Vale Pater Beatiſſime, Vale Princeps adorande, Vale ad perennitatem. Sic precatur

Humillimus, & Obſequentiſſimus Seruus

Ioſeph Maria Epiſcopus Nouarienſis.

LECTORI

LECTORI.

MEntitur in hoc Opere (Lector beneuole) philoſophica veritas, eo nimirum concluſa dogmate, quod nemo det, quod non habet. Dat Leges Epiſcopalis Prudentiæ Epiſcopus, qui tantâ virtute omninò eſt deſtitutus; dat tamen, vt ipſe primus accipiat, antequam rapiant alieni; atque vt omnibus innoteſcat, longè facilius eſſe Leges alijs indicere, quàm ſibi præſcribere. Exhibentur hic ſtricto compendio, vt moris eſt in ferendis legibus, ferè vniuerſa, quæ aſſolent Epiſcopis vſuvenire in ſuis regendis Eccleſijs, ne quid optimo deſit earum regimini; Sacriſque Canonibus, & Concilijs firmantur doctrinæ, ne legentes illudantur errore; eadem lege ſeruata etiam in Legibus Prudentiæ Pontificiæ, & in alijs variæ Prudentiæ, & variæ Doctrinæ Legibus à me iam typis mandatis. Si vita ſuperſtes erit alias tibi polliceor Leges in materia Canonica, & Theologica indictandas. Editas interim, & edictatas humaniter excipe, & vale.

IMPRIMATVR.

Frater Ioſeph Maria Vicecomes Inquiſitor Nouariæ.

Legi, & nihil reperi non conſonum Fidei, Sacris Canonibus, & Sacræ Theologiæ:

Alexander Scottus Societatis Ieſu.

Attenta præfata atteſtatione Imprimatur, &c.

Fr. Michael Ludouicus de Theuenardis Inquiſitor Generalis Taurini, &c.

Hò letto queſto Libro di commiſſione dell'Eccellentiſſimo Sig. Gran Cancelliere, e non hò trouato coſa, che ſia contro il ſeruitio di S. A. R.

Aleſſandro Scotto della Compagnia di Gieſù.

Permittitur imprimi.

BVSCHETTVS.

LINEA-

LINEAMENTA

Prudentiæ Epiſcopalis, quæ præmittuntur ad Leges.

LINEAMENTVM PRIMVM.

I. In aſſumendo Epiſcopatu. pag. 1
II. In ſubeundo Paſtoris nomine. 2
III. In exercenda cura paſtorali. 3
IV. In ſollicitudine rerũ Diuinarum. 4
V. In ſollicitudine rerum Eccleſiaſticarum. 5
VI. In benè formandis Clericorum moribus. 6
VII. In corrigẽdis vitijs Clericorum. 7
VIII. In adaptanda delictis, & delinquentibus correctione. 8
IX. In conferendis Beneficijs. 9
X. In cauendis extremis. 10
XI. In abijciendis nimijs occupationibus. 11
XII. In impendenda orationi opera. 12
XIII. In quærẽda peccatorum conuerſione. 13
XIV. In exercendo contemplationis ſtudio. 14
XV. In obeundo Prædicat. munere. 15
XVI. In ſuſcipienda Eccleſiarum, Clericorum, & Populorũ Viſitatione. 16
XVII. In contemnendo faſtu. ib.
XVIII. In temperando luxu. 18
XIX. In grauitate, & affabilitate ſeruanda. pag. ib.
XX. In agendo, & loquendo. 19
XXI. In ſuſtinendis aduerſis. 20
XXII. In eludendis inſidijs. 21
XXIII. In puſillanimitate repellẽda. 22
XXIV. In ſcrupul. cõſciẽt. cohibẽdis. 23
XXV. In exercendis Iuditijs. 24
XXVI. In adminiſtranda Iuſtitia. 25
XXVII. In leuandis Pauperũ miſerijs. 26
XXVIII. In ipſis Eleemoſynis erogandis. 27
XXIX. In ſeruanda ſui ſtatus dignitate, & ſimul animi moderatione. 28
XXX. In captandis honoribus, & obſequijs. 29
XXXI. In excolenda proprij ſtatus perfectione. ibid.
XXXII. In comparanda vitæ Sanctitate. 30
XXXIII. In reliquis adimplendis, quæ ad officium Paſtorale ſpectant. 31

INDEX

INDEX
Legum Prudentiæ Epiſcopalis.

LEX I.
PRima lumina Prudentiæ Epiſcopalis à lumine intellectus deducenda. pag. 37
LEX II.
Primum lumen Prudentiæ Epiſcopalis à lumine veræ ſapientiæ accerſendum. 38
LEX III.
In Epiſcopatu gerendo à ſumma mentis integritate capienda conſilia. 40
LEX IV.
Studio rerum diuinarum ab Epiſcopis iugis opera impendenda. ibid.
LEX V.
Ab Epiſcopis Diuina ſemper terrenis præferenda. 41
LEX VI.
Epiſcopalis dignitas, maieſtas, ac poteſtas ab Epiſcopis ſummopere æſtimanda. ibid.
LEX VII.
Propriæ Eccleſiæ ſplendor ab Epiſcopis ſuſtinendus, & pro viribus extendendus. 42
LEX VIII.
A Prudentia Epiſcopali maieſtas dignitati conſocianda. 43
LEX IX.
Potior Prudentiæ Epiſcopalis praxis in humilitate locanda. ibid.
LEX X.
Illuſtrior Prudentiæ Epiſcopalis opera omnigenæ virtuti nauanda. 44
LEX XI.
Munera Prudentiæ Epiſcopalis diſcreta animi attentione ſēper implenda. ibid.
LEX XII.
Exemplo potius, & vitæ ſanctitate, quam verbis ab Epiſcopis Populi ad ſalutem promouendi. pag. 45
LEX XIII.
Paſtoralis ſollicitudo Prudentiæ Epiſcopali ab Epiſcopis adnectenda. 46
LEX XIV.
In rebus Eccleſiæ aduerſantibus infractum animi robur à Prudentia Epiſcopali proferendum. ibid.
LEX XV.
Prudentiæ Epiſcopali in preſſuris adiungenda animi conſtantia. 47
LEX XVI.
Nihil à Prudentia Epiſcopali metuendum, vbi exercendum eſt Eccleſiæ patrocinium. 48
LEX XVII.
Prudentiæ Epiſcopali iniungenda ab Epiſcopis vigilantia ſolers. 49
LEX XVIII.
A Prudentia Epiſcopali non diſſocianda in Epiſcopis loquendi cautela. 50
LEX XIX.
Nihil agendum à Prudentia Epiſcopali, quod ſit diſſonum à recta ratione, & conſcientia. 51
LEX XX.
Ea tantum à Prudentia Epiſcopali peragenda, quæ propria tanti muneris ſunt. 52
LEX XXI.
Prudentiæ Epiſcopalis dictamina è proprij ſtatus conſideratione ab Epiſcopis ſumenda. ibid.

LEX

LEX XXII.

Inſtituendum ab Epiſcopis regimen in ſuis Eccleſijs ad normam Eccleſiaſticæ Sanctitatis. 53

LEX XXIII.

Præficiendi Eccleſijs animarum Rectores, qui ſint omni exceptione maiores. 54

LEX XXIV.

Ad honores, ac dignitates ij tantùm aſſumendi, qui ſint doctrina, & vitæ probitate præſtantes. ibid.

LEX XXV.

CuriaEpiſcopalis ex optimis viris conſtituenda. 55

LEX XXVI.

Seligendi ab Epiſcopis cauſarum Iudices incorrupti. 56

LEX XXVII.

Ab Epiſcopali prudentia çquè puniẽdi ſcelera, ac munerandæ virtutes. 57

LEX XXVIII.

Subditorum precibus æquè ex iuſtitiá, & pietate ab Epiſcopis indulgendum. ibid.

LEX XXIX.

Etiam in ſontes ab Epiſcopis exercenda clementia. 58

LEX XXX.

Beneficentia præſertim in miſeriores ab Epiſcopis exercenda. ibid.

LEX XXXI.

Præſtandus ab Epiſcopis ſuis populis facilis ad aures acceſſus. 59

LEX XXXII.

Pia, ac religioſa regendi forma ab Epiſcopis in omnes ſubditos pertractanda. 60

LEX XXXIII.

Omnia ab Epiſcopis in medelam animarum dirigenda. ibid.

LEX XXXIV.

Epiſcopale regimen ſummo cum animi candore gerendum 61

LEX XXXV.

Eccleſiæ Iura ab Epiſcopis toto conatu tuenda. 62

LEX XXXVI.

Potiora Prudentiæ Epiſcopalis rudimenta à Sacris Canonibus eruenda. ibid.

LEX XXXVII.

Condendæ ab Epiſcopis Leges in obſequium Fidei. 63

LEX XXXVIII.

Catholica Fides ab Epiſcopis vbique locorum propugnanda, & propaganda. 64

LEX XXXIX.

Non illicò damnandus tamquam Hæreticus ab Epiſcopis, qui profert hęreſim, aut propoſitionem hæreticalem. ibid.

LEX XL.

Neque illicò damnandi tamquam Hæretici ab Epiſcopis proferentes propoſitiones hæreticales ex ignorantia, licèt moneantur ab ipſis Epiſcopis, & Inquiſitoribus de errore prolato, & non reſipiſcant. 65

LEX XLI.

Veræ Religionis cultus ab Epiſcopis in ſuis Eccleſijs adaugendus. 66

LEX XLII.

Ea ab Epiſcopis ſancienda decreta, quibus omninò euitetur diuortium membrorum à capite. 67

LEX XLIII.

Nulla erroris, aut impietatis doctrina in ſuis finibus ab Epiſcopis admittenda. 68.

LEX XLIV.

Illæ tantùm ab Epiſcopis probandæ Leges, quæ non aduerſantur Eccleſiæ. 69

LEX XLV.

Summum obſequium S. Sedi Apoſtolicæ ab Epiſcopis deferendum. ibid.

INDEX.

LEX XLVI.
Summo capiti ſummus honor ab Epiſcopis exhibendus. pag. 70
LEX XLVII.
Admittenda ab Epiſcopis Principum Priuilegia à Summis Pontificibus conceſſa. 71
LEX XLVIII.
Permittenda ab Epiſcopis quædam Principum Iudicia aduerſus Eccleſiaſticos. ibid.
LEX XLIX.
Theologis, & Canoniſtis ab Epiſcopis par honor deferendus, & æqualia priuilegia concedenda. 75
LEX L.
Iidem quoque honores deferendi ab Epiſcopis Theologis, Canoniſtis, & quibuſcumque Doctoribus actu legentibus, & actu non legentibus. 76
LEX LI.
Vſus doctrinæ, ſiue opinionis etiam probabilis, qui ſit contra ſtylum Curiæ, Romanæ ab Epiſcopis non permittendus. ibid.
LEX LII.
Neque admittendus ab Epiſcopis vſus opinionis probabilis pro validanda aliqua diſpenſatione, cui deficiat qualitas, quæ ex ſtylo Curiæ Romanæ ſit exprimenda in ſupplicatione. 77.
LEX LIII.
In Conſultationibus amplectenda ab Epiſcopis doctrina Canonica, & Theologica pro rerum qualitate. 78
LEX LIV.
Magis amplectenda ab Epiſcopis Doctrina Typis impreſſa, quam non impreſſa. ibid.
LEX LV.
Gradus Epiſcopalis præferendus ab Epiſcopis cuicumque Religionis voto. 79
LEX LVI.
Non ſine cauſa dimittendus Epiſcopatus, neque pro Religionis ingreſſu. 80.
LEX LVII.
Epiſcopis Regularibus non eſt vita ducenda ad formam propriæ Religionis. ibid.
LEX LVIII.
Circa redditus Eccleſiæ idem dominij, vel adminiſtrationis vſus ſeruandus, tàm ab Epiſcopis regularibus, quam à ſæcularibus. 81
LEX LIX.
Ab Epiſcopis Regularibus non ſemper reſtituenda Religioni bona à Benefactoribus accepta etiam ante egreſſum à Religione. 82
LEX LX.
Epiſcopi regularis bona dimittentis Epiſcopatum in pia opera conuertenda. 83
LEX LXI.
Epiſcopis Regularibus abſtinendum ab vſu priuilegiorum ſuę Religionis. 84
LEX LXII.
Abſtinendum Epiſcopis Regularibus ab vſu priuilegiorum ſuę Religionis, etiam in concernentibus forum conſcientiæ. 85
LEX LXIII.
Non concedendæ ab Epiſcopis nouæ erectiones Monaſteriorum Regularibus ſine cauſæ cognitione. ibid.
LEX LXIV.
Pro noua erectione Monaſteriorum, non requirendus ab Epiſcopis conſenſus Regularium, ſed neque extorquendus. 86
LEX LXV.
Haud facilè permittenda Regularibus translatio Conuentuum de loco ad locum. 87
LEX LXVI.
Non quęcumque Hoſpitia Regularibus

bus permittenda. 88

LEX LXVII.

Ad publicas proceſſiones vocandi, & etiam compellendi ab Epiſcopis, tam Clerici Sæculares, quàm Regulares exempti. 89

LEX LXVIII.

In Proceſſionibus publicis controuerſiæ omnes de præcedentia ab Epiſcopis dirimendæ omni amota appellatione. ibid.

LEX LXIX.

Puniendi ab Epiſcopis Regulares delinquentes extra Clauſtra. 90

LEX LXX.

Puniendi ab Epiſcopis Regulares delinquentes extra Clauſtra non iure abſoluto, ſed limitato. 91

LEX LXXI.

Regularibus à Religione eiectis non permittenda ab Epiſcopis viuendi libertas. 92

LEX XXII.

Facta eiectione Regularium inquirenda ab Epiſcopis cauſa eiectionis. 93

LEX LXXIII.

Non cuicumque Regulari etiam præſentato, & idoneo concedenda ab Epiſcopis cõcionandi facultas. ibid.

LEX LXXIV.

Ab Epiſcopis non admittendi ad Conciones Regulares ſcandaloſi, aut exiſtentes notoriè in peccato mortali. 94.

LEX LXXV.

Non permittenda ab Epiſcopis facultas concionandi Regularibus etiam in proprijs Eccleſijs abſque præuia præſentatione, & licentia obtenta. 95

LEX LXXVI.

Exigenda ab Epiſcopis Præſentatio Regularium toties, quoties erunt concionaturi in diuerſis tamen locis, & temporibus. 96

LEX LXXVII.

Ante conciones Regularium non ſemper ab Epiſcopis exigenda Fidei profeſſio. 97

LEX LXXVIII.

A Regularibus non ſemper exigendum examen ante Conciones. 98

LEX LXXIX.

Non ſemper permittenda ab Epiſcopis facultas abſoluendi à caſibus reſeruatis Regularibus exemptis in proprijs Eccleſijs. ibid.

LEX LXXX.

Data omnimoda æquiparatione inter loca Regularium exempta, & loca extra Diœceſim; permittenda ab Epiſcopis facultas abſoluendi à reſeruatis. 99

LEX LXXXI.

Nulla ab Epiſcopis permittenda facultas Regularibus in cauſis, quæ ſpectant ad Tribunal S. Inquiſitionis. 100

LEX LXXXII.

In cauſis S. Inquiſitionis non ſemper ab Epiſcopis procedendum vnà cum Inquiſitoribus. 101

LEX LXXXIII.

Non admittendæ ab Epiſcopis tamquam validæ renunciationes factæ à Regularibus ante Profeſſionem, niſi obtenta ab ipſis licentia, vel ab ipſorum Vicarijs. ibid.

LEX LXXXIV.

Reclamationes Regularium pro irritanda profeſſione ab Epiſcopis audiendæ, ſi fiant intra quinquennium à die profeſſionis. 102

LEX LXXXV.

Compellendi ab Epiſcopis Regulares ad lectionem Sacræ Scripturæ faciendam in ſuis Monaſterijs. 103

LEX LXXXVI.

Compellendi ab Epiſcopis ad prædi-

cationem Regulares, alijque quomodocumque exempti habentes curam Animarum. 104

LEX LXXXVII.

Cenſuræ, & Interdicta etiam in Eccleſijs Regularium ab Epiſcopis promulganda. 105

LEX LXXXVIII.

Etiam exempti omnes Regulares obligandi ab Epiſcopis ad ſeruandos dies feſtos, qui ab ipſis præcipiuntur in propria Diœceſi. ibid.

LEX LXXXIX.

Cogendi Regulares ab Epiſcopis ad erigendum Baldachinum in proprijs Eccleſijs ipſis renuentibus. 106

LEX XC.

Compellendi Regulares ad erigendum Baldachinum in proprijs Eccleſijs exemptis etiam pro exteris Epiſcopis. 107

LEX XCI.

Non permittendus ab Epiſcopis Abbatibus Regularibus exceſſus circa vſum Baldachini. ibid.

LEX XCII.

Abbatibus Regularibus non permittendus ab Epiſcopis vſus Baldachini in Exequijs defunctorum. 108

LEX XCIII.

Non admittenda ab Epiſcopis Priuilegia Regularium abſoluendi à caſibus reſeruatis ipſis Epiſcopis, tamquam inſerta in corpore Iuris. ibid.

LEX XCIV.

Non permittendus ab Epiſcopis Regularibus vſus Priuilegij, ſiue facultatis abſoluendi à reſeruatis Ordinario. 109.

LEX XCV.

Nullo Priuilegij prætextu ad ſacros ordines admittendi Regulares ante ætatem, &c. 110

LEX XCVI.

Nullo Priuilegij prætextu ad ordines admittendi Regulares ſine examine. 111

LEX XCVII.

Regulares non ordinandi ab Epiſcopis cum ex induſtria ſubterfugiunt Epiſcopum Diœceſanum. ibid.

LEX XCVIII.

Non admittendi ad ordines Regulares ab Epiſcopis cum ſola diſpenſatione Interſtitiorum facta à ſuis ſuperioribus. 112

LEX XCIX.

Regulares eiecti ad ſuperiores ordines nequaquam promouendi. 113

LEX C.

Regulares eiecti ſub aliquo titulo ad ordines promouendi, ſuppoſita Apoſtolica diſpenſatione. 114

LEX CI.

Ab Epiſcopis inquirendum eſt de origine, & domicilio ordinandorum. 115.

LEX CII.

Pro Patritijs rerum publicarum non adprobandum ab Epiſcopis domicilium in quacumque Ciuitate, vel ſubiecto loco ratione ſolius dominij. 116

LEX CIII.

Illegitimi non admittendi ab Epiſcopis ad ordines, ad beneficia, ad dignitates ſine diſpenſatione. 117

LEX CIV.

Illegitimus diſpenſatus ad ordines, non intelligendus diſpenſatus etiam ad beneficia. ibid.

LEX CV.

Ad ordines non admittendi ab Epiſcopis amentes, & inſani. 118

LEX CVI.

Patientes furorem, & inſaniam non promouendi ad ordines ab Epiſcopis ſine iudicio, & conſilio peritorum. 119

LEX

LEX CVII.

Ante ſuſceptam Confirmationē nemo admittendus ad ordines, neque ad Tonſuram. ibid.

LEX CVIII.

Ante præſcriptam ætatem nemo admittendus ad Tonſuram, vel ad ordines. 120

LEX CIX.

Prima Tonſura ſuis ſubditis ab Epiſcopis vbique locorum conferenda. ib.

LEX CX.

Ad ordines minores in quolibet loco, & quolibet die non feriato Epiſcoporum ſubditi promouendi. 121

LEX CXI.

Nullo priuilegij prætextu duo ſacri ordines ab Epiſcopis conferendi eodem die. 122

LEX CXII.

Promotus ad vnum ordinem non promouendus ab Epiſcopis ad alium niſi ſeruato vnius anni interſtitio, vel facta ex cauſa diſpenſatione. 123

LEX CXIII.

Ab Epiſcopis ordinandi etiam non ſubditi, ſi ipſis præſententur ad beneficia à Patronis beneficiorum. ibid.

LEX CXIV.

Etiam abſolutè non ſubditi ordinandi ab Epiſcopis, ſi habeant triennalem familiaritatem, & conferatur beneficium. 124

LEX CXV.

Quandoque ab Epiſcopis promouendi ad ordinem Sacerdotalem etiam Clerici omninò cæci ad ſolum effectum audiendi confeſſiones. ibid.

LEX CXVI.

Nunquam ad ſolas audiendas confeſſiones Clerici cæcitate laborantes ab Epiſcopis promouendi ad Sacerdotium abſque diſpenſatione Papæ. 125.

LEX CXVII.

Ab Epiſcopis non ordinandi Clerici cogniti non idonei quoad ſcientiam, & mores. 126

LEX CXVIII.

Ab Epiſcopis non ordinandi non habentes titulum pro ordinatione. 127

LEX CXIX.

In ordinatione Sacerdotum vnienda verba cōſecrationis prolata ab Epiſcopo ordinante cum ijſdem verbis conſecrationis prolatis ab ordinatis. ibid.

LEX CXX.

Monendi ab Epiſcopo, vel ab eius Miniſtris Sacerdotes, qui ordinantur vt habeant intentionem conſecrandi. 128.

LEX CXXI.

Malè ad ordines promoti non ſemper ab Epiſcopis cenſendi incapaces beneficij. 129

LEX CXXII.

Admittendi ab Epiſcopis ad beneficia, tamquam capaces, omnes ſuſpenſi ab ordine, ſi proprius Epiſcopus, cuius pro ordinatione licentia defecit, ratam habeat ipſam ordinationem. pag. ibid.

LEX CXXIII.

Admittendæ ab Epiſcopis dimiſſoriæ pro orninandis, etiam defunctoEpiſcopo, vel alio concedente. 130

LEX CXXIV.

Nemo ab Epiſcopis alienis admittendus ad ordines ſine dimiſſorijs. ibid.

LEX CXXV.

Obtinentes dimiſſorias à proprijs Epiſcopis non ſemper ordinandi ab Epiſcopis alienis. 131

LEX CXXVI.

Vbi plura obſtant in conferendis ordinibus impedimenta, ſingula ab Epiſcopis tollenda. 132

L E X CXXVII.

Vtentes falſis dimiſſorijs pro ordinibus ſuſcipiendis puniendi ab Epiſcopis. pagina 132

L E X CXXVIII.

Ab Epiſcopis proprijs non ſemper ratificanda ordinatio facta ſuorum ſubditorum ab Epiſcopis alienis ſine dimiſſorijs. 133

L E X CXXIX.

Non diſpenſanda ab Epiſcopis Interſtitia ſine neceſſitate, vel vtilitate Eccleſiæ. 134

L E X CXXX.

Pro diſpenſandis Interſtitijs attendendus ab Epiſcopis annus Eccleſiaſticus, non annus Solaris. 135

L E X CXXXI.

Alendi, vel prouidendi ab Epiſcopis Beneficijs Clerici, qui ſine titulo ab ijſdem ordinantur. ibid.

L E X CXXXII.

Ordinati ſine titulo etiam facta exceptione pro beneficijs prouidendi ab Epiſcopis de alimentis. 136

L E X CXXXIII.

Admittendi ab Epiſcopis tamquam legitimi filij Clericorum, qui legitimantur à Principe Sæculari. 137

L E X CXXXIV.

Non admittendi ab Epiſcopis filij Clericorum licet legitimati à Principe Sæculari ad ſucceſſionem in bonis Patrimonialibus eorumdem. 138

L E X CXXXV.

Admittendi ab Epiſcopis tamquam verè legitimi filij legitimati per ſubſequens matrimonium. ibid.

L E X CXXXVI.

Etiam filij naſcentes tempore, quo adeſt impedimentum dirimens, cenſendi ab Epiſcopis verè legitimati per ſubſequens matrimonium. 139

L E X CXXXVII.

Ad beneficia non admittendi ab Epiſcopis viri illiterati. 140

L E X CXXXVIII.

In concurrentibus ad beneficia vitæ probitas ſcientiæ præferenda. ibid.

L E X CXXXIX.

Probanda ab Epiſcopis quandoque Inſtitutio beneficij abſque obligatione recitandi diuinum officium. 141

L E X CLX.

Non ſemper permittenda ab Epiſcopis Inſtitutio beneficij omninò ſoluta ab obligatione diuini officij. 142

L E X CXLI.

Non ſemper ab Epiſcopis permittenda Tonſura ab beneficium. 143

L E X CXLII.

Semper ab Epiſcopis permittendus aliquis actus ad Tonſuram, qui faciat proprium ſubditum, ſubditum alienum. 144

L E X CXLIII.

Non permittenda ab Epiſcopis retentio plurium beneficiorum ſufficientium etiamſi ſint Iuriſpatronatus. pag. 145

L E X CXLIV.

Permittenda quandoque ab Epiſcopis retentio pluriũ beneficiorum etiam ſufficientium ad ſubſtentationem. 146.

L E X CXLV.

Collatores beneficiorum exigentes aliquid à beneficiatis non ſemper damnandi ab Epiſcopis tamquam Simoniaci. ibid.

L E X CXLVI.

Permittendæ ab Epiſcopis collationes, & acceptiones beneficiorum etiam cum pacto, & onere retribuendi aliquid de fructibus beneficij locis pijs, fabricæ Sacriſtiæ, vel Pauperibus. pag. 147

L E X CXLVII.

Nulla gratitudinis obligatio ab Epiſcopis toleranda, quæ ſit in pactum deducta

deducta pro beneficialibus. ibid.

LEX CXLVIII.

Permittendæ ab *Epiſcopis* retributiones liberales ex titulo gratitudinis pro beneficialibus. 148

LEX CXLIX.

Conuentiones inter Beneficiarios, Penſionarios, & Titulares ſiſtentes in ſola ceſſione, & permutatione exactionis fructuum beneficiorum non ſemper ab *Epiſcopis* damnandæ tamquam Simoniacæ. 149

LEX CL.

Damnandæ ab *Epiſcopis* tamquam Simoniacæ omnes conuentiones, & pacta, quæ tangunt beneficia, & penſiones, quoad ipſorum Iura. 150

LEX CLI.

Non permittendæ ab *Epiſcopis* reſignationes beneficioru, vbi vel adeſt vmbra pacti ſimoniaci, etiam pro faciendis expenſis pro Penſione reſeruata. ibid.

LEX CLII.

Non intelligendæ executiones penſionum tamquam paratæ, niſi prius iuſtificentur literæ reſeruationis. 151

LEX CLIII.

Onera beneficijs adnexa abſque vlla conditione, vel limitatione impoſita, etiam in vnione beneficiorum ab *Epiſcopis* transferenda, & ſuſtentanda tamquam ſubſiſtentia. ibid.

LEX CLIV.

Adnexa beneficijs onera non ſemper transferenda ab *Epiſcopis*, quando fit beneficiorum vnio. 152

LEX CLV.

Non requirendus ab *Epiſcopis* conſenſus Capituli ad vniendā Seminario beneficia ſimplicia. 153

LEX CLVI.

Habendus tamquam ſufficiens conſenſus Capituli, etiamſi ſuperueniret vnioni beneficiorum iam factæ. 154

LEX CLVII.

Admittendus quandoque ab *Epiſcopis* etiam non Sacerdos ad præſentationem exigentem Sacerdotium. ibidem.

LEX CLVIII.

Præſentati ad beneficia inſtituendi ab *Epiſcopis* iuxta mentem fundatorum. 155

LEX CLIX.

Permittenda ab *Epiſcopis* alienatio Patrimonij per ſubrogationem beneficij æquiualentis. ibid.

LEX CLX.

In quacumque alienatione Penſionis, vel Patrimonij examinanda ab *Epiſcopis* ſufficientia beneficij ſubrogandi. 156

LEX CLXI.

Ab *Epiſcopis* nunquam permittendæ reſignationes beneficiorum, ſi reſignantes non habeant aliunde, vnde viuant. ibid.

LEX CLXII.

Neque permittendæ reſignationes beneficiorum cauſa permutationis, ſi deſit ſupra requiſita conditio. 157

LEX CLXIII.

Ab *Epiſcopis* haud facilè admittendæ diſpenſationes ſuper pluralitate beneficiorum in ſuis ſubditis. 158

LEX CLXIV.

Neque ab *Epiſcopis* ſine cauſa vnienda beneficia, ſiue in vnum congerenda. ibid.

LEX CLXV.

Non ſemper ab *Epiſcopis* conferenda beneficia ad rigorem examinis. 159

LEX CLXVI.

Nullæ beneficiorum collationes admittendæ ab *Epiſcopis*, ſi ſint factæ cum aliquo impedimento Canonico. 160

LEX CLXVII.

In examine concurrentium ad beneficia

cia non ſemper probanda ab Epiſcopis eorum ſcientia, atque ſufficientia ex maiori approbantium examinatorum numero. 161

LEX CLXVIII.

Ab Epiſcopis reuerenter ſuſcipiendæ Sacræ Rotæ deciſiones, Sacrarum Congregationum Declarationes, & Gloſſæ Interpretationes. 162

LEX CLXIX.

In conferendis beneficijs ab Epiſcopis non eſt ſola ſpectanda nobilitas. ib.

LEX CLXX.

In collatione beneficiorum neque ſola conſanguinitas ſpectanda ab Epiſcopis. 163

LEX CLXXI.

In collatione beneficiorum ſola dignitas perſonarum ex ſcientia, & probitate ab Epiſcopis ſpectanda. 164

LEX CLXXII.

Ab Epiſcopis ſoli digniores ad beneficia eligendi. 165

LEX CLXXIII.

Non illicò priuandi beneficijs ab Epiſcopis Beneficiarij non reſidentes. pag. ibid.

LEX CLXXIV.

Etiam illicò priuandi beneficijs Beneficiarij non reſidentes pro libito Epiſcoporum. 166

LEX CLXXV.

Non ſemper ab Epiſcopis priuandi beneficijs Beneficiati damnati ad exilium. ibid.

LEX CLXXVI.

Sacerdotes ſolo exilio mulctati non cenſendi ab Epiſcopis priuati celebratione Miſſæ, tamquam Irregulares. 167

LEX CLXXVII.

Canonicis excommunicatis non ſemper permittendæ ab Epiſcopis optiones Præbendarum. 168

LEX CLXXVIII.

Optio Præbendarum quandoque permittenda ab Epiſcopis etiam Canonicis excommunicatis. ibid.

LEX CLXXIX.

Sede Pontificia vacante beneficia quæcumque Papæ reſeruata ab Epiſcopis locorum conferenda. 169

LEX CLXXX.

Sede Pontificia vacante beneficia Papæ reſeruata à Capitulo ex ſola conſuetudine, vel immemorabili præſcriptione conferenda. 170

LEX CLXXXI.

Ad publica officia, vel miniſteria nunquam eligendi ab Epiſcopis Clerici omnino laborantes auditu. 171

LEX CLXXXII.

Quandoque etiam Clerici aliqua ſurditate laborantes, ſi ſint virtute præſtantes, ab *Epiſcopis* ad gradus, & officia publica Eccleſiaſtica promouendi. 172

LEX CLXXXIII.

Non ſemper permittenda ab *Epiſcopis* remiſſio diſtributionum Canonicis Choro non intereſſentibus. ibid.

LEX CLXXXIV.

Permittenda ab *Epiſcopis* remiſſio diſtributionum etiam abſentibus ex cauſis in Concilio Tridentino expreſſis. 173

LEX CLXXXV.

Cogendi Coadiutores ab *Epiſcopis* ad aſſiſtẽdum diuinis officijs, Coadiutis excommunicatis, vel alio quouis modo impeditis. 174

LEX CLXXXVI.

Non ſemper cogendi ab *Epiſcopis* obtinentes beneficia, vt intra annum ordinentur. ibid.

LEX CLXXXVII.

Non permittenda ab *Epiſcopis* perceptio diſtributionum Canonicis excommunicatis. 175

LEX

LEX CLXXXVIII.
Canonicis Coadiutis excommunicatis non propterea permittenda ab Epiſcopis perceptio diſtributionum Coadiutoribus. pag. 176
LEX CLXXXIX.
Præfectis Chori ab Epiſcopis non permittenda abſentia frequens, vel diuturna. ibid.
LEX CXC.
Ammouendi ab Epiſcopis illi Præfecti, qui non implent, vt fas eſt, & æquum Præfecturæ munus. 177
LEX CXCI.
Diſpoſitiones legatorum, quę fiunt Eccleſiæ Cathedrali, non ſemper ab Epiſcopis relinquendæ arbitrio Capituli. 178
LEX CXCII.
Ab Epiſcopis tamquam ab Exequutoribus vltimarum voluntatum cognoſcendæ omnes diſpoſitiones legatorum quomodocumque factæ. ibid.
LEX CXCIII.
Soluendæ Penſiones ab Epiſcopis tantùm ad ratam fructuum, qui percipiuntur ab Epiſcopatu. 179
LEX CXCIV.
Retinenda ab Epiſcopis congrua ſufficiens ad ſuſtentationem proprij ſtatus, & dignitatis. 180
LEX CXCV.
Non ſemper ab Epiſcopis pro congrua retinendæ, aut impediendæ ſolutiones Penſionum. 181
LEX CXCVI.
Retinendæ quandoque Penſionum ſolutiones ab Epiſcopis non ſolum pro alendis ſe ipſis, & familia ſecundum ſtatum, ſed etiam pro alendis pauperibus propriæ Diœceſis. 182
LEX CXCVII.
Fructus penſionum ab Epiſcopis non reſtituendi ad ratam pro omiſſione horarum Canonicarum, ſi præter penſiones obtineant alia beneficia? pag. 182
LEX CXCVIII
Ad fructuum reſtitutionem non ſemper cogendi ab Epiſcopis Capellani omittentes Horas Canonicas. 183
LEE CXCIX.
Non permittendæ ab Epiſcopis venditiones, redemptiones, extinctiones pēſionū pro pecunia numerata. 184
LEX CC.
Ab Epiſcopis permittenda tantum ceſſio fructuum, non ceſſio Iuris in Penſionibus. 185
LEX CCI.
Nemini permittenda ab Epiſcopis ſolutio annuæ penſionis ante expeditionem literarum Apoſtolicarū. 186
LEX CCII.
Solutio partis penſionis etiam ante expeditionem literarum Apoſtolicarum permittenda ab Epiſcopis. ibid.
LEX CCIII.
Non permittenda ab Epiſcopis ſolutio Penſionis Clerico incedenti ſine habitu Clericali, & tonſura. 187
LEX CCIV.
Non inhibenda ab Epiſcopis ſolutio Penſionis debitæ Clerico, niſi conſtet in iudicio de omiſſa delatione habitus, & tonſuræ. 188
LEX CCV.
Clericis Penſionarijs quandoque permittendus ab Epiſcopis inceſſus ſine habitu Clericali. ibid.
LEX CCVI.
Clericis Penſionarijs numquam ab Epiſcopis permittendum exercitium in officijs Secularibus Ciuilibus. 189
LEX CCVII.
Non permittenda ab Epiſcopis conſtitutio Penſionis Clerico illegitimo, vt erigatur in titulum beneficij. 190
LEX CCVIII.
Permitenda ab Epiſcopis translatio

pure penſionis etiam in Clericum illegitimum ſuppoſita ſola diſpenſatione ad Clericatum. ibid.

LEX CCIX.

Seruanda vt plurimum ab Epiſcopis reſidentia in Epiſcopatu. 191

LEX CCX.

Non omnes cauſę non reſidendi in proprio Epiſcopatu amplectendę ab Epiſcopis tamquam legitimę. 192

LEX CCXI.

Reſidentia intra Diœceſim licet fiat in loco exempto ſemper habenda pro reſidentia quoad effectum alternatiuæ. 193

LEX CCXII.

Reſidentia tametſi coacta, extra Diœceſim, non habenda pro reſidentia quoad effectum alternatiuæ. ibid.

LEX CCXIII.

Abſentia ab Epiſcopatu non differenda ab Epiſcopis vltra tres menſes. pag. 194

LEX CCXIV.

Non iungendum ab Epiſcopis trimeſtre antecedentis anni cum trimeſtri anni ſubſequentis pro licita abſentia ab Epiſcopatu. 195

LEX CCXV.

Abſentia ab Epiſcopatu non ſemper pro non reſidentia reputanda. ibid.

LEX CCXVI.

Quæcumque abſentia ab Epiſcopatu habenda pro non reſidentia ad effectum gaudendi alternatiua. 196

LEX CCXVII.

Admittenda ab Epiſcopis legitima præſcriptio etiam contra obligationem reſidentiæ, & ſeruitij perſonalis in quacumque Capellania. 197

LEX CCXVIII.

Admittendus ab Epiſcopis ad Capellaniam ſimplex Clericus, tametſi ex fundatione ſit inſtitutus Capellanus Sacerdos, qui Miſſas celebret. 198

LEX CCXIX.

Pœnæ inflictæ à Summis Pontificibus deferentes non habitum, & tonſurã, non intelligendæ ab Epiſcopis per non vſum, vel per vſum contrarium abrogatæ. ibid.

LEX CCXX.

Etiam leges Pontificiæ quandoque intelligendæ ab Epiſcopis per non vſum abrogatæ. 199

LEX CCXXI.

In Canone, & Edicto prohibente Clericis delationem armorum intelligenda, & comprehendenda ab Epiſcopis etiam arma inſeruientia venationi, & aucupio. 200

LEX CCXXII.

Delatio armorum quandoque Clericis ab Epiſcopis permittenda. 201

LEX CCXXIII.

Mandata Apoſtolica ad diſpenſandum, ſiue ad alias gratias faciendas ab Epiſcopis ſuſpendenda ob mortem mandantis, ſiue Pontificis concedentis. 202

LEX CCXXIV.

Gratiæ obtentæ, & Epiſcopis demandatę tantum propter exequutionem, etiam ſecuta morte Pontificis concedentis nequaquam ab ipſis ſuſpendendæ tamquam expiratæ. ibid.

LEX CCXXV.

Inter Epiſcopos viciniores Delegatos à Sede Apoſtolica non ſunt ſemper intelligendi Epiſcopi loco viciniores, & minus diſtantes. 203

LEX CCXXVI.

Admittenda ſine contradictione delegatio Epiſcopi à Sede Apoſt. ſpecialiter nominati, tamquam vicinioris, licet reuera nõ ſit loco vicinior. 204

LEX CCXXVII.

Admittendæ ab Epiſcopis ſignationes gratioſæ factæ à Sum. Pontifice etiã ante expeditionem literarum in forma

ma

ma conſueta. 294

LEX CCXXVIII.

Expectandæ ab Epiſcopis expeditiones literarum in diſpenſationibus, facultatibus, & abſolutionibus, quæ fiunt Romæ à Sacra Pœnitentiaria. 205

LEX CCXXIX.

Non cenſendi ab Epiſcopis excommunicati in Bulla Cœnæ, qui mutãt verba in literis Apoſtolicis rei veritatem non inficientia. ibid.

LEX CCXXX.

Habendi ab Epiſcopis tamquam excommunicati in Bulla Cœnæ, qui falſificant literas Apoſtolicas, aut ex toto, aut ex parte, etiamſi illis non vtantur ad decipiendum. 206

LEX CCXXXI.

Nemo ab Epiſcopis admittendus ad audiendas confeſſiones, tametſi ſit Regularis, niſi ab ipſis iudicetur verè idoneus. 207

LEX CXXXII.

Confeſſariorum idoneitas ſemel tantum ab Epiſcopis adprobanda, ſed pluries examinanda. 208

LEX CCXXXIII.

Non admittendi ad audiendas confeſſiones ab Epiſcopis Confeſſarij electi à Confraternitatibus vigore priuilegiorum ſine ipſorum approbatione. 209

LEX CCXXXIV.

Nullus niſi idoneus deputandus ab Epiſcopis ad excipiendas confeſſiones. 210

LEX CCXXXV.

Non admittendus ab Epiſcopis ad confeſſiones Sacerdos, quicumque ſit, ſiue Regularis, ſiue Sæcularis, qui abiurauit de vehementi. ibid.

LEX CCXXXVI.

Non arcendi ab Epiſcopis abiurantes de vehementi ab audiendis confeſſionibus tamquam irregulares. 211

LEX CCXXXVII.

Reſeruandi aliqui caſus ab Epiſcopis in quacumque Diœceſi. 212

LEX CCXXXVIII.

Nullus caſus reſeruatus Papæ ab Epiſcopis reſeruandus. 213

LEX CCXXXIX.

Permittenda ſine ſcrupulo ab Epiſcopis electio Confeſſarij etiam non approbati cuicumque Cardinali, & Epiſcopo. 214

LEX CCXL.

Non omnibus licet exemptis, & priuilegiatis permittendus ab Epiſcopis priuilegij vſus, quoad electionem Confeſſarij non approbati. 215

LEX CCXLI.

Inhibendus ab Epiſcopis ingreſſus mulierum in Monaſteria Regularium ſub quocumque prætextu licentiarum. 216

LEX CCXLII.

Neque permittendus ab Epiſcopis ingreſſus mulierum in clauſura ſine prætextu licentiarum. ibid.

LEX CCXLIII.

Non permittenda ab Epiſcopis omnis furtiua introductio mulierum in clauſuras Monaſteriorum. 217

LEX CCXLIV.

Aliqua quandoque furtiua mulierum introductio in clauſuras Monaſteriorũ ab Epiſcopis permittenda. 218

LEX CCXLV.

Viſitanda ab Epiſcopis illa Regularium Monaſteria, in quibus non viget regularis obſeruantia. 219

LEX CCXLVI.

Viſitanda ab Epiſcopis omnia Altaria beneficiata. 220

LEX CCXLVII.

Viſitanda ab Epiſcopis quoad Clauſuram etiam Monaſteria Monialium Regularibus ſubiecta. ibid.

LEX CCXLVIII.
Viſitandę ab Epiſcopis etiam Eccleſiæ exemptæ non tamen quomodolibet exemptæ. 221
LEX CCXLIX.
Clauſura Monialium ab Epiſcopis attentiſſimè cuſtodienda. 222
LEX CCL.
Non quacumque ex cauſa Monialibus permittendus egreſſus è Monaſterio. ibid.
LEX CCLI.
Nemini permittendus ingreſſus intra ſepta Monialium abſque licentia in ſcriptis obtenta. 223
LEX CCLII.
Monaſteria Monialium extra muros Vrbis, vel Oppidi extructa ab Epiſcopis ad Vrbem, vel ad Oppidum reducenda. 224
LEX CCLIII.
Nullæ conſuetudines in Monaſterijs Monialium ab Epiſcopis probandæ, quæ præter regulam, vel contra regulam ſint. 225
LEX CCLIV.
Ab Epiſcopis illæ conſuetudines tantùm probandæ in Monaſterijs Monialium, quæ ſint ſecundum regulam, nec faciant legem. 225
LEX CCLV.
Non permittenda ab Epiſcopis electio Abbatiſſarum, niſi per ſecreta ſuffragia. 226
LEX CCLVI.
Non permittenda electio Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ, quæ non tangat ſuæ ætatis annum quadrageſimum. 227
LEX CCLVII.
In electionæ Abbatiſſæ excipienda ab ab Epiſcopis Monialium vota, non intra, ſed extra Clauſtra. 228
LEX CCLVIII.
Non approbanda ab Epiſcopis, neque confirmanda electio Abbatiſſæ, niſi facta à duabus partibus votorum, vel ſaltem à maiori parte. ibid.
LEX CCLIX.
Ab Epiſcopis non permittenda electio Monialis in Abbatiſſam, quæ non habeat annos 40. ætatis, & profeſſionis, vel ſaltem annos triginta ætatis, & profeſſionis quinque. 229
LEX CCLX.
Pro eligenda Abbatiſſa, neque tempus ætatis, neque tempus profeſſionis præſcriptum à Tridentino diſpenſandum ab Epiſcopis. 230
LEX CCLXI.
Moniales illegitimæ in Abbatiſſam non admittendæ abſque diſpenſatione. 231
LEX CCLXII.
Non permittendæ ab Epiſcopis electiones Abbatiſſarum, quæ fiant vltrà triennium. 232
LEX CCLXIII.
Ad habitum Religionis non admittendæ ab Epiſcopis Puellæ ante 12. annos. 233
LEX CCLXIV.
Explorandæ voluntates puellarum ab Epiſcopis ante ſuſceptionem habitus, & ante profeſſionem. 234
LEX CCLXV.
Adhibenda ab Epiſcopis diligentia, vt Moniales ſingulis menſibus Confeſſionem faciant ſuorum peccatorum, & Sacroſanctam Eucharyſtiam ſumant. ibid.
LEX CCLXVI.
Bis vel ter in anno indulgendum Monialibus, vt poſſint confiteri peccata ſua Confeſſori extraordinario. 235
LEX CCLXVII.
Haud quamquam permittendum ab Epiſcopis, quod in tranſitu Monialium ab vno ad aliud Monaſterium transferantur dotes. 236

LEX CCLXVIII.
Permittenda ab Epiſcopis tranſlatio dotis cum Moniali, quando Monialis ad inſtantiam primi Monaſterij tranſit ad ſecundum. ibid.
LEX CCLXIX.
In renunciationibus Monialium, quæ ſunt profeſſuræ, non ſemper probanda ab Epiſcopis ſola licentia Vicarij Monialium, tamquam ſufficiens; pagina 237
LEX CCLXX.
Ab Epiſcopis probandæ vt plurimum ſolæ licentiæ, quæ conceduntur Monialibus à Vicarijs generalibus. 238
LEX CCLXXI.
Non permittendæ ab Epiſcopis alienationes bonorum Eccleſiæ. ibid.
LEX CCLXXII.
Nulla rerum Eccleſię alienatio permittenda ſine cauſa ab Epiſcopis. 239
LEX CCLXXIII.
Alienationes rerum Eccleſiæ non permittendæ ab Epiſcopis ſine præſcriptis à Iure ſolemnitatibus. 240
LEX CCLXXIV.
Permittendæ ab Epiſcopis quandoque donationes remuneratoriæ etiam ex bonis Eccleſiæ. 241
LEX CCLXXV.
Non permittendæ ab Epiſcopis venditiones Capellarum in Eccleſijs. ibid.
LEX CCLXXVI.
Neque permittendæ ſubrogationes perſonarum in ius Capellarum per aliquod venditionis genus. 242
LEX CCLXXVII.
Vulnerantes ad mortem non cenſendi Irregulares ab Epiſcopis, quando mors non ſequitur ex vulnere, ſed ex alia nota, & certa cauſa ſic iudicata. 243
LEX CCLXXVIII.
Cenſendi ab Epiſcopis irregulares omnes vulnerantes ad mortem ſi mors ſequatur ex vulnere, tamquam ex cauſa, etiam in dubio. ibid.
LEX CCLXXIX.
Nec quæcumque, nec quibuſcumque irregularitates ab Epiſcopis diſpenſandæ. 244
LEX CCLXXX.
Non diſpenſandæ ab Epiſcopis per alios irregularitates, ſed per ſe ipſos. pag. ibid.
LEX CCLXXXI.
Non quæcumque irregularitas ex defectu in genere ab Epiſcopis diſpenſanda. 245
LEX CCLXXXII.
Non diſpenſanda ab Epiſcopis irregularitas proueniens ex defectu animi in ſpecie. 246
LEX CCLXXXIII.
Non diſpenſanda ab Epiſcopis irregularitas proueniens ex defectu corporis in ſpecie. 248
LEX CCLXXXIV.
Non diſpenſanda ab Epiſcopis quæcumque irregularitas proueniens ex delicto quocumque. ibid.
LEX CCLXXXV.
Ab Epiſcopis non degradandi Sacerdotes ob ſolum rebellionis crimen. 249
LEX CCLXXXVI.
Sacerdotes licet degradati ob crimen rebellionis admittendi ab Epiſcopis ad celebrandum. 250
LEX CCLXXXVII.
Suſtinenda ab Epiſcopis Immunitas Eccleſiaſtica in locis tantum gaudentibus tali priuilegio. 251
LEX CCLXXXVIII.
Suſtinenda quoad fieri poteſt immunitas Eccleſiaſtica in quocumque Palatio Epiſcopali. 251
LEX CCLXXXIX.
Immunitas Eccleſiaſtica localis ab Epiſcopis ſummoperè tuenda. 252

LEX CCXC.
Etiam Immunitas Eccleſiaſtica realis, & perſonalis ab Epiſcopis acerrimè propugnanda. 253
LEX CCXCI.
Furantibus in Eccleſia non permittenda ab Epiſcopis immunitas in eadem Eccleſia, in qua furantur. 254
LEX CCXCII.
Furantibus in vna Eccleſia permittenda ab Epiſcopis immunitas, ſi confugiant ad aliam. 255
LEX CCXCIII.
Non eximendi à foro Sæculari tamquam immunes, qui ſolo adſtringuntur voto Clericatus, vel Religionis. pag. ibid.
LEX CCXCIV.
Neque cenſendi ab Epiſcopis exempti à foro Sæculari, delinquentes contra votum emiſſum de non delinquendo contra votum Clericatus, vel Religionis.
LEX CCXCV.
Non admittenda ab Epiſcopis Matrimonia ſine ætate requiſita. 257
LEX CCXCVI.
Ætas requiſita annorum tali, & tali numero ad Matrimonium ab Eccleſia præſcripta ab Epiſcopis exigenda, quod ſit perfectè completa, etiam quoad paucos dies. ibid.
LEX CCXCVII.
Matrimoniorum impedimenta, ſiue dirimentia, ſiue tantum impedientia, non niſi ex iuſta, & rationabili cauſa ab Epiſcopis diſpenſanda. 258
LEX CCXCVIII.
Non diſpenſanda ab Epiſcopis illa impedimenta dirimentia, cum quibus ſcienter, & ex malitia matrimonia cõtracta ſunt, vel conſummata. 259
LEX CCXCIX.
In cauſis Matrimonij non ſemper delegandæ ab Epiſcopis plures Matronæ ad inſpiciendum de Virginitate. 260
LEX CCC.
Quandoque ab Epiſcopis delegandæ plures Matronæ ad inſpiciendum de Virginitate in cauſis Matrimonij. ib.
LEX CCCI.
Diſpenſanda ab Epiſcopis quandoque etiam vota Summo Pontifici reſeruata. 261
LEX CCCII.
Etiam ab Epiſcopis diſpenſanda quæcumque vota reſeruata, quando de illorum valore, aut obligatione dubitatur à vouentibus. 262
LEX CCCIII.
Ab Epiſcopis diligenter cognoſcenda, & examinanda Miracula. 263
LEX CCCIV.
Probationes Miraculorum non ſemper admittendæ ab Epiſcopis per teſtes ſingulares. 264
LEX CCCV.
Non omnia Miracula ab Epiſcopis approbanda. 265
LEX CCCVI.
Solis Epiſcopis approbantibus admittenda Miracula. 266
LEX CCCVII.
Ab Epiſcopis omittentibus horas Canonicas non reſtituendi fructus Epiſcopatus. 267
LEX CCCVIII.
Ab Epiſcopis non recitantibus horas Canonicas reſtituendi fructus aliorũ beneficiorũ, ſi quæ alia beneficia poſſideant præter Epiſcopatum. 268
LEX CCCIX.
Recitandæ ab Epiſcopis Horæ Canonicæ abſque ſcrupulo, & obligatione reſtituendi fructus Epiſcopatus datà quacumque omiſſione. ibid.
LEX CCCX.
Non ſupponenda ab Epiſcopis deobligatio à reſtitutione fructu ſi pro quocumque beneficio data officij omiſſione.

ſione. pag. 269

LEX CCCXI.

Ab Epiſcopis ſucceſſoribus non ſemper probãda facta Anteceſſorũ. 270

LEX CCCXII.

Ab Epiſcopis doctrina Veterum non ſemper preferenda doctrinæ Recentiorum. ibid.

LEX CCCXIII.

Eligendi ab Epiſcopis Vicarij Generales, qui ſint omni exceptione maiores. 271

LEX CCCXIV.

Deputandi etiam ab Epiſcopis Vicarij Foranei, qui ſint ſpectatæ probitatis, & doctrinæ. 272

LEX CCCXV.

Praficiendi ab Epiſcopis Parochi Animarum Curæ, qui ſint Paſtores idonei. 272

LEX CCCXVI.

Non inſtituendæ ab Epiſcopis nouæ Eccleſiæ Parochiales ſine congrua dote. 174

LEX CCCXVII.

Ab Epiſcopis non ita facilè aſſentiendum permutationibus Eccleſiarum, tàm pro ſe ipſis, quàm pro ſuis Parochis. 275

LEX CCCXVIII.

Ab Epiſcopis non ita facilè reſignandi, ſeu renunciandi Epiſcopatus iam obtenti. 276

LEX CCCXIX.

Non facilè admittendæ ab Epiſcopis literæ commendatitiæ, niſi in rebus arbitrarijs. 277

LEX CCCXX.

Etiam Principum commendationes ab Epiſcopis reijciendæ, ſi ſint extra res arbitrarias. 278

LEX CCCXXI.

Sedis Apoſtolicæ reſcripta ab Epiſcopis ſummà veneratione excipienda. pagina ibid.

Apoſtolicæ Sedis reſcripta ab Epiſcopis ſumma cum attentione examinanda. 279

LEX CCCXXII.

LEX CCCXXIII.

Non ſine cauſa ad ſe ipſos facienda ab Epiſcopis cauſarum auuocatio. 280

LEX CCCXXIV.

Numquam ab Epiſcopis Metropolitanis, & Patriarchis auuocandæ cauſæ pendentes apud Epiſcopos Suffraganeos præciſa Appellatione. 281

LEX CCCXXV.

Non facilè ab Epiſcopis noua Sanctorum feſta indicenda. ibid.

LEX CCCXXVI.

Operum ſeruilium permiſſione in diebus feſtis toto conatu ab Epiſcopis abolendæ. 282

LEX CCCXXVII.

Non ſine cauſa permittenda ab Epiſcopis opera ſerulia in diebus feſtis. 282

LEX CCCXXVIII.

Neque Bacchanalia, neque Torneamẽta in diebus feſtis ab Epiſcopis permittenda. 284

LEX CCCXXIX.

Cogendi ab Epiſcopis ad venditionem nolentes vendere proprias ædes pro ædificatione Monaſterij, Loci pij, Scholarum, &c. 285

LEX CCCXXX.

Ab Epiſcopis compellendi vicini ad vendendas iuſto pretio proprias domos pro conſtruenda, vel amplianda Eccleſia. ibid.

LEX CCCXXXI.

Libera ſepulturæ electio, in quacumque Eccleſia fiat, ab Epiſcopis permittenda. 286

LEX CCCXXXII.

Non cuicumque ſine diſcrimine permittenda ab Epiſcopis libera ſepulturæ electio in ſuis Eccleſijs. 285

LEX CCCXXXIII.

Non permittendus ab Epiſcopis ſuperfluu

ſluus mulierum ornatus. ibid.

LEX CCCXXXIV.

Non permittenda ab Epiſcopis conſuetudo in mulieribus nudandi pectora. 288

LEX CCCXXXV.

Non exercenda ab Epiſcopis iuriſdictio contentioſa extra fines propriæ Dięceſis. 289

LEX CCCXXXVI.

Etiam extra fines propriæ Diœceſis exercenda ab Epiſcopis poteſtas, quã habent circa vota, & Matrimonia ſubditorum. 290

LEX CCCXXXVII.

Indulgentiæ ab Epiſcopis concedendæ ſuis ſubditis, vbicumque ſint, etiam in loco exempto, & extra propriam Diœceſim, ſi illas petant. 391

LEX CCCXXXVIII.

Ab Epiſcopis quandoque concedendæ Indulgentiæ etiam non ſubditis, & exemptis. 292

LEX CCCXXXIX.

Sacerdotes etiam ſine cauſa ad multum tempus non celebrantes admittendi ab Epiſcopis, tamquam legitimi teſtes in foro Epiſcopali. 293

LEX CCCXL.

Non ideò ab Epiſcopis reputandi Sacerdotes homines perditi, & malæ vitæ, quod dico abſtineant à Miſſę celebratione. ibid.

LEX CCCXLI.

Licentiæ celebrandi Miſſam, non ſemper, neque in quocumque loco concedendæ ab Epiſcopis. 294

LEX CCCXLII.

Pro concedendis eiuſmodi licentijs caſus neceſſitatis accuratè examinandi. 295

LEX CCCXLIII.

Nec ſemper, nec quibuſcumque Sacerdotibus inhibendus ab Epiſcopis vſus Altaris portatilis. 296

LEX CCCXLIV.

Non ſemper adhibendum ab Epiſcopis Altare portatile. 297

LEX CCCXLV.

Pro viribus ab Epiſcopis erogandæ pauperibus eleemoſinæ. ibid.

LEX CCCXLVI.

Eccleſiæ bona ab Epiſcopis tantum in pios vſus conuertenda. 298

LEX CCCXLVII.

Eccleſiæ ab Epiſcopis non ſemper immediatè benedicendæ, ſed ſemper conſecrandæ. 299

LEX CCCXLVIII.

Non omnes Eccleſiæ, quæ cenſentur pollutæ, ab Epiſcopis reconciliandæ. 300

LEX CCCXLIX.

Sacrum Chriſma ab Epiſcopis ſingulis annis conficiendum, & adminiſtrandum. ibid.

LEX DCCL.

Sacramentum Confirmationis ſolis Baptizatis ab Epiſcopis conferendum eſt. 302

LEX CCCLI.

Indicenda ab Epiſcopis ſingulis annis Synodus Diœceſana. 303

LEX CCCLII. Vocandi ad Synodũ, & cogendi ab Epiſcopis omnes beneficiati, & habentes curam Animarum in propria Diœceſi. 304

LEX CCCLIII. Pro ſanciendis Synodalibus decretis audiendum ab Epiſcopis ſui Capituli conſilium. 305

LEX CCCLIV. Ad ſancienda decreta Synodalia, neque requirendus, neque expectandus ab Epiſcopis conſenſus Capituli, vel Cleri. 306

LEX CCCLV. Illæ dumtaxat res ab Epiſcopis pręcipiendę ſuis Subditis, quę ſint conformes legi Diuinę. ib.

LEX CCCLVI. Nihil ab Epiſcopis pręcipiendum, quod ſit alienum à Lege Canonica. 307

F I N I S.

INDEX
RERVM NOTABILIVM,

Quæ in hoc Libro continentur præter ea, quæ ſingulis Prudentiæ Epiſcopalis Lineamentis, & Legibus pertractanda præſcribuntur.

Primus numerus exhibet Paginam, ſecundus Columnam.

A

AAron Sacerdotem cur Deus voluerit pugnauiſſe cum hoſtibus. Pag. 21. Colum. 1.

Abiurantes de vehementi cenſentur graui infamia notati. 211. 2.

An incurrant irregularitatem: ibid.

Acceptio perſonarum ſemper damnata, ſed magis in conferendis beneficijs: 164. 1

Acceſſus, & allocutio Sacularium cum Monialibus, etiam exemptis ab Epiſcopis impedienda, ac puniendi delinquentes. 222. 2

Actio de ſua natura poteſt proximi ruinam afferre, debet ab Epiſcopo prohiberi. 288. 2

Actio indiferens, an poſſit prohiberi. 289. 1

Aduerſitas omnis probatio virtutis. 22. 1

Ædes an poſſint cogi ab Epiſcopis nolentes vendere pro conſtructione loci pij, &c. 285. 1

Ædificia inſignia non debent demoliri ob Eccleſiam conſtruendam. 286. 1

Ædificia inſignia plurimum conferunt ad ſplendorem Ciuitatis. 286. 1

Sunt priuilegiata vt Eccleſiæ. ibid.

Altare portatile, an quibuſcumque ab Epiſcopis concedendum. 296. 1

Altare portatile quid requirat. ibid.

An ſemper adhibendum ab Epiſcopis. 297. 1

Amor verus quid agat. 3[illegible]

Summus in Paſtore. 16. 1

Antiſtites cur vocentur Epiſcopi. 53. 1

Animarum ſalus debet ab Epiſcopis ſpectari principaliter in noua Eccleſia inſtituenda. 274. 2.

Appellatio non eſt admittenda à Viſitatione Epiſcopi. 221. 1

Approbatio ad audiendas confeſſiones neceſſaria à quocumque Epiſcopo pro ſua Diœceſi etiam quoad Regulares. 209. 1

Arma cur Clericis prohibita etiam pro aucupio. 201. 1

Quæ ſint defenſiua Clericorum. ibid.

Artificium, delineationes in charta permittuntur diebus feſtis. 283. 1

Authoritas Epiſcopalis quando viteſcat. 29. 1

Auuocatio cauſæ, quando ad ſe fieri poteſt ab Epiſcopo. 280. 1

Auuocatio cauſæ pendentis apud Epiſcopos non poteſt fieri à Metropolitanis præciſa appellatione. 281. 1

Azoti, cur, & quando perierit. 69. 2

B

BAchanalia non permittenda ab Epiſcopis diebus feſtis. 284. 2

Bachanalia ſunt cauſa peccatorum. ibid.

Vbi ſunt in vſu cautè ſunt ab Epiſcopis interdicenda. ibid.

d

A cultu

A cultu Diuino maximè auertunt. 284.2
Non ſunt opera indiferentia. ibid.
Baculus Epiſcopalis, cur traditur Epiſcopis. 25. 2.
Beneficium collatum non ſubdito, facit ſubditum, vt poſſit ordinari. 145.2
Idem familiaritas triẽnalis Epiſcopi. 124.1
Beneficia Iuriſpatronatus poſſunt conferri habentibus aliud benefi.ium, ſi hoc ſit expreſſum in fundatione. 145.2
Beneficij titulo pereunte, perit etiam onus illi annexum per plures DD. 152.1
Non ſentit idem Author. 152.2
Sentit idem in vnione beneficiorum. ibid.
Beneficia ſimplicia ſeminario vniendi poteſtas eſt vnius Epiſcopi independenter à Capitulo, cum quibuſdam tamen conditionibus. 152. 2.
Si ſuperueniat dictus conſenſus Capituli poſt factam vnionem, ſemper validus. 154.1
Beneficio aliquem priuare quomodo faciendum. 166.1
Beneficia libera collationis Sede Pontificia vacante conferenda ab Epiſcopis, qui ideò antonomaſticè dicuntur Ordinarij. 169.2
Beneficium poſitum in lite eſt ſuſpenſum, & nullius, donec, &c. 175.1
Beneficiarij excommunicati ipſo facto priuantur distributionibus. 175.2
Benignitas Paſtorum qualis. 19.2

C

C*Anonici Conuiſitatores Epiſcopi poſſunt licitè, & validè ſuas distributiones lucrari.* 173.2
Canonicis coadiutis excommunicatis, Coadiutores eorum tenentur aſſiſtere diuinis officiis. 174.2
Non poſſunt autem percipere eorum distributiones. 176.1
Capitulum Nouarien. ſupponit habere Ius conferendi beneficia Sede vacante, ſcilicet Canonicatus, ſed hoc ius non probatur. 171.1.
Cardinales, & Epiſcopi vbicumque ſint, non ſubduntur Ordinario loci. 214.2
Poſſunt ſibi approbare quemcumque Confeſſarium. ibid.
Cauſæ de quibus prohibentur Superiores regulas, & agere contra ſuos ſubditos. 100.1
Cauſæ, quæ permittunt Monialibus egreſſum à ſuo Monaſterio. 222.2
Cauſa permutationis Eccleſiæ, quæ. 275.2
Cauſæ auuocatio non facilè ad ſe facienda ab Epiſcopis. 280.2
Cauſæ quibus excuſantur Epiſcopi in abſentia à ſua Diœceſi. 192.2
Cæcus poteſt diſpenſari à Papa, vt ordinetur Sacerdos. 125.1
Nunquam promouendus ab Epiſcopis ad ordines propter ſolas excipiendas confeſſiones abſque diſpenſatione Papæ. 125.2
Ceſſio fructuum, non ceſſio iuris poteſt dari in penſionibus abſque nota. 185.2
Charitas S. Exuperij erga pauperes. 18.1
Choreæ non permittendæ ab Epiſcopis diebus feſtis. 284.2
Chriſma ſingulis annis ab Epiſcopo conficiendum. 300.2
Clerici incedentes ſine habitu, & Tonſura priuantur ipſo iure penſionibus. 187.1
Idem ſi ſine Tonſura tantum. ibid.
Debent tamen conueniri ante Iudicem ad probandum delictum. 188.2
Excipiuntur quidam. 189.1
Clericus diſpenſatus ſuper delatione habitus non eſt diſpenſatus pro exercitio in officiis ſæcularibus. 189.2
Clericorum malum cui imputandum. 7.1
Clericus illegitimus diſpenſatus ad habitum Clericalem, non tamen eſt capax penſionis. 190. 2. *& ſeq.*
Clerici poſſunt eligere ſepulturam. 287.2
Clerus non debet grauari ab Epiſcopis nouis Sanctorum feſtis. 281.2
Collatio beneficij facta indigno illiterato ipſo facto nulla. 160.2
Idem facta excommunicato. 168.1
Commedationes non facilè ab Epiſcopis admittendæ

mittenda. 277.2

Quænam poſſint admitti. 278.1

Commendationes Principum aliquando reijcienda ab Epiſcopis. ibid.

Concilia Sacra quid ſtrictius mandent Epiſcopis. 222.1

Conditiones cuicumque Capellania appoſita in fundatione poſſunt pati praſcriptionem. 197.2.

Conditione non purificata, totum ſub illa conſenſum euaneſcit. 151.2

Congrua ea eſt, qua conuenit ſtatui non perſona. 180.2

Taxata pro Epiſcopis à Trident. ſaltem pro mille aureis. ibid.

Conſenſus Epiſcopi requiritur ſemper pro alienatione Patrimonij, etiam ſi Clericus ſit prouiſus beneficio. 156.1

Dicti beneficij ſufficientia ab Epiſcopis examinanda prius. 156.2

Conſuetudo rationabiliter introducta habet vim abrogandi quodcumque ius poſitiuum. 200.1.

Conſuetudo nudandi pectora in Mulieribus non permittenda ab Epiſcopis. 289.1

Contemplatio vnicum laborum Epiſcopi refrigerium. 14.2

Cooperari Animarum Conuerſioni Diuinorum Diuiniſſimum eſt. 13.2

Cretenſes cur paria reddebant obſequia Ioui, & Minos. 42.1

Crimen quodcumque non cauſat infamiam. 168.1.

D

Datan, & Abiron cur abſorpti à Terra. 67.2.

Deciſiones magnæ authoritatis in rebus tantum probabilibus faciunt iudicium certum ab Epiſcopis amplectendum. 162.2.

Declaratio animi de habenda gratitudine propter beneficium non ſimoniaca. 148.1

Defenſio ſui ipſius nulla lege tolli poteſt. 201.2.

Delineationes Pictorum, an prohibita diebus feſtis. 283.1

Dignitas Epiſcopalis quomodo animi moderatione iungenda. 28.1

Dignitas perſonarũ in quo intelligenda. 164.1

Digniores ſemper ad beneficia præferendi. 165.1.

Dignus propriæ Diœceſis præferendus digniori alienæ. 165.2

Dimiſſorias falſas ſcribentes, an incurrant pœnas Pontificis. 133.1

Diſpenſatio tamquam vulneratiua legis ſtrictè interpretanda. 118.1

Diſpenſationes tot requiri, quot ſunt impedimenta in ordinandis. 132.1

Diſpenſatio ad tollendum vnum impedimentum, quomodo intelligenda. ibid.2

Diſpenſationibus pluribus indiget proles ſpuria pro impedimentis, &c. 117.1

Diſpenſati ad ordines ideo non ſunt admittendi ad beneficia. 117.2

Diſpenſatio interſtitiorum ad ſolos Epiſcopos ſpectat. 123.2

Diſpenſare Epiſcopus *in quibuſnam poſſit ſuos ſubditos*. 290.1

Diſpenſandi facultas in impedimentis Matrimonij an poſſit delegari. 290.2

Diſpenſare Epiſcopus *quanam poſſit extra fines Diœceſis*. ibid.

Doctrina ſecundum ſtylum Curiæ Romanæ ſolum amplectenda ab Epiſcopis. 76.2

Quæ eſt contra illum, eſt contra ius. 77.1

Doctrinam probabilem non omnis conſuetudo facit. 161.2

Doctrina ſufficiens pro collatione beneficiorum quæ. 163.1

Dolus ex natura ſua ſemper eſt malus. 277.2

Domo vendita, venit etiam viridarium. 285.1

Dominus cur ſolum Petrum dormientem redarguit in ſua Paſſione. 34.1

Domos vendere, coguntur ab Epiſcopis vicini ob conſtructionem Monaſterij. 285.1

Etiam pro ampliatione viridarij Monaſterij. ibid.

Domos attollere vicini prohiberi poſſunt ab Epiſ-

Epiſcopis, vbi ſeruitus inducatur Monaſterijs. 16.2
Ex qua cauſa. ibid.
Domus Epiſcopalis cur inſtituta. 27.2
Dos Eccleſiæ nouæ Parochiali ab Epiſcopo aſſignanda, & qualis. 274.2
Debet eſſe ſufficiens ad alendum Parochum, & Miniſtrum. ibid.
Dos rigoroſa nunc temporis pluribus Eccleſijs non poteſt aſſignari, & quare. 274.2
Dotis ſumma debet eſſe ſcutorum centum iuxta locorum conſuetudinem. ibid.

E

ECcleſia Sacri Montis Varalli, cui inſeruiunt Regulares reformati S. Franciſci viſitatur ab Epiſcopo Nouarien. tamquam loco Ordinario. 221.2
Eccleſia noua Parochialis poteſt ab Epiſcopo inſtitui cum cauſa. 274.1
Eccleſia noua non poteſt inſtitui ſine congrui reditus aſſignatione. ibid. 1.
Eccleſia eſt ſponſa Parochi. ibid.
Debet eſſe dotata iuxta locorum qualitate. ibid.
Eccleſia noua Parochialis aliquando poteſt inſtitui ſine centum. ibid. Quare. ibid.
Vt Eccleſia noua inſtituenda dicatur Parochialis quænam requirantur. 275.1
Eccleſia diuiſa fructus debent diuidi æqualiter. 275.1.
Iuſtè: ibid.
Populus nouæ Eccleſiæ ad quid teneatur. 275.1.
Eccleſia difficilè permutanda. 275.2
Eccleſiæ maior vtilitas non eſt cauſa ſufficiens pro permutatione. ibid.
Neceſſitas eſt cauſa ſufficiens. 276.1.
Eccleſia an poſſit renunciari ab Epiſcopo ibid.
Eccleſia ante acceptationem poteſt renunciari, poſt, non ſine graui cauſa. 276.2
Eccleſia conſtruenda, & amplianda, an cogi poſſint vicini ad vendendas domos. 285.2.
Eccleſia an immediatè ab Epiſcopo benedicenda, & conſecranda. 299.1
Eccleſiam ædificare nemo poteſt ſine conſenſu Epiſcopi. ibid.
Eccleſiam reconſecrare, & reconciliare quis poſſit. ibid. 2
Eccleſiam eſſe conſecratam quomodo præſumendum. ibid. 2
Eccleſia quando debeat reconſecrari. ibid. 2
Eccleſia quomodo polluatur. 300.1
Eccleſia notoriè polluta nefas eſt in ea ſacra facere, &c. 300.2
Eccleſiæ bona ab Epiſcopis conuertenda in vſus pios. 298.1
Eccleſiæ bona conſumpta in vſus prophanos, an ſint obnoxia reſtitutioni. ibid.
Effuſio ſeminis, & ſanguinis, an ſemper polluat Eccleſiam. 300.1
Electio ſepulturæ quibus permittenda, vel prohibenda ab Epiſcopis. 286.287
Eleemoſina eroganda ab Epiſcopis pro viribus. 297.2
Eleemoſinam erogare Epiſcopi ex qua obligatione teneantur. ibid.
Eleemoſinam erogare non ſemper tenentur Epiſcopi. ibid. & ſeqq.
Epiſcopali prudentia in quo ſumma eſſe debet. 5.1.
Epiſcopalis ſtatus quocumque Religioſorum ſtatu ſublimior. 30.1
Epiſcopis pro benè exercenda cura Paſtorali quid animo voluendum. 3.2
Epiſcoporum ſollicitudo in promouendo diuino cultu. 4.2
Quo dirigenda. 5.1
Epiſcopi ſunt Cœli Aſtra. 5.1. capita Clericorum 7.1. Venatores animarum. 13.2. Paſtores etiam, & Doctores. 15.1. Duces militiæ Cæleſtis. 23.1. Primi Sanctitatis Motores. 31.1. Vt Sol elucere debent. 30.2. Cur Speculatores vocentur. 31.2. Cur oleo perunguntur. 35.1. Quid ſit eorum vita. 46.1. Quæ pro ſua Eccleſia ſufferre debent. 48.2. Omnia poſſunt in ſua Diœceſi, quæ poteſt Pontifex vbique cum

cum aliqua tamen limitatione. 53. 1. Quando fiant augusti. 59. 1. Cuſtodes Canonum dicti. 62. 2. Debent inſtituere Seminaria. 71. 1. Quos familiares habere debent. 7. 2. Quæ diligere, ac perſequi debent. 9. 1.

Epiſcopi quæ agere debent. 6. 2. Quando non implent omnes ſui muneris numeros. 5. 1. Quem imitari debent. 5. 2. Quando non bene imperant. 7. 1. Quædam propria Sacerdotum officia agere debent. 12. 2. Non inculpabiles utentes alijs ad prædicationem. 15. 1. Quid ſit eorum negligentia. 8. 1. Quid ſit turpius illis. 5. 2. Quas conditiones ſeruare debent, ut poſſint punire regulares delinquentes extra Clauſtra. 91. 1. Poſſunt compellere Regulares ad erigendum Baldachinum etiam in Monaſterijs. 107. 1. Idem etiam pro exteris Epiſcopis in Eccleſijs. 107. 2. In quibuſdam caſibus poſſunt habere Iuriſdictionem etiam contra Abbates, & cenſuris afficere. 108. 1. Quos poſſunt promouere ad ordines ratione domicilij. 115. 2.

Vtrum peccent mortaliter conferendo primam tonſuram non confirmatis. 119. 2. In ordinationibus debent procedere cautiſſimè propter mala quæ oriuntur inde Eccleſiæ. 126. 2. Ordinantes illiteratos ſunt ſuſpenſi à collatione ordinum per annum. 127. 1. Quibus diriguntur dimiſſoriæ pro ordinandis abſentibus, hos examinare debent. 130. 2. Ordinantes non ſubditos ſub ſpe ratihabitionis, an incurrant pœnas, &c. 134. 2. Poſſunt præſentatis ad beneficia conferre Tonſuram, etiam ſi non ſint eorum ſubditi: Quid verò in hoc ſeruandum. 144. 1. & ſeqq. Hac doctrina non uſus eſt Author cum Leonardo Sirtuto Nobili Mediolanenſi à ſe electo in Vicarium Generalem anno 1674. n. 143. 1. Si conferant beneficia minus dignis, ablata in concurſu dignioribus, tenentur ipſi ſingulis annis fructus reſtituere. 160. 1. Non reſidentes in ſua Diœceſi ultra tres menſes præſcriptos &c. ſine cauſa, peccant, & tenentur reſtituere ad ratam temporis, 191. 2. Cui facienda eſt dicta reſtitutio, 191. 1. Non poſſunt excuſari à mortali admittentes aliquem ad excipiendas confeſſiones non cognita eius idoneitate, 207. 2. In viſitatione poſſunt compellere beneficiatos omnes ad oſtendendas eorum bullas etiam ſi fuerint in pacifica poſſeſſione beneficiorum per decem, vel 20. annos, 220. 1. Poſſunt viſitare Monaſteria Monialium exempta in ſua Diœceſi quoad Clauſuram, & contra vim inferentes; etiam uti brachio ſeculari, & cenſuris, 220. 2

Semper ab intrinſeco ſunt Sedis Apoſtolicæ delegati in ijs quæ excedunt ordinariam poteſtatem. 224. 2

An poſſint diſpenſare in Canonum diſpoſitionibus. 63. 1

Nihil devitare debent pro ſolius animæ converſione, 14. 1. Medium in quocumque regimine ab ipſis tenendum, 10. 2. Eorum ſummum impendium quale. 54. 1

Eorum munera præcipuaque. 40. 2

Eorum inuria quæ mala pariat. 64. 1

Curdicantur Medici à SS. PP. 60. 2

Epiſcopi an, & quando poſſint renunciare Eccleſiam. 276. 2

Epiſcopi ab Hæreticis, & infamia notatis non poſſunt iudicari. 277. 1

Epiſcopi criminoſi immediate iudicandi à Papa. 277. 1

Epiſcoporum accuſatores non facilè audiendi, ibid.

Epiſcopum magna veneratione recipere debet reſcripta Apoſtolica. 278. 2

Epiſcopi regulares non tenentur ad votum paupertatis &c. 81. 1

Idem, etiam ſi deponerent Epiſcopatum, & redirent in propriam Religionem, 82. 2. Non debent uti priuilegijs ſuæ Religionis etiam perſonalibus, 84. 2. & ſeqq.

Epiſcopi habent priuilegium Altaris portatilis, 297. 1. Quando illo debeant uti ibid.

Epiſcopus altari vicinior qualis intelligendus in Delegationibus Apoſtolicis, 203. 2.

Epiſco-

Epiſcopus auocans ad ſe cauſas inferioris ſine cauſa, non leuiter peccat, fol. 280. 2.
Epiſcopi poſſunt noua feſta Sanctorum indicere audito, non expectato populi conſenſu, fol. 282. 1.
Epiſcopi tenentur eues ſeruare immunes à periculo peccati, 287. 2.
Epiſcopi circa vota, & matrimonij impedimenta, 290. 1. 2.
Excommunicati in Bulla Cœnæ non ſunt cenſendi immutantes tantum aliqua verba, quæ non mutant ſenſum, vel non inficiunt veritatem literarũ Apoſtolicarum, 206. 1
Excommunicatus non eſt incapax prabendarum, ſi ſit Canonicus, 168. 1. *Quæ verò ſint illæ prabendæ,* 168. 2.
Excommunicatio lata in innocentem, an valeat; 307. 1.
Exilÿ pœna non ſemper habet annexam priuationem beneficij requirentis reſidentiam, 167. 1.
Contrariam verò, ſi per ſententiam exprimatur, ibid.
Exul Sacerdos propter delictum afferens infamiam ſuſpenditur à celebratione Miſſæ, 167. 2.

F.

Facultas diſpenſandi in Interſtitÿs ſolius Epiſcopi, 112. 2.
Facultas diſpenſandi an ſit delegabilis; & qua, 290. 2.
Feſta Sanctorum noua poſſunt indici ab Epiſcopis ſolum audito, ſed non expectato populi conſenſu, fol. 282. 1.
Feſta Sanctorum ex cauſa poſſunt ab Epiſcopis abrogari, & noua ſubrogari, dummodo hoc ſit expediens, fol. 282. 1.
Feſta Sanctorum non poſſunt indici à Principe Sæculari, 282.
Feſta noua Sanctorum non niſi ex graui cauſa ab Epiſcopis indicenda, fol. 281. 3.
Feſta iam indicta cur eadem ne obſeruentur, ibid.
Filius familias non eſt ſui iuris, 287. 2.
Poteſt eligere ſepulturam, ibid.
Filij legitimantur ſi ſint ſpurij per ſubſequens matrimonium, 139. 1.
Idem non accidit cum ad eſt impedimentum dirimens, quando naſcuntur, ibid.
Conſequuntur legitimationem; quando tollitur impedimentum per diſpenſationem, 139. 2.
Finis nobilior ſemper præponendus, 274. 2.
Forum internum non eſt de Iuriſdictione contentioſa, 289 2. 290. 1.
Fructus noua Eccleſia quinam debeant eſſe, 275. 1.

G.

Genus perpetuum prædicandi quod, 18. 1.
Gratia facta non ſpirant morte concedentis, 202. 2.
Quanam iſta gratia ſint, ibid.
Gratitudo in pactum deducta tollit libertatem, ideo in beneficialibus ſit Simoniaca, 148. 1.

H.

Habens facultatem abſoluendi à reſeruatis Papa non debet intelligi eam dem habere pro reſeruatis Epiſcopo, 213. 1
Habitualis inhabilitas quæ, 118. 2
Hæreſis purè mentalis poteſt reſeruari ab Epiſcopo, 214. 1.
Honores in quibus ab Epiſcopis collocandi, 55. 2.
Hoſpitalitas à Parocho exercenda, fol. 274. 2
Hoſpitia ſunt loca pia, 285. 2.

I.

Imperatores plurimi impares ſe fecere Epiſcopis, 17. 2.
Imperas benè, qui prudenter diſſimulat, 20. 2.

Indulgentia quænam, vbi, & quibus concedi poſſit ab Epiſcopis. 291. 1
Indulgentia Epiſcoporum an poſſint Regularibus, & alijs exemptis. ibid.
Indulgentias concedendi poteſtas an ſit ordinis vel Iuriſdictionis. ibid.
Indulgentia conceſſa vni Eccleſiæ ab Epiſcopo antecesſore, an poſſit eidem Eccleſiæ à ſuccesſore concedi. 291. 2
Indulgentiam ſibi concedere poteſt Epiſcopus. ibid.
Indulgentia in loco exempto non concedenda niſi ſubditis petentibus. ibid.
Indulgentia concedenda vltrà numerum dierum taxatum. 291. 1
Si concederentur an valerent. ibid.
Indulgentiæ quandoque poſſunt ab Epiſcopis concedi non ſubditis. 262. 1
Ad Indulgentias lucrandas non requiritur totalis ſubiectio. ibid.
Ingreſſus in Monaſteria Regularium, &c. prohibetur ipſo facto ſub excommunicatione. 223. 2
Ingreſſus in Religionem non eſt cauſa ſufficiens dimiſſionis Epiſcopatus. 80. 1
Inſtitutores Beneficiorum poſſunt aliquando apponere in eorum erectione conditiones contrarias ipſi iuri. 191. 2
Inſtitutio beneficij eſt complementum præſentationis. 155. 2
Irregularitas à qua infamie inducatur. 168. 1
Iulius Cæſar quomodo milites hortabatur.
Ius Canonicum non reſidentibus in ſuis beneficijs imponit pœnam priuationis beneficij. 166. 2.
Ius conferendi beneficia ſemper manet in Epiſcopatu radicatum. 170. 2
Iura cuiuſcumque ſtatus ex natura inſtituenda. 180. 1.
Iuri ſtricto ſemper ſtandum in ſæcularibus. 211. 2.
Iuriſdictio contentioſa extra fines Diœceſis an poſſit ab Epiſcopis exerceri. 289. 1
Iuriſdictio contentioſa quæ ſit. ibid.
Iuriſdictionem contentioſam extra Diœceſim, quando impeditur illam exercere in propria an poſſit licitè vti Epiſcopus. 289. 1
Cum qua conditione. ibid.
Iuriſdictione voluntaria vbi, quomodo, & quando poſſint vti Epiſcopi. 289. 2
Iuriſdictionem contentioſam non exercet Epiſcopus conferens Tonſuram vni, vel alteri ex ſuis ſubditis extra fines Diœceſis. 289. 2
Iuriſdictionem nemo poteſt in ſe ipſum exercere quomodo intelligendum. 291. 2. 292. 2
Ius Canonicum, & Ciuile, eſt conforme Iuri Diuino. 307. 2
Ius Canonicum appellatur etiam Ius Pontificium. ibid.
Ius Canonicum quomodo in Eccleſia introductum. 309. 1

L.

Laus præcipua Epiſcoporum. 70. 1
Leges etiam Pontificiæ poſſunt per contrarium vſum abrogari. 199. 2. & ſeqq.
Leges quomodo faciendæ ab Epiſcopis. 63. 2
Leges poſitiuæ poſſunt legi Diuinæ poſthaberi. fol. 275. 1.
Legis obiectum quodnam ſit. 288. 2
Leges condendi poteſtas penes Epiſcopos reſidet. 303. 2
An independenter à Capitulo, & Clero. 304. 1.
Leges condendæ ab Epiſcopis debent eſſe conformes legi Diuinæ. 306. 2
Leges iniuſtæ non obligant. 307. 1
Leges Epiſcopi debent eſſe conformes legi Canonicæ. 307. 2
Legitimatio prolis ſpuriæ incipit à tempore Matrimonij, non à tempore natiuitatis. 140. 1.
Lex promulgata in Vrbe eſt ſufficiens vbique promulgata. 109. 2
Lex Diuina eſt omnium legum regula. 275. 1
Lex ferri non poteſt expreſſe contra Iuſtitiam. 286. 1
Libertas agendi non debet tolli in Epiſcopis. 278. 1.
Licentia celebrandi vbique non poteſt ab Epiſcopis concedi. 293. 2

In caſibus neceſſitatis poteſt. ibid.
Licentia celebrandi Miſſam in Oratorijs priuatis ab Epiſcopis non poteſt concedi. ibid.
Licentia interpretatiua an ſufficiat. fol. 295. 1
Lia amplexus quid ſignificet. 14. 2
Linceus Rex cur bene imperaſſe dicatur. 49. 2
Imitandus ab Epiſcopis. ibid.
Literatos tantum adprobant Sacri Canonis ad beneficia. 140. 1
Minus literati, ſed magis probi praeferendi. ibid. & ſeqq.
Litera Apoſtolica quando intelligantur expedita. 186. 1
Littera commendatitia non facilè admittenda ab Epiſcopis. 277. 2
Littera commendatitia ſunt periculoſa, & quomodo. ibid.
Littera commendatitia tantum recipienda ab Epiſcopis, quando aliunde illis conſtat meritum perſona commendata. 278. 1
Littera commendatitia Principum coactiua non admittenda ab Epiſcopis, & quid agendum. ibid.
Littera commendatitia Principum in quibus rebus poſſunt ab Epiſcopis admitti. 278. 1
Locatio ad longum tempus aequiparatur alienationi. 286. 2

M.

M*Aieſtas ſuperba facilè abit in Tyrannidem.* 47. 2
Mandatum Apoſtolicum de prouiſione facienda in aliqua perſona ſtrictè eſt accipiendum ab Epiſcopis. 279. 1
Mandatum Apoſtolicum priuilegio comparatur, & eſt odioſum. ibid.
Materia leuis non poteſt prohiberi ſub excommunicatione. 206. 2
Matrimonium non ſemper impoſſibile, dato etiam impedimento dirimente. 129. 2
Matrimonium interuenit inter Epiſcopos & Parochos eorum proprijs Eccleſijs. fol. 275. 1. 4. *Non facilè diſſoluendum.* ibid.
Quatuor tantum modis diſſolui poteſt. ibid.
Matrimonij impedimenta poteſt Epiſcopus diſpenſare etiam extra fines Dioeceſis. 290. 1.
An omnia. ibid.
Matrimonij impedimenta dirimentia an poſſint diſpenſari ab Epiſcopo. ibid. 1. & 2
Metropolitanus non poteſt ad ſe aduocare cauſas pendentes apud ſuffraganeos praeciſa appellatione. 281. 1
Metropolitanus nullam habet Iuriſdictionem in ſubditos ſuffraganeorum, & quando habet. ibid.
Metropolitanus non habet Iuriſdictionem in ſubditos temporales ſui ſuffraganei neque in caſu appellationis. 278. 2
Miſſa non poteſt celebrari vbique. 294. 2
Miſſionarij habent priuilegium Altaris portatilis. 295. 2
Monaſteria Regularium quando viſitanda ab Epiſcopis. 219. 2
Monaſteria Monialium extra muros Ciuitatis non erigenda. 224. 2
Erecta intus transferenda. 224. 1
Moniales ex quacumque cauſa non poſſunt egredi è Monaſterijs ſine licentia Epiſcopi. 223. 1.
Monaſterij appellatione in fauorabilibus venit etiam viridarium. 285. 1
Moyſes perfectiſſimi Paſtoris imago. 12. 2
Munus prudentia Epiſcopalis eſt manus admouere ijs qua militant aduerſus animam. 287. 2.
Mulierum ſuperfluus ornatus ab Epiſcopis non permittendus. ibid.
Iuinam ſit. ibid.
Mulieres ſuperfluè, & luxurioſè ſe ornantes an peccent mortaliter. 288. 1
Mulierum ſuperfluus ornatus ſemper eſt ſcandaloſus. ibid.
Mulieres nudantes pectora non tolerandae ab Epiſcopis. 288. 2

N.

N*Eceſſitas non habet legem.* 295. 1
Neceſſitas eſt cauſa ſufficiens qua Epiſcopi poſſint concedere facultatem celebrandi vbique. ibid.

Ne-

Neceſſitas iſta accuratè examinanda. 295. 1
Neceſſitas an poſsit dari celebrandi extra loca ab Eccleſia deputata. ibid.
Negotia Sæcularia ab Epiſcopis aliquando ex charitate ſuſcipienda. 11. 1
Nobiles cæteris paribus in ſcientia, & morum probitate in conferendis beneficiſs ab Epiſcopis aliſs præponendi ſunt. 163. 1
Idem etiam in conſanguineis. 163. 2
Nomen Paſtoris cur Epiſcopis impoſitum à DD. 61. 1
Notariorum Scriptura an prohibeantur diebus feſtis. 283. 1
Nouitiſ ſunt ſui Iuris. 285. 2
Nouitiſ poſſunt eligere ſepulturam. ibid.
Poſſunt teſtari. ibid.
Nondum ſunt adſtricti obedientia, voto. ibid.
In omnibus poſſunt exercere liberam voluntatem. ibid.
Nudatio pectorum in mulieribus ab Epiſcopis prohibenda. 288. 2

O.

OBedire ſubditus non tenetur legi iniuſtæ. 307. 1. 2.
Obſeruantia regularis in quibus Monaſteriſs dicatur errigere. 219. 1
Obſequia non affectanda ab Epiſcopis. 29. 1
Officium Paſtoris quale ſit. 30. 1
Officium Paſtorale perpetua mentis tempeſtas. 2. 1.
Officia potiora prudentia humana quæ. 37. 1
Omiſsiones rei debitæ à ſubditis ſunt Commiſſiones culpabiles ſuperiorum. 176. 1
Opera ſeruilia quomodo poſsint permitti ab Epiſcopis in diebus feſtis. 282. 2
Opera ſeruilia exercentes in diebus feſtis ſine cauſa rigidè debent ab Epiſcopis puniri. ibid.
Opera ſeruilia neceſſaria in diebus feſtis non prohibentur. ibid.
Opera ſeruilia prohibita quænam ſint. ibid.
Opera ſeruilia non prohibita quænam ſint. 283. 1.
Opera ingenua quæ. 283. 2
Operum ſeruilium permiſsiones in diebus feſtis ab Epiſcopis toto conatu tollendæ. 282. 2.
Opus bonum non perficitur à mente pluribus diſtracta curis. 11. 2
Opuſculum Io: Gerſoni de Temperantia Epiſcopis per vtile. 29. 1
Oratio, & contemplatio totius boni caput. 14. 2.
Oratio Epiſcopi quàm proſit animarum ſaluti. 12. 2
Ordinati falſis dimiſſoriſs, eas falſas ignorantes excuſari debent. 133. 1
Ordinati ſine titulo prouidendi de beneficiſs ſufficientibus, vel alendi ab ipſis Epiſcopis. 136. 2.
Idem onus incumbit Epiſcopis ſucceſſoribus. ibid.
Ordinatio Sacerdotalis introducta propter duos actus. 125. 1
Ordinati ante legitimam ætatem ſunt ſemper ſuſpenſi. 120. 2
Ordines an poſsint ſuſcipi non præuia confirmatione. 302. 2
Ornatus ſuperfluus mulierum ab Epiſcopis non permittendus. 285. 2
Ornatus ſuperfluus mulierum eſt qui excedit fines honeſtatis. ibid.
Prouocat ad libidinem, & eſt ſemper periculoſus, & ſcandaloſus, quamuis non coniungatur cum fine malo. 288. 1

P.

PActa, & conuentiones circa beneficia, quatenus tangunt beneficia ſunt interdicta, non quatenus ſolos fructus beneficiorum, &c. 149. 2
Papa omnia poteſt, &c. & Epiſcopus in ſua Diœceſi quomodo hoc intelligendum. 159. 2
Parochus debet habere ſaltem vnum Clericum inſeruientem, qui alatur ex redditibus Eccleſiæ. 274. 2
Parochus debet exercere hoſpitalitatem. ibid.

Parochi plures nunc temporis non poſſunt habere centum pro congrua, &c. ibid. & cur. ibid.
Parochialis noua quanam debeat eſſe. 275. 1
Parochialis noua Populus ad quid compellendus ab Epiſcopo. ibid.
Parochialis Eccleſia diuiſa debent eadem in vtraque ſeruari. ibid.
Parochus non poteſt ſine graui cauſa permutare. 276. 1
An poſsit cogi. ibid.
Parochus non debet ab Epiſcopo ſine cauſa ad nouum concurſum admitti. ibid.
Parochi praficiendi ab Epiſcopis qui ſint idonei, & quales. 173. 1. & 2
Parochi debent cæteros virtute antecellere fol. 173. 2.
Debent ſummo cum fructu munera pietatis exercere. ibid.
Parochi munus qualis. ibid.
Parochi habilitas debet eſſe maxima. ibid.
Parochialis Eccleſia vacante Epiſcopus concurſum indicat. ibid.
Parochus eligendus debet carere omni defectu animæ, & corporis. ibid.
Parochus debet eſſe ſtabilis ad vitam. ibid.
Parochus init Matrimonium ſpirituale cum ſua Eccleſia, quod eſt inſolubile. ibid.
Parochus non poteſt deputari ad tempus. ibid.
Coadiutor parochi poteſt. ibid.
Parochus ob imperitiam tantum non poteſt remoueri. ibid.
Parochorum obligationes plures, & quæ. 274. 1.
Parochus non poteſt commigrare de vna ad aliam Eccleſiam. ibid.
Parochi obligationes ferè obligant ſub mortali. ibid.
Parochi reſidentia ſtrictiſſima. ibid.
Parochorum obligationes ceſſant cum cauſa legitima. ibid.
Parochialis Eccleſia noua poteſt ab Epiſcopo cum cauſa inſtitui. ibid.
Ne id faciat ſine debitis requiſitis. ibid.
In noua Parochiali Eccleſia inſtituenda plura libranda ſunt. 274. 2
Parochus non poteſt decenter viuere ſine congrua dotis aſſignatione. fol. 274. 2
Qualis dos Parocho aſſignanda. ibid.
Pars tutior alicuius Sententiæ eligenda ab Epiſcopis adminiſtrantibus ordines ratione domicilij ordinandorum. 116. 2
Partes pracipuæ Epiſcopi. 12. 2
Paſtoris nomen quid ſonat. 2. 2
Paſtor bonus quis. 3. 1
Paſtores imitari debent Paſtorum Principem D. Petrum. 3. 1
Cui potius dominari debent. ibid.
Quando dormiant. 4. 2
Paſtor animal plenum oculis. ibid.
Paſtoris munus principale. 11. 2
Sermo fortior ad ſuadendum. 15. 2
Patritij non vbique dicũtur contrahere. 116. 1
Pauperes poſt Epiſcopos habent primum ius in bona Eccleſiæ. 182. 1
Pectora nudare mulieres non permittantur ab Epiſcopis. 288. 2
Pœna impoſita à lege non habet locum niſi poſtquam actus eſt perfectus. 186. 2
Penſiones non debent excedere dimidiam partem fructuum beneficiorum. 150. 2
Penſiones ſoluere nullo iure tenentur Epiſcopi pereuntibus fructibus Epiſcopatus, idem dicendum ſi pereat tantum pars ad ratam tamen. 179. 2
Penſiones non ſoluendæ ſi non remaneat congrua. 180. 1. & ſeqq.
Quando non grauant beneficiarios. ibid.
Penſio non habet rationem beneficij. 183. 2
Penſionis ſolutio facta ante expeditionem litterarum Apoſtolicarum irritat eiuſdem reſeruationem factam. 186. 1
Idem non dicendum ſi ſoluatur tantum pars. 186. 2.
Penſionum onere grauati Epiſcopi, an teneantur facere eleemoſinam. 297. 2
Periti in aliqua arte æquiparantur Iudicibus. 119. 1.
Permutatio Eccleſiæ non facilè ab Epiſcopo facienda in ſe, nec admittenda in alijs, & qua-

quare. 275. 1
Permutatio Eccleſiæ prohibetur Epiſcopis. *ibid.*
Fieri poteſt auctoritate Papæ. ibid. 2
Non poteſt fieri diſſentiente ipſo Epiſcopo. *ibid.* 2.
Quænam cauſæ requirantur. *ibid.*
Pictorum delineationes an prohibitæ diebus feſtis. 283. 1
Piſcatio an prohibita diebus feſtis. 284. 1
Populus non eſt grauandus ab Epiſcopis nouis Sanctorum feſtis. 281. 2
Poteſtas condendi leges pœnes Epiſcopos reſidet. 303. 2
An ſit independens à Capitulo, & Clero. 304. 1.
Præbenda quid importat. 169. 1
Præcipi nihil poteſt, quod ſit expreſsè contrà Iuſtitiam. 286. 1
Præfecti Chori quando peccant. 176. 2
Prælatus non prohibens delicta cum poſſit in iiſdem communicat. 287. 1
Principes Sæculares non poſſunt indicere noua feſta Sanctorum ſine Epiſcoporum conſenſu. 282. 1.
Principes dicuntur contrahere domicilium in ſuis feudis. 116. 2
Principum commendationes non facilè admittendæ ab Epiſcopis. 278. 1
In rebus arbitrarijs poſſunt admitti, in alijs non. *ibid.*
Prò particula importat cauſam finalem in Collationibus beneficiorum. 147. 1
Probabilitas intrinſeca quæ. 161. 2
Proceſſus fabricare an prohibitum diebus feſtis. 283. 1
Priuilegia ab Epiſcopis ſtrictè interpretanda. 279 1.
Priuilegia recedunt à Iure communi. *ibid.*
Sunt odioſa. *ibid.*
Priuilegia Republicæ Venetæ pluria in Eccleſiaſticos. 71. 2
Priuilegium nullum poteſt eximere Confeſſarios à requiſita approbatione. 209. 1
Priuilegia quæcumque Regularium abſoluendi à caſibus reſeruatis Epiſcopo omnia reuocata, & nulla. 212. 2
Prudentia Epiſcopalis munus potiſſimum. 287. 2.
Prudentia plurium virtutum parens eſt. 31. 2
Quæ ſint iſtæ virtutes. *ibid.*

Q.

QValitates Epiſcopi ordinandi quales eſſe debent. 19. 2
Quæ militant aduerſus animam, & ducunt ad interitum ab Epiſcopis tollenda. 287. 2
Qui ſunt compellendi ad beneficia. 9. 2
Quodnam ſit obiectum legis. 188. 2

R.

RAti habitio ordinationis malè factæ habenda ante collationem beneficij in malè promoto, ne collatio ſit nulla. 133. 2
Recedens à Diœceſi animo illicò reuertendi quomodo non dicatur abeſſe. 196. 2
Non eſt ita intelligendum pro gaudendo alternatiua. 197. 1
Regulares eiecti à Religione non ſoluuntur votis, &c. 93. 2
Regulares non poſſunt concionari abſque licentia Epiſcopi. 95. 2
Non poſſunt in ſuis Eccleſijs abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis abſque eorum licentia. 99. 1
Tenentur obſeruare feſta præcepta ab Epiſcopis in ſua Diœceſi, non autem votiua Populi. 105. 2. & ſeqq.
Quandò non ordinandi ab Epiſcopis non Diœceſanis. 111. 2
Eiecti à Religione ad quem titulum promouendi ſunt ad ordines ſacros. 114. 1
Excommunicantur illi, qui præſumunt ſe poſſe abſoluere à culpa, & à pœna. 213. 1
Regulares non poſſunt eligere ſepulturam. 283. 1.
Non ſunt ſui Iuris, non habent liberum velle, & nolle. *ibid.*

Regulares decedentes extra Clauſtra an poſſint eligere ſepulturam. ibid.
Remiſſio plus vales quàm vltio. 9. 1
Remiſſio diſtributionis facta à Capitulo non intereſſentibus Choro ſemper inualida. 172. 2.
Renunciationes factæ à Nouitijs quando ſint validæ. 102. 1
Renunciatio Eccleſiæ ex quibus cauſis fieri poſſit ab Epiſcopo. 276. 2
Reſcripta Apoſtolica ab Epiſcopis veneranda. 278. 2.
Reſcripta Apoſtolica diuerſimodè conſideranda ab Epiſcopis. ibid.
Reſcripta Apoſtolica vario nomine appellantur. ibid.
Alia gratiæ, alia Iuſtitiæ. 279. 1
Reſcripta gratiæ, & reſcripta Iuſtitiæ in quibus differant. ibid. 1. 2.
Reſcripta Apoſtolica per quid reddantur inualida. ibid.
Reſcripta Apoſtolica diuerſimodè examinanda ab Epiſcopis, & quomodo. 280. 1
Reſſignatio beneficij ad cuius titulum quis eſt ordinatus nulla eſt, niſi fiat de hoc mentio expreſſa. 156. 2
Reſſidentia Epiſcopi ad effectum gaudendi alternatiua, an debeat eſſe per integrum totum menſem. 193. 1
Reſſidentia Epiſcopi in loco exempto ſuæ Diœceſis habetur pro vera reſſidentia. ibid.
Reuerentia magna adhibenda eſt cum Epiſcopis criminoſis. 277. 1
Roma ſolo luxo Collapſa. 18. 1

S.

S*Acerdos ſine cauſa ad multum tempus non celebrans admittendus tamquam legitimus teſtis ab Epiſcopo.* 293. 1
An equiparandus laico, qui non communicat in Paſchate. ibid.
Sacerdotibus in lege veteri. 31. 1
Sacerdos ſine cauſa ad multum tempus non celebrans non iudicandus ab Epiſcopo tamquam improbus, & malæ vitæ. 294. 1
Sacerdos celebrans dum polluitur Eccleſia quid agere debeat. 300. 2
Sacerdos ſimplex ex delegatione Papæ poteſt eſſe miniſter confirmationis. 301. 2
Sacramentum confirmationis ab Epiſcopo ſingulis annis adminiſtrandum. 300. 2. *An neceſſarium ad ſalutem* ibid. *Quare datur fidelibus.* ibid.
Sacramenti confirmationis ordinarius Miniſter quinam ſit. 301. 1
Sacramentum confirmationis ſolis baptiʒatis ab Epiſcopo debet conferri. 302. 1. *In qua ætate debet conferri.* ibid.
Sacrificium Deo gratius quod. 16. 2
Sanctitas excellens in Epiſcopo cur in eſſe debeat. 30. 2
S. Petrus cur poſt ſe D. Clementem ſuffecit. 33. 2.
S. Thomæ Cantuarien. Epiſcopi ſummum robur in tuenda Eccleſia. 33. 1
S. Martinus Turonenſis Epiſcopus Epiſcoporum exemplar. 28. 2
S. Leonis Papæ exemplar pro Epiſcopis ordinantibus terribile. 126. 2
S. Ludouicus Epiſcopus Toloſanus non niſi à ſe examinatos ad ordines Sacros admittebat. 126. 2
Idem S. Carolus Mediolanen. ibid.
Sapiens cognoſcitur à fronte. 39. 1
Scientia eſt qualitas de ſubſtantia delicti. 133. 1
Scientia literarum Epiſcopali Prudentia adnectenda. 33. 1
Sciſmata omnium Eccleſiæ malorum origo. 67. 2.
Scorta ducere in vxores cur prohibitum.
Scrupuli præcipui in Epiſcopis. 24. 1. *Idquidem Martirium Animæ.* ibid.
Sedes prudentiæ intellectus. 37. 1
Sententia lata habens vim Canonis. 120. 2
Sepulturæ electio eſt libera omnibus. 286. 2
Coacta electio non permittenda ab Epiſcopis. ibid.
Sepultura poteſt eligi in quocumq; loco Sacro. ibid.

Se-

Sepultura electio facta per votum eſt irrita. ibid.
Sepultura electionem ſuadentes, &c. ſunt excommunicati, & puniendi ab Epiſcopis. 286. 2. 287. 1.
Sepultura electio quacunque contra Canones facta, eſt nulla. 287. 1
Sepultura electio non eſt libera Regularibus. ibid.
Sepultura electio an ſit libera Regularibus decedentibus extra Clauſtra. ibid.
Sepultura electio Regularibus Nouitijs permittenda. ibid. 2
Sepultura electio eſt libera vxori, & filio familias. ibid.
Sepultura electio eſt libera Clericis. ibid.
Seruus poteſt eligere ſepulturam. 287. 2
Simonia an ſit prohibita Iure Diuino, an Eccleſiaſtico. 150. 1
Stoici quem ſapientem vocabant. 29. 2
Stylus Dataria interpres mentis Pontificis. 118. 1.
Strepitus forenſes an prohibiti diebus feſtis. 283. 1.
Subreptio literarum Apoſtolicarum quid. 279. 2.
Superiores Regulares non poſſunt diſpenſare ſuper interſtitijs ſubditorum. 112. 2
Surdus non poteſt eſſe tutor. 171. 2
Semper inhabilis ad publica munera. ibid.
Difficillima cum eo tractatio. 171. 2
Synodus ſingulis annis indicenda ab Epiſcopis. 303. 1
Cum cauſa an poſſit omitti ibid. *Quid in ea proponendum.* ibid. *Quid ſtatuendum.* ibid. *An independenter à Capitulo, & Clero poſſit in ea Epiſcopus condere leges.* 304. 1 *Quinam ad Synodum debeant ab Epiſcopo vocari.* 304. 1
Synodalia decreta an condenda ab Epiſcopo cum conſilio Capituli. 305. 1. *Conſenſus Capituli non requirendus in Synodo, neque expectandus ab Epiſcopo.* 306. 1

T.

TEllus lubrica malorum ſtatio. 41. 2
Teno Stoicorum Princeps, qua in Adoleſcentibus notabat. 50. 2
Theologi et Canoniſta in Iure aequiparantur. 75. 2.
Theologia praeferenda Iuri Canonico. 78. 2
Tonſura qui initiari non debent. 126, 2
Tonſura vbique conferri poteſt. 289. 2
Tonſura an poſſit conferri non praua confirmatione. 302. 2
Torneamenta ab Epiſcopis in diebus feſtis non permittenda. 284. 2
Torneamenta non ſunt opera ſeruilia. ibid.
Tranſlatio domicilij pluribus modis conſideranda pro ordinibus. 115. 2
Tranſlatio Eccleſia qua auctoritate fieri poteſt ab Epiſcopis. 275. 2

V.

VEnditio, & locatio pari greſſu incedunt. 286. 2. *Quomodo intelligitur.* ibid.
Venetorum Reſpub. pluribus à Sede Apoſtolica ditata priuilegijs contra Eccleſiaſticos. 71. 2.
Quae ſint. 72. 1. & ſeqq.
Vicini cogendi ab Epiſcopis ad vendendas domos pro conſtruenda Eccleſia. 285. 2
Vicini poſſunt cogi ab Epiſcopis ad vendendas aedes pro conſtructione loci pij. 285. 1.
Viridarium eſt neceſſarium Religionis, & Monialibus. 285. 1. *Gaudet immunitate ſicuti Monaſterium cuiadheret.* ibid. *eſt pars Monaſterij.* ibid.
Virtus vnicè diligenda. 44. 2
Viſitare Dioceſim munus Apoſtolicum. 16. 2.
Vliſſes cur prudentiſſimi viri nomen obtinuit. 51. 2
Votum Religionis Epiſcopatui praeferendum. 79. 2. *eſt probabilior opinio contraria.* ibid.

Vo-

Votum an poſſit diſpenſari, vel commutari ab Epiſcopis extra Diœceſim. 290. 2
Vota quænam poſſint diſpenſari ab Epiſcopis. ibid.
Vota reſeruata quæ. ibid.
Vota dubia an indigeant diſpenſatione. 290. 291.
Vſus nudandi pectora in mulieribus non permittendus ab Epiſcopis. 288. 2
Licet fiat ad pompam. ibid.
Ex illo datur occaſio peccandi. ibid.
Vſus altaris portatilis an omnibus permittendus ab Epiſcopis. 295. 2
Vtile per inutile non vitiatur. 292. 1
Vxor non habet liberum velle. 287.
Poteſt eligere ſepulturam. ibid.



PRVDENTIA EPISCOPALIS
A SANCTIS PATRIBVS
Vniuersè delineata.

ABeunt in vitæ leges Prudentiæ lineamenta; nec ſine legibus Prudentia lineari poteſt, nec ſine prudentia conſtituuntur imperandi ſtatuta; & ideò ad ſingularia, quæ edictantur Epiſcopalis Imperij dictamina, vniuerſa quædam hìc præmittuntur Prudentiæ præcepta, quibus, et legum, quæ in hoc opere conduntur, delibentur flores, & fructus tandem cum vera rerum agendarum maturitate decerpantur. Sanctiſſimi Patres fuere primi iſtarum legum conditores, & ab ipſis prodiere Canones, vnde ortum duxit Canonica doctrina; faſque fuit; vt ipſi quoque primùm Epiſcopalem Prudentiam velut in tabula delinearent, cuius ad exemplar optima inſtitueretur ab Epiſcopis regendi forma, eòque ſalubrior eſſet animarum medela, quò expeditior per ſolum contuitum delineatæ imaginis pluſquàm Æſculapicæ adhiberetur cura.

PRVDENTIA EPISCOPALIS
DELINEATA
In aſſumendo Epiſcopatu.

SIc primùm alloquitur Epiſcopos *D. Gregor. in ſuo Paſtorali c. 1.* Pertrahi ad Epiſcopatum, eſt pertrahi ad Ducatum Populorum, ad exemplar viuendi, ad normam irreprehenſibilem Euangelicæ vitæ, iuxta illud, opportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe ad portanda onera aliena, & ſanæ mentis ille non erit, qui cum ad caſum vrgeatur ex oneribus proprijs, humeros libentèr ſubmittit opprimendus alienis. Proſequitur alloquium in *c.* 10. Nemo ſe imaginibus cogitationum magna facturum proponentibus illudat, ſed ex anteacta vita ſe iudicet, quid in Epiſcopatu acturus eſt; quomodo enim in culmine poſitus diſcere poterit humilitatem, qui in imis non deſinit ſuperbire?

bire? Quomodo auaritiam ſuperare poterit deputatus ad ſuſtentationem multorum, qui prius propria tenacitèr ſeruabat? Quid enim eſt Paſtorale officium, niſi quædam iugis, ac perpetua mentis tempeſtas fluctibus curarum ſemper feruens. Qui ergo mentis nauiculam, dum in tranquillo nauigabat, dirigere vix poterat, quomodo in medio procellarum ſeruabit illæſam? Nauis illa, quæ ſemper quatitur procellis, tandem neceſſe eſt vt per repentinos vndarum, & ventorum exceſſus inter ſcopulos, & obuiantia ſaxa frangatur. Igitur ille tantùm, qui virtutibus pollet, ad Epiſcopale regimen coactus accedat, neque enim addecet in exemplum vitæ proferri, qui ſic viuit, vt adhuc ſibi ipſi viuat, & animi affectibus ſplendorem vitæ Paſtoralis quoquo modo infuſcantibus; ne vnquam poſſit dicere, veni in altitudinem Maris, & tempeſtas demerſit me; cum teneatur Paſtor cęteris prçficiendus relinquere in litore vetuſtam nauem, & ex fluctuum iactatione quaſi confractam, ne ſi eam ducat in altum ſine conſilio, citò videat reſolutam procellis ac naufragijs abſorptam. Conſideret Epiſcopus *ſcribit idem D. Gregorius ad Patritium* quid intus perdat, dum foris ad culmen regiminis immeritus aſcendit, quod quidquid delectabile creditur lamentabile eſt, & quod depreſſus ad ima ſuppoſito onere vix per contemplationem poteſt ad ſumma conſcendere. Verum tamen eſt, quod aſſumendus ad Epiſcopatum non debet omninò, & in quocumque caſu reniti, ne dicatur acceptum à Deo pro negotiatione talentum abſcondere; ſicque de eius occultatione iudicetur ex otio lenti torporis; quemadmodum nec ita facile colla iugo ſubijcere, ſi in tanto onere portando propriæ ſit conſcius imbecillitatis; vtrumque velut extremum cauendum eſt ab Epiſcopali virtute, quæ ſemper locatur in medio. Non aſcendat igitur ad hunc montem excelſum, & eleuatum *inquit D. Gregorius 2. part. ſui Paſtoralis* qui per humilitatem ſerpentes in imo non habeat radices, & qui ſicut honores ordinis, & gradus cæteros omnes ſuperexcellit, ita non ſit excellentia virtutis admirabilior; neque enim poterit tantam ſibi prouinciam humeris imponere, qui eo deſtituitur virium robore, quo ſolent proſpera mundi contemni, aduerſa placere, quo nec blanda ad voluptatem animum demulcent, nec aſpera in deſperationem compellunt cum ſit deſcriptum in *Exod.* 28. ſuperhumerale Pontificis vtrumque humerum operiens cum cocco bis tincto ſcilicet cum duplici erga Deum, & proximum zeli & charitatis ardore.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In ſubeundo Paſtoris nomine.

ARduum quid ſonat Paſtoris nomen *ſcribit D. Bernardus ad Eugenium*, eóque difficiliùs eſſet hoc nomen ab vno quoque ſubeundum, quò ſenticoſiùs eſt, eius onus, & opus implere; debet; namque Paſtor paſcua dare ouibus ſuis, & inter montium aſpera, & inter vallium concaua, vbi vt. plurimum vię deficiunt planę, nec rupes occurrunt dolatæ. Importat nomen Paſtoris *ſubdit idem D. Bernardus Serm.* 10. *in cant.* magnam ſui muneris eruditionem, ſed multò magis vnctionem, quæ doceat de omnibus, vt omnia pro ouibus viriliter ſuſtineat, nullis capiatur voluptatibus, nullis eneruetur illecebris, ad hoc præſertim vt eas paſcat exemplo ædificationis, verbo prædica-

tionis,

tionis, fructu orationis. Non eſt Paſtor bonus, *ait D. Gregorius in Paſtoral.* qui animam totam ſuo non imolat gregi, qui cum Paulo ad tertium vſque non rapitur cœlum per contemplationem, & cum eodem per pietatis viſcera non deſcendit ad terras, qui cum Moyſe crebrò non ingreditur, & egreditur tabernaculũ Dei, intus ipſius Dei arcana conſiderans, foris onera carnalium portans, qui cum exemplo Saluatoris pro releuandis ouium miſerijs ad alta Charitatis non ſurgit, ab imis refugit humilitatis, iugiter ſchalæ innitens Iacob Patriarchæ, per quam aſcendebant, & deſcendebant Angeli. Abſit à Prælato Paſtore tantum velle præeſſe, & nolle prodeſſe; abſit quod eo ipſo, quod cæteris præeminet, elatione cogitationis intumeſcat, & fiat ſimilis illi, qui dixit, aſcendam ſupra altitudinem montium; meritò ſiquidem Apoſtatæ Angelo ſimilis efficitur, qui ſuis ſubditis ſimilis eſſe dedignatur, cum etiam de Saule dicatur, quem humilitas prelatum, ſuperbia poſt modum fecit à Deo reprobatum. Agnoſcat ſe Paſtor æqualem omnibus ſplendore charitatis erga omnes æquè flammante, nam verus amor, aut inuenit equales, aut facit: zelo tamen vltionis iuſtę in delinquentes ſemper exardeſcat, hiſque ſolis, *vt monet D. Greg. in 2. p. Paſtoral. cap. 6.* per punitiones, & vindices actus ſe prælatum, aut præferendum oſtendat; Paſtorum Principem imitatus, cui cum *in actib. Apoſt. cap. 10.* bonus Cornelius ſe proſternere vellet, dixit, ſurge, ne feceris, & ego ipſe homo ſum; contra Ananiam autem, & Saphyram ſe potentiſſimum exhibuit, atque in omnem vltionem expeditum; ſolerti enim cautela Paſtori admittendum eſt, vt vitijs potiùs, quàm ſubditis dominetur, & dum ſæuit in crimina, regiminis iura non deſerat, ne morum diſciplina ſoluatur, aut funditus eradicetur: nec Paſtor Prælatus ſi ſe pluſquam decet deijciat, ſubditos ſub vinculis diſciplinæ ſtringere poteſt, cum illicò ab iiſdem timor aufugiat, exulet æſtimatio, nulliſque foras errumpentibus ſignis dignitatis, & poteſtatis, tota corruat ſubiectionis obedientia, quapropter ſolicita circumſpectione cuicumque Paſtori prouidendum eſt, ne aut diſtrictio ſit nimis rigida, aut pietas nimis remiſſa, aut ex vlla animi perturbatione mens exorbitet à ratione; qui enim ſanandis vulneribus præficitur, in vino morſum doloris debet commiſcere, & olei mollitiem, quatenus per vinum mundentur putrida, & per oleum foueantur ſananda, ita vt virga, & manna ſemper ſeruentur in arca Domini, & virga, & baculus Paſtoris conſolentur oues, virga nimirum, vt percutiat, cum opus fuerit, & baculus ſubſtentet, vbi imbecillitate laboratur, iuxta illud Dauidicum, virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In exercenda cura Paſtorali.

ADaptari poſſunt cuicumque Epiſcopo, quæ ſcribit *D. Bernard. ad Eugen. lib. 1. de conſid.* Suadens vt hæc quatuor pro bene exercenda cura Paſtorali iugi animo voluat, nimirum ſeipſum primum conſideret, deinde ea, quæ ſub ſe ſunt, poſtmodum ea, quæ circa ſe ſunt, tandem quæ ſunt ſupra ſe, cum nihil ſanè proſint Epiſcopo omnia aliena ſcire ſi ſeipſum non nouerit, cum omnis bona cognitio à ſe ipſo debeat incipere, & in ſe ipſo finiri. Quis, & qualis fuerit, quis, &

qualis ſit quicumque Epiſcopus debet aſſidua cogitatione in ſe ipſo mirari, & quomodo illi, qui abiectus erat in domo Dei dictum ſit Amice aſcende ſuperius, non certè, vt eleuaretur ad dominandum, ſed vt gradum faceret ad ſeruiendum Eccleſiæ conſtituitur. Nãque Epiſcopus in Eccleſia, quæ eſt Domini vinea, vt euellat, & deſtruat, vt diſperdat, & ædificet, vt ſerat, & plantet, in quibus rebus, velut in Schemate quodam ruſticarij laboris curæ Paſtoralis labor exprimitur, cum potiùs ſarculo vti debeant agricultores quam Sceptro. Abſit *Subdit D. Bernardus*, quod Paſtores delicijs reſoluantur, & pompis; abſit, quod illis adblandiatur Cathedra excelſa, quæ ſpecula eſt vnde omniũ egeſtates tenentur proſpectare, vt facile accurrant, & ſubſidijs charitatis occurrant. Fęlix ille Epiſcopus, cui tamquam mendax non improperabitur dictum, plus omnibus in vinea mea laboraui, ita tamen, vt non poſſit dicere, poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui. Exeant ergo Epiſcopi omnes tamquam probati Paſtores in agrum Domini ſui, & ſi labor deterret à cura, ac ſolicitudine Paſtorali, merces inuitet, quæ promittitur laborantibus; videant, quantis ſileſcat ager tribulis, & ſpinis, vt ſe accingant ad opus euulſionis; conferant ſæpè ſua poſteriora prioribus, vt dignoſcant quantum in cura Paſtorali profecerint, quantum defecerint, quãtus fuerit zelus in diuinis vlciſcẽdis iniurijs, quanta charitas in parcendo, quibus erat parcendum. Examinent etiam quale ſit ſuarum animarum regimen, an ſcilicet ſit omnium ſaluti conformatum, ſacriſque conſonum canonibus, vnde tota lex Eccleſiaſticæ diſciplinæ aſſolet deriuare, inſuper an paſcat gregem exemplo ædificationis, verbo prædicationis, fructu orationis; an cum infirmantibus infirmetur, vratur cum accenſis, & fiat omnibus omnia, ita vt ſit cum Iob frater Draconum, & ſocius Struthionum, nec timeat pro fratribus cum Moyſe deleri de libro vitæ, neque cum Paulo fieri anathema à Chriſto. Eſſet quidem illorum Paſtorum dementia penitus dementata, ſi ſine eiuſmodi Prudentiæ lineamentis vellent Paſtoralem curam exercere, ſi vellent dare ſomnum oculis ſuis abſque vlla vigilantia. Dormit Paſtor *inquit D. Gregor. in Paſtoral. 3. p.* quando ſic negligit curam ſubditorum, vt eorum acta, neque ſciat, neque corrigat; dormitat etiam, quando cognoſcit quidem reprehendenda, ſed torpore quodam deprimente ea diſſimulat propter mentis tædium, & corrigenda non emendat. Animal plenum oculis Paſtor eſſe debet, vt & intus propria cognoſcat, & deleat errata, & foris aliena deradat; nec metuendum à Paſtoribus de bene actis populi murmur, Moyſis & Aaron exemplo, qui Iudæis contra ipſos obmurmurantibus, reſpondebant, murmur veſtrum non contra nos eſt, ſed contra Dominum.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In ſollicitudine rerum Diuinarum.

QValis debeat eſſe in Epiſcopis ſollicitudo in promouendo rerum Diuinarum cultu, *deſcribit Bonifacius Pontifex Summus hoc nomine VIII. in Clementin. Dudum de Sepultur. vbi hæc habet.* Quaſi torrens in alueum amplum ſic confluunt vndique negotia ardua, & plurima in cor Epiſcopi, quibus prægrauatur curis innumeris excitatur, cogitationibus plurimis diſtrahitur, ad hoc tantum, vt nomen Diuinum exaltetur

tetur, Catholica fides promoueatur, animæ proficiant, & vepribus malorum radicitus euulſis, vigeat tranquillitas pacis, inualeſcat concordiæ vnitas, & feruor Charitatis exæſtuet; Quibus *addit D. Gregor. in Paſtoral. 2. p. c.7.* non implere omnes ſui muneris numeros Epiſcopos illos, qui imprudenter mentē à Diuinis auuertunt, vt ad terrena rapiantur non imitantes Apoſtolum, *qui ad Corinthios ſcribens*, ſe vocat omnium Eccleſiarum ſollicitudinem, vt potiùs neceſſitatibus, quæ ſpectant ad Deum occurrat, quàm curis immoretur alienis. A Paſtoribus Eccleſiaſticis *ait Thauler. in Serm. Ego ſum Paſtor bonus* primùm quærenda eſt Dei gloria, deinde reliqua, quæ tamen à Deo non ſint longinqua, quod ſi aliter fiat, neceſſe eſt die, noctuque plangere, ac præ dolore tabeſcere. Aſtra cœli vocat Epiſcopos. D. Gregorius. ſcribens ad Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quos non decet velut terreſtres faces in imis ſplendere, ſed ipſi Cœlo nimirum gloriæ Dei lumen reddere, quod ab eodem accepere; nam Sol ipſe primùm ſollicitus eſt de cœli ſplendore, cui iugis rutilat radius, quàm de tenebris à terra fugandis. A Diuinis incipit Epiſcopale onus, & rerum Diuinarum ſolicitudo ea eſt, quæ facit Epiſcopos veros Dei Miniſtros, & Myſteriorum Dei Adminiſtratores ſedulos. *Videantur opera veſtra bona loquitur Chriſtus ad Epiſcopos per Euangeliſtam Mathæum in cap. 5. vt inde glorificetur Pater, qui in Cœlis eſt* quo iudicet primam Epiſcoporum ſollicitudinem ad Dei gloriam, & honorem eſſe dirigendam, non ad propriæ laudis comparationem, quæ cedit in fumum vanitatis ſine ardore charitatis, ſine ſplendore virtutis. Ferueat totus Epiſcopi zelus, non pro ſola propria dignitate tuenda, ita vt quidquid agit, agat in ſui honoris patrocinium, ſed toto nixus Diuino patrocinetur honori, vt poſſit dicere, quæ ſurſum ſunt quæro, non quæ ſuper terram, *ſic ſcribit D. Bernardus ad Eugenium lib.3* ſitque de placitis Dei cura potior, vt Deus ipſe non irrideat Epiſcopum verbum Dei Euangelizantem. Stulto labore Paſtor ille conſumitur, qui ſe totum deuouet temporalibus Diuinorum contemptu, & poſthabita cura, & ſemper prudentiùs erit ab altioribus in altum rapi, quā ab infimis trahi ad inferna, nam fructus iſtorum aranearum telæ ſunt, illorum meſſis vtpotè cœlitus demiſſa, cœleſtis gloriæ cumulū facit, quo Deo diteſcimus omnes. Igneſcat zelus Epiſcoporum, ſi diſcipuli, & aſſeclæ Chriſti ſunt pro rebus Diuinis, atque eijciantur à templo nummularij omnes ipſius Dei contemptores, nec patiantur Orationis domum, fieri negotiationis emporium, quod eſt ſimoniacè res Dei, & Eccleſiæ pertractare; tales namque negotiatores impudentiſſimi ſunt acerrimè eijciendi, & aſperrimè flagellandi, nè eorum contagio tota inficiatur Eccleſia, hæcque erit ſumma Epiſcopalis Prudentiæ in zelo ad Dei gloriam exercendo.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In ſollicitudine rerum Eccleſiaſticarum.

QVid Epiſcopo turpius *ſcribit D. Bernardus ad Eugen. l.4. de conſid.* quàm incumbere rei propriæ, & propriæ ſubſtantiæ, & res Eccleſię ſuæ prorſus negligere, & clauſis ſemper oculis intueri? moueri ad quæque perdita, vel citò perdenda, & nec manum admouere clauo, cui aſſidet tamquam rector nauiculæ ſibi commiſſæ? Ioſeph ille Egyptio regno præpoſitus, nihil ſibi,

ſed totus, cui præeſt incumbit adminiſtrandæ prouinciæ; quomodo igitur illum non imitabitur Epiſcopus, qui non ſuis, ſed Eccleſiæ rebus debet ex officio præſidere, & coniugij vinculo ſuſceptæ ſponſæ iugiter adſtare. Qui diligit ſponſam *ſubdit D. Gregor. in Paſtoral. de Sponſa* ſollicitus eſt, præſertim an ſit ornata monilibus, an vndique colluceat gemmis, an ſit pulchra vt Luna, electa vt Sol, quam ſcilicet nullæ obſcurent circumuolitantes criminum vmbræ; hæc potior eſt ſponſi de thalamo ſuo ſollicitudo, hæc feruentior cura, ne de ipſo conqueratur cœleſtis ille Pater, qui fecit nuptias filio ſuo. Se vulneratam in vno oculorum ſui ſponſi atteſtatur ſponſa, cum velit in ipſo alterum oculum clauſum, neque ad aliena conuerſum more venatorum, qui ne aufugiat præda vulneranda, ex vna parte ſponte cæcutiunt. Totus contuitus in dilectam eſt intendendus, nec aliud præ oculis Epiſcopi addecet eſſe, quàm ipſam Eccleſiam, de qua ſola ſollicitus ſit; *arguitq; D. Gregor.* eos omnes quomodocumque Eccleſiæ præfectos, qui vel modica, vel nulla in dies de rebus Eccleſiaſticis cogitatione tenentur, nec vllo vnquam flammante zelo accenduntur, vt concuſſa Religionis, & Sedis Apoſtolicæ Iura tueantur, nullo ad tutelam habito verbo, telo, vel gladio, quo fit vt omne erga Eccleſiam vacuetur obſequium, intereà omnis ſacratum obſeruantia legum, reſpectus omnis erga ipſius Eccleſię Proceres adhibendus penitus euaneſcat, *nec à Gregorio Magno in hac re diſſentit alter Gregorius Nazianzenus in Orat. de laudibus Baſilij*, vbi virum ad Eccleſiæ Præfecturam idoneum deſcribens ait inter vera illius indicia præ cæteris connumerari, quod loquendi, & agendi libertatem aduerſus eos omnes exerceat, quos nouerit eſſe animo, vel opere Eccleſię, & iuribus ſuis contrarios; neque enim fas eſt eſſe Summos Sacerdotes à Melchiſedech in zeli feruore degeneres, cui nihil ſtudioſius fuit, quàm Sanctuarij iura tueri, ſpreta ipſius ſanguinis lege, & omni poteſtate aduerſante, Quæ tua ſunt age *ſcribit D. Auguſtinus ad Coetaneum Epiſcopum*, non quæ aliena, nec cogita tua eſſe, niſi quæ ſunt Eccleſiæ tuæ, vt omni ſtudio ea proſequaris; *Additque D. Bernardus ſcribens ad Innocentium Papam Epiſt.* 178. quod eiuſmodi Epiſcopos rerum Eccleſiaſticarum zelatores debet Curia Romana totis viribus ſuſtinere, ne iuſtitia in Eccleſia pereat, ne claues paruipendantur, ne denique tota Epiſcopalis authoritas tranſeat in vilipendium.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In benè formandis Clericorum moribus.

EO præſertim à Prudentia Epiſcopali dirigendum regimen Eccleſiæ eſt, vt eius alumni in cunctis benè morati inſtituantur, quo tandem poſſint eſſe, in conſilijs ſuis ſemper prouidi, in agendo diſcreti, in loquendo modeſti, in conuiuio non effuſi, in cura rei familiaris non anxij, in zelo rerum diuinarum nunquam otioſi, aut remiſſi, qui, ſi fiant animarum Paſtores, oues non deglubant, ſed tondeant, Pauperes non ſpernant, ſed foueant, & qui in omni re plus fidant Deo, & orationi, quàm propriæ induſtriæ, & labori. *Tradit hæc monita D. Bernardus lib. 4. de conſideratione*, quæ quidem non multa ſunt, ſed valde vtilia. *Addens paulo infra*, quod Sacerdotes, & Clerici, ſi ſint honeſtiores cæteris, euadunt publica quædam vulgi fabula, ſpectaculum omnibus deriden-

ridendum. Heu quantum diſtant ab officio ſuo, *clamat D. Auguſtinus Epiſt. 70.* Epiſcopi illi qui toti non ſunt in reformandis ſuorum ſubditorum moribus, qui negligunt curam habere de grege, ac ſi non eſſent Paſtores, ducentes oues ſuas ad paſcua ſecuritatis. Male viuentes ſubditi aggrauant imperantium culpas, neſcitque bene imperare, qui ſubditum habet à vitæ probitate degenerem. Caput eſt Clericorum Epiſcopus, & ſemper verum erit, quod omne malum à capite. Nihil lætiùs *inquit D. Chriſoſtomus,* accidit illi Eccleſiæ, quæ cum ſit integrum quoddam corpus Diuinis myſterijs conformatum, non minùs ſanum habet caput, quàm membra ab ægritudine ſemota. Vt igitur tale myſticum corpus vndequaque ſeruetur incolume, mali ſunt ab Epiſcopis humores auuertendi, boni mores in ſingulis Clericorum implantandi, vt congruo tempore in bonam matureſcant, ac pro ſe ipſis, & pro alijs, etiam fructus ſalutis edant: ſi enim planta corrupta eſt in radice, non niſi fructus corruptionis proferet etiam in germine. Ad hoc præſertim ab Epiſcopis inſtituenda Seminaria, ad hoc frequenter vocandæ Clericorum Congregationes, vt ſemper aliquid habeant vnde diſcant, quoue erudiantur ad bonum. Non tamen ſatis eſt *ait D. Chriſoſt. homil. 15. ad Timoth.* quod Epiſcopus doceat Clericos ſuos verbo, cum teneantur etiam docere exemplo, tenetur namque omnibus collucere quicumque habuit à Deo officium Lucernæ, nec Lucerna debet poni ſub modio, ſi data eſt, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt Domum Dei, quæ eſt Eccleſia Epiſcopi, decet Sanctitudo, & hæc prius inchoatur à Prælato, quàm à ſubdito. Honeſtas in vultu, in habitu, in inceſſu æquè exhibenda eſt ab Epiſcopis, & à Clericis, nec decet Epiſcopos comatulos pueros, & comptos adoleſcentes ſecum habere, & ſemper nefàs fuit inter mitratos calamiſtratos diſcurrere, cum ad eos tamquam ad exemplaria intorqueantur aliorum obtutus, vt formam inſtituant viuendi, *ex quo prudenter monebat Epiſcopos D. Greg. in Paſtoral.* vt familiares ſuos haberent, vel facerent maximè Spirituales, & Sanctos, quia Sanctis adhęrentes ex aſſiduitate viſionis, locutionis, & operationis, reliqui accipiunt, vnde accendantur in Deum, vitia fugiant, & ſanctiſſimè viuant.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In corrigendis vitijs Clericorum.

Bonis Paſtoribus dormire, vel dormitare ſuper crimina ſubditorum, qui ſunt oues propriæ, ipſorum curæ cælitus demandatæ, ſemper vetitum fuit; eiſque vſque ab initio lex indicta eſt, vt omni crimine onerentur, quod patiuntur, vel permittunt in ſubditis ſine cuſtodia, redarguitione, & vigilantia; hæcque eſt doctrina Sanctorum Patrum, & Doctorum communis, *quam præ cæteris tradit Sanctus Thomas Doctor Angelicus pluribus in locis, cui ſubſcribens D. Bernardus ſermon. in Cantic.* ait, quod peccantibus Clericis debent ipſi Paſtores peruigilare, tamquam ratione pro animabus illorum redditurì, tradentes cor ſuum ad vigilandum diluculò ad Deum, qui fecit illos, vt hoſtium inſidias ſagaciter explorent, vt conſilia malignantium auuertant, vt irretientium peccatorum laqueos diſrumpant, ſicque tandem benè opus miniſterij ſui impleant ad ſalutem animarum; *concludens tandem in Epiſt. 152. ad Monach. Alpenſes,* quod inſolentiæ

Cle-

Clericorum mater eſt negligentia Epiſcoporum. Non ſint igitur Epiſcopi, & Paſtores in cura ſui Gregis ita improuidi, vt hominum gratiam amittere formidantes loqui recta pertimeſcant, immò potiùs mercenarij, quàm veri Paſtores, *vt ait D. Gregor. in Paſtorali cap.* 15. lupo præ oculis oues vorante, ipſi ſileant, aſſimilati canibus mutis, non valentibus latrare, quibus ab increpatione deſiſtentibus dicatur tandem *ab Ezechiele c,* 1. Vos non aſcendiſtis ex aduerſo, nec oppoſuiſtis vos murum pro Domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio in die Domini; aſſimilantur enim Epiſcopi, qui ex zelo iuſtitiæ reſiſtere peccantibus non curant, illis, qui terga vertunt in prælijs, vbi pro ſalute pugnandum eſt. Fruſtra diceret conſecrator Epiſcopi illa verba, Accipe baculum Paſtoralis Officij, vt in corrigendis vitijs piè ſæuias, & iudicium ſine ira teneas, ſi Epiſcopi à correctione vitiorum abſtinerent, nec officium Ordinarij implerent ad vnguem, cum cuicunque Ordinario per Concilia, & Sacros Canones imponatur, vt corrigant Clericorũ exceſſus, mores reforment, Eccleſias viſitent, eòque tota prudentia, & vigilantia colliment, vt ex ouibus ſibi commiſſis, nec vna pereat in ouili; error namque, inquit Auguſtin. cui non reſiſtitur, adprobatur, & facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquendi. Cum agitur de vitijs à vinea Domini, velut vepribus, eradicandis *dicant Paſtores, & Epiſcopi cum Michea Propheta cap.* 30. Repleti ſumus formidine Spiritus Domini, iudicio, & virtute, vt annuntiemus Iacob ſcelera ſua, & Iſrael peccata ſua, vt auuertatur Dei patientis iniuria, ne quando dicat ipſe Deus ad Epiſcopos, & Clericos, his plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me. Non ſint Epiſcopi puſillanimes, cum in crimina Clericorum irruendũ eſt, *ſciantque ex Eccleſiaſt. c.*7. malè eos in Cathedra Iudicis ſedentes eſſe, qui virtute, & animi robore non valent iniquitates diſrumpere.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In adaptanda delictis, & delinquentibus correctione.

EX *conſilio D. Gregor. in Paſtoral.* 2. *p. c.* 10. quædam crimina ab Epiſcopis ſunt prudenter diſſimulanda, quia eo ipſo, quod diſſimulantur, iudicantur; cum enim delinquens deprehendit culpas ſuas cognoſci à Rectore, & perpeti, eo ipſo erubeſcit culpas augere, quia tacitè conſiderat Paſtoris erga ſe patientiam, tolerantiam, & clementiam; *hancque Dominus ipſe exprobrabat Peccatrici Iudeæ dicẽs, Non cogitaſti in corde tuo, quia ègo tacens, & quaſi non videns. Eſai. c.* 57. quædam alia etiam apertè cognita maturè tolerãda ſunt, ſi nimirùm nondũ tempus aduenit, vt apertè corrigantur, nam ſecta immaturè vulnera in deterius feruеſcunt, & cum niſi cum tempore medicamenta conueniant, conſtat procul dubio, quod extra tempus adhibita medendi officium prorsùs amittant: alia denique vt potè magis occulta, ſunt ſubtiliter perſcrutanda, & licet non erumpant delictorum ſigna exteriùs, ſunt tamen interiùs ex mente arguenda; & redarguenda, ne malum in præcordijs clauſum creſcat in detrimentum ſine remedio. Ex his (*ſubdit D. Gregor. l. c.*) quædam leuiter increpanda ſunt, ſi proueniant ex inculpabili ignorantia, alia acriter, & vehementer, ſi ex malitia. In adoleſcentibus frequens, & rigida adhibenda correctio, in ſenibus blanda, neque in triſtitiam inducens ex iteratione moleſta, iuxta illud ad Thimoth. ſeniorem ne incre-

increpaueris, quandò tamen crimine aliquo detentus non ſentit quanti ſit ponderis perpetratum ſcelus, tunc abſque perſonarum diſcrimine, vel diſcretione ita redarguendus eſt ab Epiſcopo, vt culpæ grauitatem ex ore increpantis verè ſentiat,& corrigatur,ne fiat Epiſcopus ipſe illius culpæ reus, ſimul & particeps, zeli aſperitate depoſita;ea tamen ſemper inquit Gregorius in Paſtorali ſeruata corrigendi prudentia, vt per flagella, & dura verba non reſipiſcant, nonnunquam perblandimenta curentur, cum quædam vulnera ſint, quæ inciſione magis intumeſcunt ad necem, fomentis verò lenientibus faciliùs ſanantur, more adamantis, qui ferro non cedit, ſed hirci ſanguine molleſcit. Quando verò exceſſus non ſunt præ magnitudine graues,ita corrigendi ſunt, vt non omninò videantur ignoſci, neque omninò ſeuerè increpari, eo tamen ſemper intento, vt verecundiam excitent, & ruborem in delinquentibus, cum plerumque plus virium habeat diſcreta in correctione remiſſio, quam dira in exequenda vltione diſtrictio. Nihil vnquam in corrigendis ſubditorum defectibus agat ira, vel furor in Epiſcopis, at totum rationi detur, & manſuetudini; & quando audito crimine mens excitatur ad furorem, tunc immorandum eſt,nihilque agendum, donec redeat ad tranquillitatem animus ex furore commotus. Eſt tamen ira aliquando oſtendenda ad terrorem, nunquam exercenda ad propriam vlciſcendam iniuriam, niſi id poſtulent iura ſtatus, & dignitatis, quibus nemo cedere poteſt, cum ſint extra ius,quod eſt proprium; ſemper tamen ille ordo ſeruandus, vt Epiſcopi perſonas diligant, vitia tantum perſequantur, ne fortè aliter agentes, ipſa redargutione deperdant, quos emendare deſiderant; cum ſic vulnera debeant abſcindere, vt quod ſanum eſt per abſciſſionem exulcerari non poſſint. Sit igitur pro quocunque delicto,& delinquente, ſemper cauta, nunquam imprudens, ſemper diligens, nunquam remiſſa, ſemper amabilis,nunquam odioſa correctio, ex qua & boni habeant,quod paueant, & praui metuendo quod diligant. *Sic concludit D. Bernardus, ſcribens ad Eugenium.*

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In conferendis Beneficijs.

POtior Epiſcopalis Prudentiæ vſus in collatione Beneficiorum obuerſari debet, omnemque de hac re eſſe in Epiſcopis ſollicitudinem *vult D. Bernardus ſcribens ad Eugenium lib. 4. de conſider.* quem monet, vt in conferendis Beneficijs nunquam attendat ad preces, aut ad interpoſita officia,ſed dumtaxat ad merita; is namque, pro quo rogatur, ſuſpectus de meriti nullitate habendus eſt, qui pro ſe ipſo rogat, iam iudicatur indignus. *Manus citò nemini impoſueris, ſcribit D. Paulus ad Thimot.* 5. & tales dicit eſſe ad beneficia eligendos, quos elegiſſe nunquam pœniteat,cum ſemper turpe ſit retractare, quod ſemel factum eſt, nec deceat iudicium prudens in re tam graui periclitari. Ad beneficia eligendi ſunt viri probati, non probandi, faſque eſt, vt probatio electionem præcedat, non ſubſequatur, nam Eccleſia faciliùs perficit bonos, quàm malos in viam bonam perducat. Conuiuium Domini beneficium eſt, atque ad huius introitum compellendi ſunt ij tantùm, qui ſint in cunctis bene morati, conſilio prouidi,zelo flammantes,

pietate,ac charitate conſpicui. Vacantibus igitur beneficijs *ait D. Gregorius Epiſt.33.* ea facienda eſt ab Epiſcopis ad Deum oratio, Oſtende Domine quem elegeris,vt non reſpiciatur caro, & ſanguis, nec alia perſonæ dignitas, vel conditio, ſed tantum reſpectus habeatur ad meritum, quod facit perſonam beneficij collatione dignam; eſſet namque valdè miſeranda illorum Epiſcoporum incuria, qui præſertim beneficia Curata conferrent indignis, atque ouilia ſua committerent lupis, vel paſtoribus imperitis, non valentibus gregem paſcere exemplo, & doctrina. Verum tamen eſt, quod ad conferenda beneficia,non ſufficit dignitas perſonarum habita tantum ex litteratura, vel ex nobilitate, *nam de hoc errore monet D. Auguſt. Epiſt.* 138. omnes Epiſcopos malè forſan in hoc intelligentes *textum canonicum in c. De Multa, & de Presbyt.* quia ibi non vult Pontifex in collatione beneficiorum eſſe ab Epiſcopis præcipuam habendam rationem litterarum, vel ſanguinis, ſed eſſe potiorem reſpectum habēdum ad ipſasEccleſias, non ad perſonas, quibus licet maximè proſint quandoque litteræ,& nobilitas ſanguinis,hæc tamen ſine morum probitate,& alijs requiſitis nihil valent in ædificationem, ſed potius ſolitariè conſiderata valent in deſtructionem. *Vnde D. Gregorius Epiſt.*18. *lib.*2. Epiſcopos adhortatur, vt bonos Clericos quærant è longinquo,vt ipſis beneficia conferant, & cum ipſe Summus Pontifex audiſſet Syracuſis immorari quoſdam Presbyteros, qui erant probatiſſimæ vitæ,ſcripſit ad eorum Epiſcopum, vt illicò Romam eos mitteret, hoc intento,vt eiſdem magna beneficia conferret.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In cauendis extremis.

MEdio tutiſſimus ibis,ductori quadrigæ Solaris Phaetonti dictum legitur, quemadmodum etiam Vlyſſes ſanum illud benè regendæ nauis accepit,& impleuit cōſilium, extra vndam, & fumum longè compelle carinam,ad hoc,vt ſcopulos illos tot naufragijs infames prudenter deuitaret. Nauicula eſt cuiuſcumque Epiſcopi Eccleſia, *inquit D. Gregor. in ſuo Paſtoral,* quæ nunquam regitur benè ſi malè ducatur inter neciferas extremorum Syrtes, quibus allidat tandem, neceſſe eſt quæcumque Cymba radit liquidum iter. Teneant igitur Epiſcopi medium in quocumque regimine, ne deflectant à recto,ne exorbitent à rationis Ecclyptica, ne præſertim ab exterioribus curis nimis detenti, ab intimis corruant, aut ne ſolis interioribus dediti, quę foris debent ſubditis, non impendant. Vtrumque hoc extremum ab Epiſcopali Prudentia cauendum eſt, cum neque fas ſit in ſpiritualibus Epiſcopos omnino torpere, neque in temporalibus omnimodè occupari, nam & propriæ,&aliorum ſaluti interiùs,exteriúſque debent incumbere,vt tangant muneri impoſito propoſitam metam. Vacandum eſt & arcanis cœleſtibus, vbi opus eſt, & terrenis ſubditorum negotijs, ita tamen vt oculus, qui prouidendis aliorum greſſibus præeminet, non cæcutiat in proprijs, & ſemper monſtruoſum erit capiti,pedum puluere ita infuſcari, vt nec videat quæ agenda ſunt,nec agat,vt terrenorum puluis excutiatur ab oculis; ne alloquens Paſtores, & Epiſcopos,poſſit conqueri *Ieremias Tren.* 4. Quomodo obſcuratum eſt aurum, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij

ctuarij in medio plateārum; *concludit igitur D. Gregorius in Paſtorali 2. p. cap. 7.* quod ſæcularia negotia ab Epiſcopis aliquādo ex charitate ſuſcipienda ſunt, nunquam tamen ex intentione requirenda, ne mentem quærentium aggrauantes, hanc ſuo pondere victam mergant ad ima, vnde ad cœleſtia non poſſit aſſurgere; dum enim Epiſcopi temporali ſollicitudini intenſiùs deſeruiunt, à rebus ſpiritualibus altiùs elongantur, & foras fuſi, nihil, quod intimum ſit, agere ſatagunt pro animarum ſalute. Paſtoribus etiam, & Epiſcopis *ita indicitur lex ab Ezechiele Profeta c. 44.* vt neque radant capillos, neque comam nutriant, ſed dumtaxat tondeant, acceptis pro capillis rerum externarum curis, quæ ſi nimis creſcant, oculos internos impediunt, ne videnda, & agenda contueri poſſint; ſicque iure meritò præcipitur non eſſe radendas ex toto, ſed tondendas; ideſt, ſub certa medietatis menſura eſſe coercendas.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In abijciendis nimijs occupationibus.

NIhil ab Epiſcopis ſine moderamine, ac virtutis medietate, quę facit bonum honeſtatis plenum ſuſcipiendum eſt; rumpitur namque, qui nimis tenditur arcus; eòque à potioribus rebus diſtrahitur animus, quò magis ad exteriora pertrahitur. Iugiter ea ſunt ab Epiſcopis memoranda, *quæ D. Bernardus ſcribit ad Eugenium l. 1. de conſider.* Vereor ne in medijs occupationibus, quoniam multæ ſunt, dum diffidis finem, frontem dures, & ita ſenſim te ipſum priues ſenſu iuſti, vtiliſque doloris, neſciens, quod paulatim à tua Rachele, ideſt animi tranquillitate inuitus auuelleris; multò prudentius eſt, quod te ſaltem ad tempus ſubtrahas occupationibus, vt tibi vaces. Qui ſe totum tradit ſtulto negotiorum labori, nihil ſibi relinquit, & quieti; ſunt enim occupationes nimiæ quædam ſpiritus afflictiones, mentis euiſcerationes, & gratiæ Diuinæ euacuationes, earumque fructus, ſunt fragiles aranearũ telæ. Hebetati cordis eſt, continuam non ſentire negotiorum molem, & ſeruitutem, non ſeipſum quandoque à ſeruitute, & tali vexatione redimere. Principale Paſtoris munus eſt ædificare Eccleſiam, docere populos, meditari in lege Domini, quæ ſola eſt immaculata conuertens animas. Si Epiſcopus eſt homo omnium, omnibus omnia factus, debet etiam eſſe ſui; nihilque ipſi proderit, ſi vniuerſos lucretur, & ſe ipſum perdat. Habeat ſe ipſum Epiſcopus, quandoque neceſſe eſt, & ſi omnes veniunt ad bibendum de fonte ſuo, debet & ipſe bibere, ne ſolus ſitiens permaneat. Vt non ſitiat Epiſcopus, haurire debet aquas de fontibus Saluatoris, quod fit otiante Spiritu inter delicias amoris Diuini, & ſoli Deo vacante, quod agebat Sanctus Gregorius in ſumma negotiorum tempeſtate, quando etiam obſeſſa ab hoſtibus vrbe, inter contemplationes à Sacris Scripturis propoſitas ſolitariè verſabatur. Omnia ſuum tempus habent, rerumque diſcretio, quæ fit ad nutum prudentiæ ſola temporis diſtinctione, habenda eſt inter mentis receſſus; nam mens pluribus diſtracta curis nec vnum perficit opus. Fortior aſſurgit ad agendum animus ille, qui aliquando quieſcit, dummodo iuxta fabulam Anthæi, non quieſcat in terra, ſed requiem aucupetur è cęlo. Otium non erit, ſed negotium Epiſcopis, ſi ad ſe ipſos regreſſi, poſt egreſſum ad alios, ita agant, vt ſpiritu feruentiores Diui-

nis incumbant precibus, patientiæ ſtudeant, longanimitatem proſequantur, manuſq; ad omnes virtutes apponant. Igitur temperandi quiete laboris, & otio virtutis, occupationum exceſſus, vt ius ſuum cuique tribuatur, nimirum animæ, & corpori; neque enim decet animam, quæ indita Spiritus leuitate rapitur in Cœlum, negotiorum mole grauari, ne poſſit ſurſum attolli. Conferenda ſunt poſteriora prioribus, & accuratè examinandus profectus, quem quilibet Epiſcopus facit in ea vocatione, qua vocatus eſt, ſi in ea verè manſerit, an ab eadem leuiter abſceſſerit, raptus à leuiſſimo ſæculi amore, vel à rerum ſæcularium implicatione, quæ alas non habet, niſi ſuo ponderi adiectas, quibus vi quadam pertrahantur ad ima, vndè nunquam poſſint ad ſpiritualem vitam emergere, vita namque tota in ſpiritu eſt; eóque, quæ ſpiritum tollunt, vel opprimunt, vitam tollunt, vel eamdem opprimunt ad mortem.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In impendenda Orationi opera.

NOn modò animarum Paſtor, ſed Dei Sacerdos quilibet Epiſcopus eſt; ideò tamquam Dei, & hominis mediator quædam agere debet, quæ propria ſunt Sacerdotis officia, quorum potiſſimum eſt orationis ſtudium; cum enim Epiſcopi inter Principes Sacerdotum cõnumerentur, eorumque proprium ſit munus res arduiores cum Deo tractare, ac perſepè etiam ſuis precibus ab imminentibus flagellis iratam Maieſtatem auuertere, ad hæc ritè peragenda nihil ſanè aptius, atque opportunius cenſendum eſt, quàm efficax ipſius orationis medium, quo cœlum ipſum dirumpitur, licet æneum, & exarmatur, licet in clades, & neces armatum. Neque eorum conſilijs hic adhærendum eſt, qui eas tantùm, tamquam præcipuas Epiſcopi partes eſſe definiunt, optimum, & incorruptiſſimũ Iudicem agere, ſuique ſuum vnicuique fideliter tribuere, pauperum cauſis, & egeſtatibus ſemper intendere, doctrinę, & magiſterij officia benè ad animos erudiendos perſoluere, idque genus alia ſollicitè, & diligenter perficere, quibus putant nihil deeſſe ad tangendum Epiſcopalis dignitatis faſtigium, ac ſatis hæc eſſe, ſi omnia ritè impleantur, licet à pio orandi inſtituto negligenter deſiliant; ad eiuſmodi namque abolẽdum errorem Moyſis exemplum proferendum, qui cum perfectiſſimi Paſtoris imaginem præſeferret, licet etiam Aaronis fratris precibus frequenter vteretur ad Deum placandum, ipſe tamen ab oratione nunquam abſtinebat, qua poſſet ſui Domini iram in populum impendentem auuertere, maria diuidere, Pharaonis exercitus proſternere, manna è Cœlo ad Terram aduocare, Amalechitarum agmina fundere, ac tandem de omnibus exteris gentibus triumphos occinere, & inclita trophæa reportare. Quinimo Sanctiſſimi Patres quamplurimi, alijq; non contemnendæ doctrinæ viri in ea fuere ſententia, vt præcipuum perfecti Paſtoris officium in orando collocarent, cunctaque alia in Epiſcopis inania putarent omninò, ac ſuo fructu vacantia, ſi deeſſet oratio. Quod præ cæteris ſenſit, ac præſtitit Sanctus Valerius Hyponenſis Epiſcopus, qui plura Epiſcopalia munera Diaconis diſtribuebat, vt ipſe attentiùs orationi, & contemplationi operam nauaret; ſicque ouium ſuarum ſalutem fortiùs Domino commendaret, ac ſecuriùs obtineret. Quantum vero proſit anima-

marum ſaluti Epiſcoporum oratio,tot indicent Sacræ Scripturæ oracula, ex quibus habemus à Deo,eorum tantùm preces,& orationes exquiri, qui poſiti ſunt,velut Præſules ad aliorū cuſtodiā; nā cū plures in domo,ac familia patiētiſſimi Prophetæ peccaſſent,ipſi Iob, & Deo conuiciantes, noluit Deus ipſis veniam impertiri, niſi poſt effuſas à ſeruo ſuo preces pro amicis, & familiaribus; *idque conſtat apertè ex cap. Iob 42.* immò quoties Deus renuit acceptis offenſis indulgere, toties orationis præſidium ſuſtulit, *vt habemus apud Hierém.* cui præcipit Deus ipſe,ne oret pro populo,qui nolebat parcere. Si orat Elias conſtitutus à Deo populi Præſes, illicò dat pluuiam Æther;ſi orat, vt cœlum ipſum abſtineat à pluuia, repentè clauditur; vt habeamus, nihil eſſe ad laudem Diuinæ bonitatis magnificentius, nihil ad bonorum gloriam ſublimius, nihil ad orationis excellentiam mirabilius, quàm orantis virtus, ſi populo præſit, vel ſit rector admotus Eccleſię Dei regendæ.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In quærenda peccatorum conuerſione.

INter ea, quæ toto nixu ab Epiſcopis quærenda ſunt ad ampliorem Dei gloriam,&ad certiorē animarū ſalutē, potiſſimū occupat locū peccatorū cōuerſio; neq; n. numeri Paſtoralis officij implerentur,ſi oues errãtes non redigerentur ad ouile rectà propoſita via, & errorum abiuratione, non minùs namque neceſſaria eſt Epiſcopalis Prudentia in reliquis bonis pro grege comparandis, quàm pro malis irrepentibus auertendis, *docente D. Auguſt. in Epiſt. 10. Io.* Longè maius charitatis indicium eſſe in Paſtore,malum ab ouibus ſuis auertere, quàm bonum eiſdem præparare. Hoc igitur charitatis inſigne ab Epiſcopis eſt pręferendum,cum ſint venatores animarum, quas telo contritionis confodere neceſſe eſt, ne aufugiant manibus abſoluentibus ad medelam, & ne pereant à criminibus vulneratæ. Is verus eſt Paſtoris amor *inquit D. Greg. in Paſtoral.* erga oues morbidas, ne totum corrumpatur ouile; hæc vera diligendi ratio in Patre,ne filij perdãtur in Gehenna, ne mergantur in abyſſo. Hinc illa mirabilis tot Sanctorum Epiſcoporum charitas erga ſuos proximos, qua pro ipſorum ſalute mortem ſubire, & acerbiora tormēta ſubire nunquam veriti ſunt; hæc denique diligentior cura ipſis demandata, vt inter oues paſcendas nullus ſit hædus damnandus. Quò reſpiciens *D. Dionyſius,* ſolebat dicere, Diuinorum Diuiniſſimum eſſe cooperari Deo in conuerſione animarum ad ipſum, nullumque Deo gratius ſacrificium eſſe quàm à tartari faucibus peccatorem eripere; tunc enim *ſubdit D Gregor.* mirabiliter ſurgit in altum charitas Epiſcoporum, cum peccatores eleuat ab imis inferorum; hocque potiſſimum zelo, & pereuntium animarum amore, debent Epiſcopi omnes eſſe ſuccenſi,quia ipſis exemplum detulit amor Chriſti, præſertim erga peccatores, pro quibus dumtaxàt ſpontè oblatus voluit immolari; non enim venit vocare iuſtos, ſed pecatores. & longè maius eſt gaudium in cœlis ſuper vno peccatore pęnitentiam agente, quàm ſupra nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia. Quomodo ergo ad promouendam peccatorum ſalutem deſinet eſſe ſollicitus Epiſcoporum amor, ſi tot, ac tanta edidit Chriſtus ſuæ redemptionis miracula, vt per gratiam in ipſis omnia peccata deleret? Sic loquitur ad Epiſcopos negligentes ſalutem animarum *D. Chryſoſtomus.* Si huius

rei

rei gratia neceſſe ſit Epiſcopos vigilare, ſi laborare, ſi opes expendere, ſi aduerſus ſæculi potentes decertare, ſi odia, inuidiamque perſequentium ſubire, ſi ardua, & longa itinera ſuſcipere, ſi pericula omnia ſuſtinere, nihil ſanè ipſis deuitandum eſt, vt vnius animæ peccantis lucrum faciant, Apoſtolum imitantes *apud Corinthios*, qui nuditatem, inediam, frigora, ieiunia, flagella, carceres, vincula, & alia innumera pertulit mala, vt mortuos ex culpa ſuſcitaret ad vitam.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In exercendo contemplationis ſtudio.

Sit Epiſcopus, *ſic adhortatur D. Gregor. in Paſtoral. par. 2. cap. 5.* ſingulis per compaſſionem ſocius, ſuper omnes contemplatione ſuſpenſus, interiorum curam exteriorum occupatione non minuens, exteriorum prouidentiam internorum ſollicitudine non relinquens. *Additque D. Auguſtinus apud D. Thom. p. 2. 9. 135. art. 2.* non eſſe ab Epiſcopis ob Sarcinam ſpiritualem delectationem contemplationis vnquam deſerendam. Contemplatio cibus eſt animæ, quo conſortantur Epiſcopi ad laborandum in vinea Domini, & ad portandum pondus diei, & æſtus, grauante humeros negotiorum mole, eſt manna, quod cœlitus datur, ſed dimiſſis Ægypti cepis, & allijs, eſt fons aquæ viuæ, rigans omnia virtutum exercitia, ſed non eſt exſiccandus, aut perturbandus terrenorum iniecto luto. *Hac habens ex D. Bernardo ad Eugenium.* Inter curarum vertigines cor Paſtoris nunquam quieſcens illius ſpiritus dulcedinem non capit, de quo dictum eſt *in Eccleſiaſt. c. 24.* Spiritus meus dulcis ſuper mel. Fauum dulciſſimum Deuotionis non conficiunt bruta ſæculi luto ſemper inuoluta, ſed apes ſollicitè volantes ſuper flores vitæ Chriſti. Corruit anima exteriùs ſemper occupata, nec reſurgit, niſi accedente orationis ſtudio, quod ſolitariè ſolet exerceri. Liæ amplexus, per quam ſæculi cura deſcribitur *à D. Greg. Epiſt. 62.* Rachelis amplexum impedit, quæ eſt Diuinorum meditatio, idque ipſe ſcribit ad Epiſcopum Carthaginenſem, qui dum terrenis negotijs nimium intenderet, è Spiritu ad vanitates corporeas omninò defluebat. Timeo tibi Eugeni *ſcribebat D. Bernardus ad Summum Pontif.* ne multitudo continua negotiorum intermiſſa oratione, & conſideratione, te ad cor durum perducant, quod deuotione non incaleſcit, compunctione non ſcinditur, compaſſione nō molleſcit, & ſe ipſum non exhorret, quia nec ſentit. Vnicum laborum Epiſcopi refrigerium eſt, quandoque ad ſolitudinem confugere, ad orationem, ad meditationem, nam Apoſtoli ipſi, cum renunciaſſent Domino omnia, quæ egerant, & docuerant, iuſſu eiuſdem Domini in deſertum ſe receperunt, vt puſillum quieſcerent, nihilque dignius, & vtilius in Epiſcopo pro ouibus ſuis, quàm frequenter orare, & Chriſti paſſionem meditari, vnde roboratur ſpiritus ad pugnam, & armatur ad prælium; *Et Beatus Macharius Ægyptius ſolebat dicere*, quod oratio, & contemplatio eſt caput totius boni, & vertex omnium actionum honeſtarum. Attendite vobis, & vniuerſo gregi *habetur ſermo ad Epiſcopos in actibus Apoſtolorum c. 20.* vbi notat *D. Ambroſ.* primum dici, attendite vobis, poſtmodum vniuerſo gregi, vt intelligerent Epiſcopi omnes primam curam habendam eſſe de oratione, & contemplatione, deinde curandum eſſe gregem, cum omnia debeant

beant ſpiritui inſeruire, & eſſe à Deo capienda omnia rerum initia, ne caput ad vilitatem pedum deprimatur, poſt igneam orationem debent remanere cineres ęſtuantes ad tempora negotiorum.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In obeundo Prædicationis munere.

EX pluribus Concilijs, ſed præſertim *ex Carthaginenſi 4.* iniungitur Epiſcopis prædicandi onus; cùm eos dederit Chriſtus Eccleſię, non Paſtores dumtaxat, ſed etiam Doctores, vt paſcant oues ſuas doctrina, & exemplo; ſanctorum Apoſtolorum imitatione propoſita, quos miſit in vniuerſum mundum, Euangelium prædicare, & teſtificari. Hæc duo potiſſimùm curæ Paſtorali inſolubiliter adnexa ſunt, nimirum, vt benè Eccleſiam regant, & verbo Dei gregem paſcant, quæ omnibus indiſcriminatim præcipiuntur à Sanctis Patribus Gregorio, Ambroſio, Auguſtino, qui fuerunt optimi Eccleſiæ Rectores.& Concionatores eximij; & D. ipſe Chryſoſtomus Prædicator egregius ſolebat dicere, ſe malle animam in ſuggeſtu concionum exhalare, quàm cohibere ſermonem, vel frænum linguæ inijcere, vbi contra populorum crimina eſſet clamandum *iuxta illud D. Pauli ad Thimot.* argue, increpa in omni doctrina, &c. ex quo poſtmodum inoleuit in Eccleſia, haud idoneos ad curam animarum eos reputari, qui non eſſent potentes opere, & ſermone oues ſuas ad terrenorum cõtemptum, & ad cœleſtium amorem inflammare; nec Epiſcopos ea inculpabiles reddit excuſatio in hac re, quod ad munus prædicationis obeundum alij vtantur, qui forſitan ſeipſis in docendo, & dicendo ſint idoniores; nam in Concilio Hiſpalenſi, quod celebratum eſt anno 630. ſtatutum eſt, quod præſente Epiſcopo non liceat Presbyteris populos docere, vel adhortari, nam Paſtoris ſermo, licet minùs docti, & idonei, fortior eſt ad ſuadendum quocumque alio ſermone, præſertim ſi dictis adiungantur exempla, iuxta illud Poetæ,, Segniùs irritant animos demiſſa per aures, quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, &c. Audiant igitur Epiſcopi omnes illud Sethro conſilium, & ſibi dicta putent illa Moyſis verba, Eſtote vos in his, quæ ad Deum pertinent, illi, qui referatis, quæ ad Deum ducunt, viamque oſtendatis, per quam ingredi debent. Summus Pontifex erat D. Gregorius, & tamen licet plerumque prouinciam alijs demandaret, ipſe ſe ita aſtrictum ad hoc munus agnoſcebat ex officio, vt cum dolore illud ſemper intermitteret, vnde cum ſcriberet ad Epiſcopos, & præſertim ad Dominicum Epiſcopum Carthaginenſem, eos in Epiſtolis hortabatur, vt accepta à Deo talenta non foderent in terram, néue abſque lucro animarum ſegniter ſepelirent; cùm eorum negotium potiſſimum ſit, loquendo animas Deo lucrari. Sic ſcribens idem D. Gregorius ad Epiſcopum Antiochenum ait, cum venis ad Eccleſiam, puta te velut fluuium ad arida ſaxa venire, quæ indigent irrigari, vt per fluenta linguæ, tandem ex ipſis erumpant flores vſque ad fructus maturitatem, lingua tua ſit fomentum bonis, aculeus malis, tumidos retundat, iratos mitiget, pigros, ac deſides exacuat, aſperis blandiatur, deſperatos conſoletur.

PRV-

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In ſuſcipienda Eccleſiarum, Clericorum, & populorum Viſitatione.

INdex omnium Paſtoralium virtutum amor Paſtoris eſt erga ſuas oues, *inquit D. Bernardus in ſuis Epiſtolis*, nec alibi amor is flammantiùs ardet, quàm in obeunda Diœceſis viſitatione, ad reparandum Diuinorum cultum, atque ad promouendam animarum ſalutem; quò enim quis diligit vehementiùs, eò etiam proſpicit attentiùs, vt omni ratione, ac præſertim actuali viſitatione proſit ijs, quorum curæ cenſetur admotus. Nemo ſanè *ait D. Greg. in Epiſt. ad Epiſcop.* libentiùs labores viſitandi ſuſcipit, nemo per montes, & valles, per Oppida, & Caſtella diſcurrit, vt omnibus ſuis prouideat, quàm Epiſcopus ille, qui charitatis amore ſuccenſus, nulla pauet pericula, & nulla exhorreſcit incommoda, vt oues errantes ad ouile, à quo erant auulſæ, ſollicitè reducat; Ideò Epiſcopus omnis, ſi boni Paſtoris vult nomen obtinere, ex conſilio eiuſdem D. Gregorij debet iugiter per ſuam Diœceſim viſitando pertranſire, vt curet, & ſanet omnes, eos potiſſimùm, qui non poſſunt ad ipſum ex impotentia venire, idque exemplo Chriſti Domini, qui pertranſibat curando, & ſanando omnes. Neque à viſitatione debent Epiſcopos deterrere labores, cum ſint ſuarum vinearum agricolæ, qui debent iugiter adlaborare, vt ſpinas, & tribulos euellant, & æqua animi conſtantia debent montes, & valles peragrare, æquè vias planas, & vias aſperitate vrgentes, vt apud ipſos, qui verè Paſtores ſunt, vbique locorum inueniant oues, vbi paſcua inueniant; omnes quotquot adueniunt, cœleſti pane reficientes, omnes ſacro Chryſmate roborantes; ſitque Epiſcopis leuamen laborum animas Deo lucrari, templa in deperditum cultum reſtituere, Sacella in meliorem formam redigere, Oratoria nobiliùs exornare, Sacras Supellectiles adaugere, Clericorum mores reformare, & quæcumque alia ad normam veræ ſanctitatis, vel inſtituere, vel conſeruare. Verè Apoſtolicum munus eſt, Eccleſias, & populos ſingulis annis, ſi fieri poteſt, inuiſere, vt tollantur abuſus, & reliqua iuxta Conciliorum præſcripta perficiantur, vt Sacramenta per manus Epiſcoporum adminiſtrentur, & animæ fidelium in fide, & charitate ſolidentur; & hoc erat opus eximium D. Pauli, qui inceſſabili peregrinatione de gente ad gentes permeabat, is erat labor nunquam intermiſſus ab Apoſtolico in proximos charitatis feruore. Nullum Sacrificium Deo gratius *inquit D. Gregorius in Paſtorali*, quàm per omnia loca diſcurrere, vt conquirantur animæ factori ſuo, ſubditque D. Dionyſius, eſſe omnium Diuinorum Diuiniſſimum cooperari Deo in reductione animarum ad ipſum, quod præ cæteris fit, quando ad animas ipſas præſentialiter ſe transferunt Epiſcopi per viſitationem; tunc enim in altum eorum charitas ſe maximè attollit, cum ad ima proximorum ſe misericorditer inclinat.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In contemnendo faſtu.

NOn reſpondet inanis faſtus Euangelicæ vitæ, atque Apoſtolicæ humilitati, quam Epiſcopi in altiſſimo perfectionis culmine collocati debent profiteri. Tot greges famulantium

tium, tot adulantium catervæ, tot vaſa auro, argentóque nitentia, tanta denique ſæcularis apparatus pompa, ſunt inconſona illa amplitudinis oſtentamenta, quæ Paſtoritiam lædunt Maieſtatem, quæ ex charitate, & humilitate conſurgit; à Sanctis enim Patribus ſæpè definitum eſt Epiſcoporum magnitudinem potiùs in onere, quam in honore poſitam eſſe, nec tam eſſe Principatum, quàm miniſterium, nec tam dominiũ, quàm liberam, & ingenuam ſeruitutem *iuxta illud D. Bernardi in Epiſt. ad Rom.* 11. in omnibus Apoſtoli exemplo miniſterium veſtrum honorificate, miniſterium, inquit, non dominium, vel imperium, quod quidem honorificatur non familiæ ſplendore, non auri, vel argenti pompa, non faſtu equorum, non amplis ædificijs, ſed vitæ integritate, morum ornatu, ſtudijs ſpiritualibus, ac denique cæteris bonorum operum exemplis. Opus eſt, & labor, Epiſcopatus officium, non otium Principatus, *ait D. Hieronymus ſuper illud Apoſtoli* ſi quis Epiſcopatum deſiderat, &c. hocque exigit non creſcere faſtigio, ſed humilitate decreſcere, vt ſeruus ſeruorum Dei fiat verus miniſter, & imitator Chriſti. Aut perſona Principis eſt Epiſcopo deponenda, ſi cum faſtu geratur, aut Epiſcopale officium abijciendum eſt; non enim inter ſe cohærere poſſunt; perſonam Principis agere, & humilitati conſentire. Soli virtuti Epiſcopali debetur honor, ſi ſit conſociata dignitati; & faſtus in quocunque, ſed præſertim in Epiſcopo contemnitur, cui à phaleratis ornamentis non eſt quærenda extrinſecus gloria, ſed ab intima animi moderatione, quæ lex eſt totius honeſtatis; *id Cicerone ipſo in Tuſcul. 3. adprobante*, vbi ait, quod gloria vera, res quædam ſolida eſt, non vanida, non adumbrata, cui conſentit proborum hominum laus, & incorrupta vox benè iudicantium de excellenti virtute. Non igitur ex inanibus ſplendoris inſignibus gloria ab Epiſcopis colligenda eſt, ſed ex veris honorum fontibus, qui ſunt non fucatæ virtutes, ex quibus ſæculi Principatus quàm longiſſimè diſtant ab Eccleſiæ Principatu; cùm tamen etiam quamplures ſæculi Principes non in faſtu regni præſidia poſuerint, ſed in ipſius maieſtatis contemptu, ſola imperante virtute, opinantes virtutis excellentiam ſupra ſceptra, & diademata margaritis nitentia ſplendidiùs collucere. Impares ſe fecere Epiſcopis in maieſtatis ſplendore Imperatores ipſi, Principes potentiſſimi Epiſcopo Turonenſi Martino, Carthaginenſi Auguſtino, Neocæſarienſi Gregorio, alijſque quamplurimis, ex eo dumtaxat, quod humilitatem inter ſæculi pompas, & parcitatem in rebus exterioribus perpetuò ſeruarent omni prorſus immunem à faſtu: nec pro Epiſcopis inducenda ſunt vanitatis exempla à temporum decurrentium corruptela; conſtat enim malorum omnium fontem eam ſemper fuiſſe naturæ labem, qua quilibet ſibi adblanditur propoſitis ad imitandum ipſius naturæ vitijs, remota quacunque virtutis conſideratione; cum tamen omni æuo laudata, vel ſaltem laudabilis fuerit rerum parcitas etiam inter copioſos opulentiæ theſauros, quibus nunquàm fas fuit abuti in alienam perniciem, & maximè ad augendam pauperum miſeriam, quæ verè magnum caperet incrementum, ſi Epiſcopi bonorum Eccleſiæ largitores, ac pauperum parentes aliò diuerterent collatas opes, & in faſtuoſis, ac ſuperfluis ſumptibus collocarent.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In temperando luxu.

NIhil frequentius à Sanctis Patribus proponitur Epiſcopis, quàm modus in rerum vſu, vt frænum luxui inijciatur, ne Apoſtolica parcitas ab ipſarum domibus, & familijs penitus exturbetur, *præ cæteris de Sancto Exuperio Epiſcopo Tholeſano, ſcribit D. Hieronymus lib. 1. Epiſt.* quod Viduæ Saraptenſis imitator ſemper eſuriuit, vt alios paſceret, & quod ieiunijs ſemper palluit, ne fame torqueretur aliena; cũ fuerit tamen omnibus Epiſcopis ditior, licet Domini Corpus caniſtro portaret vimineo, & ſanguinem portaret vitro. Quid hoc exemplo mirabilius, *inquit D. Hieronymus*, cum Domini Corpus, nec ipſis Angelorum manibus digne tractetur, & tamen caniſtro vimineo circumferatur, vt pauperum indigentia ſubleuetur, vt pauperes alat Exuperius, nec ſuis parcit facultatibus, nec ipſis pepercit Altaribus, & vt algentes, nudoſque veſtiret, Altaria quoque ipſa nudauit; hęc verè ſplendida domus Epiſcoporum eſt, hæc parſimonia, quam luxu familia ſplendidior; & Roma ipſa, ex cuius parcitate diu totius orbis ſtetit, & rutilauit imperium, ſolo luxu collapſa eſt in ruinam. At in re tanti ponderis omnino ſuperuacaneum eſt aliunde adſuadendum rationes exquirere, quàm à ſacra Tridentina Synodo, quæ præſertim ad erudiendos Epiſcopos inſtituta eſt; habentur enim hæc verba *Seſſ.* 25. c. 1. optandum eſt, vt ij, qui Epiſcopale miniſterium ſuſcipiunt, quæ ſuę ſint partes agnoſcant, ac ſe non ad propria commoda, non ad diuitias, aut luxum, ſed ad labores, & ſollicitudines pro Dei gloria vocatos intelligant; nec enim dubitandum eſt fideles reliquos ad religionem, innocentiamque facilius inflammandos, ſi Præpoſitos viderint, non ea, quæ mundi ſunt, ſed animarum ſalutem, ac cæleſtem patriam cogitantes. Hęc cum ad reſtituendam Eccleſiaſticam diſciplinam præcipua eſſe Sancta Synodus animaduertat, admonet Epiſcopos omnes, vt ſecum ea ſæpè meditantes, factis etiam ipſis, ac vitæ actionibus (*quod eſt veluti quoddam perpetuum prædicandi genus*) ſe muneri ſuo conformes oſtendant, in primis verò ita mores ſuos componant, vt reliqui ab eis frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, ac ſanctæ humilitatis exempla petere poſſint; quapropter exemplo Patrum noſtrorum in Concilio Carthaginenſi, non ſolùm iubet, vt Epiſcopi modeſta ſuppellectili, & menſa, ac frugali victu contenti ſint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eorum domo caueant, ne quid appareat, quod à Sancto hoc inſtituto ſit alienũ, quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præſeferat. Hactenus Tridentini Concilij verba, quæ ſatis hoc iure omnem excuſationis aditum Epiſcopis præcludunt, dum regulas omnes temperandi luxus exactè præſcribunt.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In grauitate, & affabilitate ſeruanda.

STudium eſt cuiuſcunque virtutis, ſed Prudentiæ potiſſimum medium in rebus agendis inuenire, vt cautè declinentur extrema, ne ducenda ratis allidat ad ſcopulos ex imperitia naucleri; & maximè laborioſum ſemper fuit Epiſcopis dignitatis faſtum, quo ſæpè turgent, qui elati animi ſunt, grauitate, & affabilitate temperare; ideò

de hac re monita à D. Bernardo accipienda ſunt, lib.4. de Conſider. ad Eugen. vbi Pontificem alloquens, hæc habet. Eſto grauis, ſed non auſterus, non diſſolutus, neque ſeuerus, ſed mediocritatem tene, vt neque de ſeueritate ſis oneri, neque de familiaritate contemptui; auſteritas fugat infirmiores, grauitas reprimit leuiores. In cathedra Pontificem, domi te Patremfamilias exhibe, ament te omnes, ſi non, fac vt timeant. Sis igitur actu ſeuerus, ſed habitu dulcis, vultu ſerenus, ſed verbo ſerius. Iuſta quidem auctoritas, & reuerentia neceſſaria eſt in Epiſcopis, *inquit D.Gregor. Epiſt.* 59. at eos reuerendos, aut timendos non debet facere faſtus, non pompa, ſed grauitas, pauperculis, ac ſimplicibus ſe ſemper exhibentes faciles, ac omninò acceſſibiles, & quandocumque etiam iniqua, vel non concedenda petantur; non ideò durè, aut aſperè cuique reſpondendum, ſed leniter; omnis Euangelica perfectio, quæ debet eſſe in Epiſcopis ad ſtudium humilitatis, & manſuetudinis reducitur, docente Chriſto, diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Ea charitas (*ſubdit D. Bernardus ſerm.* 23. *in Cantic.*) Prudentiæ Epiſcopali adnectenda eſt, quæ cum arguit mitis ſit, cum blanditur ſimplex ſit, quæ ſemper piè ſæuiat, mulceat ſine dolo, patienter iraſcatur, humiliter indignetur, læſa non prouocet, ſpreta reuocet; quæ omnibus ſe conformet, & omnium in ſe transferat affectus. Audiant Epiſcopi omnes dulciſſimi præceptoris oracula, qui docuit Apoſtolos, omneſque diſcipulos ſuos, vt quibus ſibi commiſſis ſemper eſſent vtilitati, nunquam formidini, diſcant eſſe ſubditorum Patres, non Dominos, non ex imperio Tyrannos; ſtudeant, vel magis amari, quàm metui, vel æquè amore, ſcilicet, & metu ſibi obſequium prouocare; Et ſi interdum rigido opus eſt aſpectu, non deſinant etiam eſſe ſuaues, ita vt etiam inter verbera diritatis producantur vbera pietatis. Medicus aſper ſemper terret ægrotantem, raró languentem curat, & ſola illa ſolet medicina prodeſſe, quam perficit dulcis, & ſuccus amarus. De benignitate, & ſuauitate Paſtorum plura alia congerit *D. Bernard.* ſcribens ad Eugenium, & in alijs ſermonibus, & Epiſtolis, quę non expedit hic ſingillatim recēſere, cum etiam in ſequentibus tangenda ſint. Pro coronide ſint ea, *quæ ſcribit D. Auguſt. Epiſtola* 64. *ad Aurelium Epiſcopum*, in qua, vbi deprehendit deprauatam Aphricæ conſuetudinem, ſcilicet, quod ſæculares celebrabant magna conuiuia in Cæmeterijs ad honorem Martyrum, docet ibi, quomodo ſe debet habere Epiſcopus ad illos tollendos abuſus, qui tot habebant ſectatores. Quantum exiſtimo *inquit D. Auguſt.* non aſperè, non duriter, non modo imperioſo hęc mala tollenda ſunt, ſed magis docendo, quàm iubendo, magis monendo, quàm minando; ſic enim cum multitudine peccantium agendum eſt, & ſeueritas in peccata paucorum exercenda eſt, & ſi quid ſeuerè minamur, cum dolore fiat, comminando vindictam ex ſcripturis, ne nos ipſi in noſtra poteſtate, ſed Deus in noſtro ſermone timeatur.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In agendo, & loquendo.

EX *c. Qui Epiſcopus, & ex Concil. Carthaginenſi* 4. *cui interfuit D.Auguſtinus hæc habentur.* Qui ordinandus eſt Epiſcopus, antea examinetur ſi ſit prudens, ſi docilis, ſi moribus temperatus, ſi per-

uigil, ſi in agendo, & loquendo cautus; nam propter ſtolidam ſimplicitatem vnuſquiſque ab Epiſcopatu repellendus eſt. Et etiam *ex c. Petrus diſt.* 29. habetur, quod ad regimen Epiſcopatus aſſumendus eſt; qui non ſolùm de ſalute animarum, ſed etiam de extrinſeca vtilitate, & cautela ſciat eſſe ſollicitus; ſit humilis, & affabilis, cautus, & acutus, qui ſemper agat iuſta, & recta loquatur. Præcipitur itaque Epiſcopis *ait D. Bernardus*, vt manus ſuas mittant ad fortia, & ſemper agant ex fortitudine, cùm debeant eſſe illi fortes armati, quibus commiſſa eſt Eccleſiæ cuſtodia; cùm ſint ſpeculatores illi; quibus demandatum eſt, vt omnia è longinquo præuideant & omnibus prouideāt dirigente prudentia, ita tamen prudentes ſint in agendo, vt etiam ſint ſemper ſimplices in loquendo, ſintque vnà ſerpentes, & columbæ. Illi Epiſcopi, qui præcipitanter, & ab abſq; te prguio conſilio res agunt, plerumq; te eos pœnitet factorum, ideò in ſcripturis habetur ſæpiùs, nihil eſſe agendum inconſulta agendi ratione *iuxta illud Prouerbior. 4.* Palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos; & præterim in agendo duo extrema cauenda ſunt, nimirum inconſtantia, & pertinacia; inconſtantia, quia ortum ducit ab animi leuitate, quo nihil ſtultius, *cum dicatur in Prouerbijs 15.* Cor ſtultorum diſſimile, & quilibet homo, dum agendi mutabilitate ſe varium exhibet, nunquam ſibi conſtans manet; pertinacia vero, quia naſcitur à ſuperbia, quà nihil deterius, cum Deus ipſe ſuperbis reſiſtat, & homo dum ſe meliorem cæteris æſtimat, hoc ipſo cunctis peior innoteſcit. Plures ſunt Epiſcopi, *inquit D. Bernardus*, qui nequiter, & inutiliter præſunt; pauci, qui rectè, & vtiliter, idque defectu virtutis, & charitatis, quæ perficit omnia; in omnibus magiſtra boni operis Prudentia eſt, ſine qua & feruor vehemens imperfectio eſt, & quilibet auſus non fortitudo, ſed temeritas eſt; cum in omni re agenda conſiderandum ſit, an liceat, an deceat, an expediat. Petant ergo Epiſcopi omnes ſummis cum precibus, ac lachrymis hanc à Deo cœleſtem mentis indaginem, vt in agendo, & loquendo teneant æquitatem, humanitatem, & facilitatem cum prudentia coniunctam; ferendi ſunt enim ab ipſis patienter multorum angores, & etiā difficiles mores multorum ſuauiter ſuſtinendi, ſi velint numeros omnes boni regiminis implere; plura quoque, quæ apertè non dignoſcuntur mala, prudenter ab ipſis diſſimulanda, ne in his videndis, & corrigendis ſummum Ius fiat iniuria ſumma, eo quandoq; vtentes politicę documento, benè imperat, qui prudenter diſſimulat; prudens namque diſcretio, & diſſimulatio perſę è delinquentium ſalutem operatur, *id atteſtante D. Proſpero l. 2. de vita contemplatiua cap. 5.* cùm non deceat ſemper mala ſummâ ſeueritate corripere, ſed multa Epiſcopali magnanimitate portare. Abſit verò, vt aliquis Epiſcopus illam mundanæ prudentię regulam ſeruet, quæ Imperatoris cuiuſdam nomine prædicatur, nimirum, quod ſit maximè incongruum Imperantis dignitati, quod aliquis triſtis abſcedat à conſpectu Principis, nam ea verè Epiſcopalis prudentiæ lex eſt, quod vbi opus ſit, Epiſcopi ſeuerè agant, & loquantur, nullo habito perſonarum reſpectu.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In ſuſtinendis aduerſis.

EXhibent Sanctiſſimi Patres, vt Epiſcopos adhortentur ad rerum aduerſantuum

ſantium patientiã illud Ezechielis oraculum *c.2.* vbi dicitur animarũ Rectores mitti ad gentes apoſtatrices, ad duros facie, ad indomabiles corde, ad irritatores, ad ſubuerſores, ad incredulos; ad domum exaſperantem, denique ad ſcorpiones, vt intelligant patientiam, & æquanimitatem in omnibus ex aduerſo contingentibus eſſe ſeruandam ab ipſis inflexo animi robore, & nuſquam nutante ipſius mentis conſtantia. Non eſt vir fortis, *aiebat Sapiens*, cui non creſcit animus in ipſa rerum difficultate; & D.Bernardus ſcribebat ad Eugenium Papam, eſſe fideli Dei miniſteriorum diſpenſatori magis inter aduerſa fidendum, quàm inter ea, quę votis adſpirant, cum vt plurimum, quę ſuccedunt ad votum, non ſint ſecundùm Deum. Suſtinenda ſunt mala, ita vt ſemper ſperentur bona, nec vnquam animus deponatur; eſt namque fluctuãtis naturæ inſtitutum, vt bona proueniant poſtquam mala præceſſerint; *ait enim Apoſtolus ad Romanos* 8. quod Epiſcopi non accipiunt ſpiritum ſeruitutis in timore, ſed in omni fiducia; & animus, qui ſolum Deum præ oculis habet, nulla agitatur triſtitia, nullo pauet aduentu, nullis iactatur procellis, licet ſit quaſi in procella nauis; vt bene de Epiſcopo quocunque ſcripſit Chryſoſtomus *l.3. de Sacerd.* qui addidit, fluctus animos Epiſcoporum concutientes eſſe cæteris infeſtiores, at non propterea eſſe metuendos, ſed fiducia, & fortitudine eſſe vincendos. Aaron quoque voluit Deus, vt in campum deſcēderet cum Moyſe cum hoſtibus pugnaturus, at dumtaxat, vt ipſis tentaretur, non vero, vt profligaretur; paratus namque animus ad malum, nec mali medietatem patitur, neque perſentit, cum ſemper minùs mala, quę prçuidentur, & ſine metu tolerantur, quàm illa, ad quorum occurſum mens pauida contremiſcit. Omnis amaritudo animi vndecunque proueniat, repellenda eſt, nam Paſtoralis fortitudo omnem ſuperat amaritudinem, eamque vertit in dulcedinem, & pugnę victricis lętitiam. Induere fortitudine *ſcribit D. Bernardus ad Præſulem quendam* confidens, & ſciens, quod gaudiũ Domini fortitudo tua eſt, ne horreas labores, inſidias, & pericula, quia horum omnium artifex eſt ille Deus, qui dicitur fortis, & patiens, longanimis, & multum miſericors. Ardet palea *ſubdit D. Auguſt. Pſalm.* 61. ſed aurum igne purgatur non conſumitur; incurſantibus obſiſtere ſatis eſt. Oportet igitur Epiſcopos aduerſa omnia patienter portare, vt dignè portent onus impoſitum, non animo frangi, non puſillanimitate ſuperari; omnia namque poſſibilia ſunt Epiſcopo credenti, & volenti. Seruiendum eſt Deo ab Epiſcopis in illa charitate, quę omnem timorem expellit, quæ labores non ſentit, quę inter dura, & aſpera magis obdureſcit, vt pugnet, & vincat.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In eludendis inſidijs.

PVſilli admodum animi eſſet *ait D. Proſp. de vita contempl. c.*16. Epiſcopus ille qui inſurgentibus ſubditorum, vel Principum inſidijs, illicò onus impoſitum vellet excutere ab humeris, vt propriæ quietis tranquillitati indulgeret; non ſic egere Athanaſij, non ſic Chryſoſtomi, non ſic alij plures Sanctiſſimi Patres, qui quò magis ſæuiebant hoſtilia, eò fortius pro Eccleſia decertabant, omnes eludentes inſidias, quibus oppugnabantur, vſque ad interitum. Turbines etiam repente excitati aereum, ſed non æneum ſpiritum concu-

concutiunt, & tametſi quandoque animum flectant, non frangunt; cóſque ſola deludit conſtantia, & vitæ probitas: Veniant coniurati omnes ad Claſſica venti, non quatitur Cymba, cui arridet Olympus. Labor eſt tamen, & opus Epiſcopalis Prudentiæ ab inſidioſis cauere, nec eos ad texendas inſidias excitare; nam mala nobis ſine nobis occurrentia, vt plurimum, vel leuiter angunt, vel leuiter tangunt, nec perſentiuntur ab infracto animi robore; omnis enim aduerſitas *inquit D.Gregorius Epiſt.* 126. quæ bonis votis objicitur, probatio virtutis eſt, non indicium reprobationis. Non poterit ſanè Epiſcopus fortiter non agere inter inſidias, quę ex eius zelo aliorum prauitate parantur, ſi mente recogitet illud Domini verbum. Beati eritis, cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientès propter me, gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis, &c.; Eſt enim vere feſta dies illa, quæ tantam affert exultationis materiam, & fauet Epiſcopis illud Sapientis Oraculum, Dixerunt impij, circumueniamus Iuſtum, quoniam contrarius eſt operibus noſtris. Frumentum Chriſti ſunt Epiſcopi, dentibus beſtiarum moluntur, vt panis mundus efficiantur. Multitudine inſidiarum oppreſſos debent illa verba Spiritus Sancti ſolari, Recti diligunt nos, Innocentes, & recti adhæſerunt nobis, quia ſuſtinuimus; nec deerunt multi boni ad ſolatium, vbi adſunt plurimi peruerſi ad patientiæ, & humilitatis exercitium, cùm omnis malus ex D. Auguſtinó, aut ideo viuat, vt corrigatur, vel vt per eum bonus exerceatur: Non eſt grande *inquit D. Gregor. Epiſt.* 24. *l.* 2. ijs humiles eſſe, qui ab omnibus honorãtur, ſed magnum virtutis opus eſt inter deſpectiones, inſidias, & contumelias, etiam iniuſtè latas, humiliter de ſe ipſis ſentire, nec à meta rectitudinis propoſitæ recedere; nam, & Dauid inimicorum inſidijs conflictatus ſolebat dicere. Vide humilitatem meã de inimicis meis; qua poſtmodum humilitate ad celſiora euectus eſt gloriæ, & ſanctitatis culmina. Sunt inſidiæ, quas conſtruunt improborum ſtudia aduerſus Epiſcopos, pennæ illæ ad volatum paratæ, quibus in ſublime tolluntur inter aereas concuſſiones, nec ipſis deluditur Epiſcopalis Prudentia, ſed prudentior efficitur, vt inſidiarum molitores deludat; Sunt res illæ ſiniſtræ, quæ vertuntur in dexteras, ſi bonus, & prudens vſus adhæreat; his planè verbis Anaſtaſium Epiſcopum non ſemel habemus *D. Gregor. Epiſt.* 27. alloquutum eſſe, vt eas interritè ſuſtineret, & caperet de afflictione ſolatium.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In Puſillanimitate repellenda.

LOngè abeſſe decet cuiuſcumque cor Epiſcopi ab illa animi imbecillitate, quam comminatur in pœnam Deus *in Deut. cap.* 28. vbi ait, Dabit tibi Dominus cor pauidum, & animam mœrore conſumptam, ſed potiùs addecet, vnumquemque Epiſcoporum illis confortari verbis, quæ ad Ioſue protulit Moyſes, cum illum fecit populi ducem, confortare, & eſto robuſtus, tu enim introduces populum iſtum in terram promiſſam, &c. Verum quidem eſt, *vt fatetur D. Chriſoſt. l.* 3. *de Sacerd.* quod fluctus animum Epiſcoporum concutientes crebriores, atque infeſtiores eſſe ſolent ventis ipſis mare perturbantibus, attamen tunc vel maxime animi robore, & fiducia opus eſt, vt omnes

inſu-

inſurgentes deludantur fluctus, eludantur tempeſtates; ſcribit namque *D. Bernardus ad Eugenium Papam*, quod non eſt vir fortis, cui non creſcit animus in ipſa difficultate; nunquam enim magna bona Epiſcopis proueniunt, niſi eos ſpes, & fiducia inter magna mala proueniat. In ipſa igitur malorum, & calamitatum congerie conſtanter ambulandum eſt, ijs præſertim, qui non acceperunt ſpiritum ſeruitutis in timore, & animus ille, qui Deum præ oculis fiducialiter habet, nulla ſpiritus puſillanimitate in agendis conſtringitur, ſed ſemper erectus, & ubi ipſi pat etiam in rebus, quæ ſunt metuendæ, nullo metu deijcitur, aut conſternitur; & Ioſue ſi inter Amalechitarum pericula fuiſſet pauore correptus, aut diffidentia captus, de ipſis victoriam, & triumphum lætabundus non ceciniſſet: Paſtor *inquit D. Gregorius* animo vilis ad feræ occurſum ſe ipſum, & oues perdit, nec Dauid curam ſui gregis exercens, cum adhuc paſtoritio fungeretur munere, ſi timuiſſet lupos, vrſos, & leones inuictè profligaſſet. Non accedat ad bellum *loquitur D. Auguſtinus*, qui tubæ clangorem exhorreſcit, & armorum ſtrepitum reformidat. Duces ſunt militiæ cœleſtis Epiſcopi, non milites gregarij, nec duces addecet in bello de victoria diffidere, nec in pugna animo conſternari. Ad mentis conſtantiam, non ad animi deiectionem in aduerſantibus recurrendum eſt, & memores ſint Epiſcopi *ſcribit D. Gregorius ad Patricium*. quod ex officio vocantur ad fortia, iuxta illud Eccleſiæ Romanæ, non Romuleæ Gentilitatis proprium elogium. Agere, & pati fortia Romanum eſt. Perſtrepant detractores, blandiantur adulatores, odio perſequantur hoſtes, amore proſequātur amici, & vnus, & idem perpetuo ſibi conſtans Epiſcoporum animus perſeueret, neceſſarium eſt, ne vnquam cum ipſo cadente cadat Eccleſia ipſis demandata, corruat, aut concidat grex eiſdem commendatus. Stet cum animo Epiſcopi Sceptrum Epiſcopale *inquit D. Ambroſ. de offici* & cadent à latere eius mille, & decem millia à dextris eiuſdem, nec erit vnquam pauori locus, nec hoſtium triumphus.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In Scrupulis conſcientiæ cohibendis.

OPtimo Eccleſiæ regimini non minus obſtant praua directionis dictamina, quàm ſtricta nimis, nimiſque anxia conſcientiæ ſcrupuloſæ conſilia; nec via immodicè lata ab Epiſcopis tenenda eſt, nec arcta ſupra modum; cum ab Epiſcopali Prudentia ſint ſemper extrema declinanda. Supremum tunc ſcrupulis cohibendis inijcitur frenum ab Epiſcopali Prudentia, cum Epiſcopi conſcientiam ſuam alijs dirigendam ſpiritualiter tradunt, qui tamen ſint viri docti, & prudentes, ſcientes lepram à lepra diſtinguere; nemo enim in eiuſmodi animæ morbis ſe ipſum curare poteſt, tametſi vir prudentiſſimus eſſet, & hoc à Deo remedium datum eſt, vt qui propria non valet, aliena curetur prudentia, vel ſaltem maximè iuuetur; & quamuis contingere poſſit, vt in pharmaci porrectione fallatur Medicus, non fallitur is, qui accipit, nec debet vnquam de hoc errore eſſe ſollicitus, vt omnium doctrina teſtatum habemus. Omnis animi amaritudo proueniens ex ſcrupulis ideo efficaciter repellenda eſt; quia omnem impedit in agendo conſcientiæ ſerenitatem, ſine qua *ait D. Bernardus in l. de interiori domo* nihil boni perfici poteſt; nam ſcru-

ſcrupuloſa conſcientia *teſte D. Auguſt. in præf. ad Pſal.* Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, tota eſt in deſperatione, nihil habens in ſpe, vnde prouenit omne bonum. Horrent ſe ipſos ſcrupuloſi, velut vmbras truces inſectâtes, quæ tamen ſunt ſine corpore, & ſine læſione: fugiunt ſemper nemine perſequente, & quidquid agunt, ex mentis errore in malum conuertunt, & ſalutis periculum. Scrupulus verò, quo altius torqueri ſolent Epiſcopi, eſt in onere Epiſcopatus portando, cum ſemper interno quodam excrucientur angore, quod ſint eius impares grauedini, & ideo delinquant, quia vires non ſuppetant; at ad hanc errantis conſcientiæ laruam protinus fugandam aſſurgit *D. Proſp. in l. 2. de vit. contempl. c.* 16. & alloquens Epiſcopos ſui temporis ſcrupulorum faſcinatione detentos, ait. Vos qui pro multis occupamini, vt alij proficiant, ac Deo vacent, profectus illorum veſter fructus eſt, & qui ſollicitudines omnium portatis in ipſis proficientibus, vos ipſi proficitis, & gloria illorum, veſtra gloria eſt. Martyrium animæ ſcrupulus eſt pœnale quidem ſed merito carens, neque hoc ſubire martyrium Epiſcopos decet, qui alios ad vitam, & ad ſalutem debent erudire. Agant Epiſcopi quod agere potuerunt, & legem adamuſſim impleuerunt; nec plura exquirit Deus, quàm quæ vires dare poſſunt. Quieſcant in optima nunquam quieſcendi voluntate, & ſi erumpant aduerſa ferant patienter cum longè melius ſit quandoque pati, quàm agere ſic docente *D. Thom. 2. 2. q.* 185. *art.* 4. vbi adhortatur Epiſcopos, vt in quacunque preſſura potius alienæ inſiſtant ſaluti, quam propriæ, quouſque tamen ſuis proximis vtiles eſſe poſſunt.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In exercendis Iudicijs.

IN *c. Summopere q. 3. hæc habet D. Greg.* ad omnes Eccleſiæ Rectores. Summoperè cauendum eſt, vt Rectores Eccleſiæ, & qui publica judicia exercent, nullatenus leuitate, aut fauore ducti, ſint præcipites, ſed cauſis prius diligenter ventilatis, cum res, quæ ignorabatur plenè ad notitiam venerit, tunc diuina, & humana lege reſoluatur, & ſecundum quod ibi conſtitutum eſt, remota perſonarum acceptione, definitiua ſententia proferatur; omnis namque, qui iuſtè iudicat ſtateram in manu geſtat, & in vtroque penſo Iuſtitiam, & miſericordiam geſtat, vt iuſto libramine quædam per æquitatem corrigat, quædam per miſerationem indulgeat. Scribens verò idem *D. Gregorius* ad vniuerſæ Epiſcopos Galliæ ea ſubiungit *in c. omnis diſt.* 45. licet plerumque accidant Epiſcopis plura redarguenda, plus tamen ab ipſis in exceſſibus corrigendis beneuolentiæ adhibendum eſt, quàm ſeritatis, cum magis, vt plurimùm, moueat charitas, quàm poteſtas. Rectores igitur Eccleſiæ quicunque ſint *concludit D. Gregorius*, magis ſunt ad bonum excitandi, quàm ſeuerè iudicandi, idque firmat Sanctiſſimi primi Pontificis exemplo, quem ſi Chriſtus poſt trinam negationem acriter iudicaſſet, ab eo Eccleſia tot bona non percepiſſet. Exceptis criminibus, quibus quandoque ex miſeratione indulgendum eſt, cum hæc dignoſcitur magis profutura, vt optimè conſulit *D. Antoninus Epiſcopus Florentinus*; in alienis cauſis nemini in iure iudicandi iuſtitiæ cauſarum derogandum eſt, nec nimio impellente rigore

gore ad præiudicium, nec nimia fauente gratia ad patrocinium, vt bene in hac re admonet *Eugenium Papam D Bernardus*, vt caueat, ne in iudicijs aliquo errore fallatur, quantò enim poteſtas maior eſt in iudicando, tantò turpiùs erratur in iniuſtè condemnando. Non nimis aſperè, non nimis duriter iudicandum eſt, *inquit D. Auguſtinus Epiſt.* 64. ſed neque molliter nimis, vel temperatè, ita vt iudicantem fallat, vel criminoſi miſeranda facies, vel vilis habitus, vel vultus ſupplex, vel ſupercilium demiſſum, vel verborum humilitas, vel ipſæ lachrymæ, d ctæ mentiri; hęc enim plerumque aſſolent, etiam rectā Iudicis mentem inuertere, vel aliqualiter ab orbita rationis detorquere; ideò benè à ſapientis oraculo dictum eſt, Noli eſſe nimiùm iuſtus, nec nimis ex pietate credulus, ne decipiaris in iudicio. Summis ergo precibus petenda eſt à Deo ęquitas in exercendis iudicijs, ne mens errore capta in aliena detrimenta ruat; latum namque perhibetur Epiſcopis illud Edictum, Iuſta iudicate, qui iudicatis terram: neque ius proprium, ſeu res propria ab Epiſcopis in iudicando quærenda eſt, cum nunquam iuri alieno cohæreat, ſemperque oculos iudicantis obcæcet, ne videat quid maneat, quidve non maneat in æquilibrio, & ſemper malę iudicant illi, qui nihil ſuo iuri, nihil ſuo ſenſui, nihil ſuæ poteſtati, nihil tandem ſuæ cauſæ detractum volunt.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In adminiſtranda Iuſtitia.

D. *Gregor in Paſtoral. c.* 15. differens ſupra verba *D. Pauli ad Tit. cap.* 2. loquere, exhortare, & argue cum omni imperio, &c. hæc habet. Sæpè Prelati improuidi humanā gratiam amittere formidantes, loqui liberè recta pertimeſcunt, in hoc iam non Paſtores, ſed Mercenarij, qui lupo oues vorante, ipſi ſilent aſſimilati canibus mutis, non valentibus latrare; quibus ab increpatione debita ſilentibus dicitur, Non aſcēdiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis vos murum pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prelio in die Domini; aſſimilātur enim terga vertentibus omnes illi Epiſcopi, qui ex iuſtitiæ zelo peccantibus reſiſtere non curant; cum ad hoc in Epiſcopi conſecratione dicatur, Accipe baculum Paſtoralis officij, vt in corrigendis vitijs piè ſæuias, iudicium ſine ira teneas, &c. & ad hoc etiam ex concilio habentur illa verba, Irrefragabili conſtitutione ſancimus, vt Eccleſiarum Prælati ad corrigendos ſubditorum exceſſus prudenter, ac diligenter intendant, ſic etiam ad reformandos Clericorum mores, ne ſanguis eorum de eorum manibus requiratur, vt poſſint dicere cum Paulo ad Epheſios, mundæ ſunt manus noſtræ à ſanguine omnium veſtrum; nam error, cui non reſiſtitur, adprobatur, & facilitas venię incētiuum tribuit nouiter delinquendi. Dicant igitur Epiſcopi, cum agitur de adminiſtrāda iuſtitia ex zelo præſertim offenſæ Dei, id, quod dicebat Micheas Propheta *c.* 30. repleti ſumus fortitudine Spiritus Dei, iudicio, & virtute, vt annūtiemus Iacob ſcelera ſua, & Iſrael peccata ſua; vbi enim agitur de exercenda Iuſtitia, vel pro criminibus tollendis, vel pro leuandis oppreſſionibus, & ſubditorum grauaminibus, vel pro reddendis vnicuique, quæ ſua ſunt, omnia ab Epiſcopis ſubtiliter libranda ſunt, vt ad iuſtam, & debitam deducantur menſuram, & poſſit vnuſquiſque ius ſuum abſque præiudicio poſſidere; & ita ſemper agendum eſt, vt irretorta

iudicantis mens ſeruetur in libra, ne vnquam propendeat ad partem, vel rei alienæ pondere ad ima detrudatur, & vt deniqũe ea cum *D. Gregorio Epiſt.* 14. dicere queant, Nos neminem perſonali amore tuemur, ſed Authore Deo poſthabita cuiuſlibet perſonę acceptione, ſolam iuſtitię normam cuſtodimus. Illa igitur Epiſcoporum in definiendis cauſis, atque in puniendis delictis ſollicitudo vtilis, & cautela laudabilis erit, ex eiuſdem D. Gregorij ſententia. Si quid agendum ſit, totum agat ratio, nihil ſibi vendicet poteſtas, aut propriæ rei negotium, aut perſonarum reſpectus, cum ſemper ibi deſit Iuſtitiæ ęquilibrium, vbi propendulam ſe oſtendet in iudicijs, vel ſententijs mens ſedentis in Throno maieſtatis.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In leuandis pauperum miſerijs.

EX *cap. Fratrem diſt.* 86. *habentur* hæc verba ab Epiſcopis valdè notanda. Epiſcopus largam habeat manum, neceſſitatem patientibus ſuccurrat, alienam inopiam, quia ſi hoc non habet in vacuum nomen Epiſcopi tenet. In ipſa autem liberalitate exercenda adhibendus eſt modus rerum, & perſonarum, ne virtus à ſua medietate exorbitet, & tangat extremas; modus in rebus, & perſonis à prudentia perſcribendus eſt, vt non omnia vni egenti tribuantur, nec fiat perſonarum acceptio, cæteris paribus, docente tamen D. Gregorio in Paſtorali, quod eleemoſina viris iuſtioribus, & ſanctioribus eſt ſemper erogãda. Subdũtur aliæ Epiſcopalis liberalitatis in pauperes, & miſerrimos exercendæ circumſtantiæ *ex D. Ambr. in c. Non ſatis diſt.* 86. quæ notã inurerent Epiſcopis, ſi ab eleemoſinarum largitione abſtinerent, grandis enim eſſet illorum culpa, ſi fideles egerent ipſis ſcientibus, illi potiſſimum, qui egere, & mendicare erubeſcunt, inter quos nec proximi ſanguinis deſpiciendi ſunt, quibus ſolet eſſe pudor, ſi ſuffragia petant ab alienis, quibus opitulari tenentur Epiſcopi conſanguinei, non vt diuites faciant, ſed vt minus egentes, & miſeros reddant. Optima verò Prudentiæ Lex in leuandis pauperum miſerijs ea eſt, quod inter paucos amplæ non effundantur opes, cum longè vtilius, ac glorioſius ſit pluribus ſubuenire, quàm paucis; ea namque, quæ in ſinum pauperum congeruntur, tunc maius capiunt incrementum, cum latius, & in maiorem negotiatorum multitudinem diſperduntur ad nundinam. Non vnius eſt, aut paucorum Eccleſiæ aurum, ſed multorum, & omnibus pauperibus commune, idque datur Epiſcopis, non vt ſeruetur, aut vt clauſum poſſideat arca Iouem in imbrem aureũ effuſum, vt fabulati ſunt Poetæ, ſed vt erogetur, & preſto ſit egentibus, cum etiam bonum, quod pręſertim ſplendet in auro, debeat eſſe ſui diffuſiuum, eóque magis dicitur aliquid eſſe bonum, quo magis eſt diffuſiuum. Concludit denique optimè Leges omnes Prudentiæ Epiſcopalis in largiendo *D. Gregorius in Paſtoral.* 3. *p. c.* 26 vbi ait, attentè ab Epiſcopis eſſe inſpiciendum ne ſerò ſubuentio egenis præbeatur, neque eſſe differendum ad craſtinam diem, quod illicò dari poteſt; deinde ne ad captandam beneficentiæ, vel largitatis famam opes inutiliter fundantur, néve multa dentur, vbi pauca poſſunt ſufficere, inſuper ne vnquam vacuus omnino dimittatur pauper, cui ſemper aliquid dandum eſt, *iuxta illud Lucæ* 7. omni petenti tribue; denique, ne aliquid detur, cui nihil penitus dandum eſt, vt ſunt egeni malè viuentes, ipſum

ipſum miſericordiæ opus in mala opera praue conuertentes.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In ipſis eleemoſynis erogandis.

Contingit Epiſcopis plerumque propria egeſtate laborantibus, vt nequeãt,nec ſibi met ipſis,nec alijs ſubuenire, ideo in hoc caſu conſilium præbet *D. Ambroſ. 2. de offic. c. 2.* vt aurum quærant ab Eccleſia, quo propriæ, & aliorum indemnitati prouideant; aurum ſi quidem habet Eccleſia *inquit D. Ambroſ.* non vt ſeruet, ſed vt eroget, & neceſſitatibus ſubueniat, & longè melius eſt, vt vaſa viuentia ſeruet illæſa, quàm ea, quę metallis perficiuntur; neque aurum ſacramenta quærunt, quæ auro non emuntur, meliorque ſacrorum, & templorum ornatus eſt redemptio captiuorum; & ipſe D. Ambroſius fatetur, ſe in multorum inuidiam incidiſſe, quia fregit vaſa Dominica ob redimendos captiuos, quod etiam habetur *in c. pulchrarum diſt.* 86. & adeſt etiam exemplum in B. Laurentio, qui omnia vaſa ſacra in ſubuentionem pauperum vendidit, & curauit, vt opes Eccleſiæ per manus egentium in cæleſtes theſauros deportarentur. Prudentia tamen Epiſcopalis curare debet, vt, ſi fieri poteſt, templis, & altaribus non deſit ornatus. Clamant Pauperes *ſcribit D. Bernardus ad Henricum Epiſcopum Senonenſem Epiſt.* 42. ad Epiſcopos, & Pontifices, cur in ſuperfluitates veſtras conſumitis, quæ noſtris debentur neceſſitatibus? nobis enim detrahitur quidquid accedit vanitatibus veſtris. Non eſt bonum *ſubdit idem D. Bernard.* Epiſcoporum affluentium exuberare veſtium ſplendorem, menſarum luxuriam de bonis ſponſæ, quæ eſt Eccleſia, quam neque decet nudam, ac deſtitutam incedere. Beatus ille Epiſcopus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, & qui ipſa Eccleſiæ bona facit miſerorum patrimonia. *In Concilio Aurelianenſi habito anno* 520. præcipitur Epiſcopis, vt pauperibus, & infirmis, qui nõ poſſunt laborare, largiantur victum, & veſtitum quantum poſſibilitas tulerit, & in alio ibidem Aurelian. Concil. celebrato circa annum 780. quod fuit Prouinciale, ſtatutum eſt, vt iuſſu Epiſcoporum Eccleſiarum Præpoſiti, vel Archidiaconi viſitent frequenter detentos in carceribus Epiſcopalibus, eorumque egeſtatibus ſuccurrant de bonis Eccleſiæ. Denique in Concilio Matriſconenſi 20. dictum eſt, domus Epiſcopales ad hoc fuiſſe inſtitutas, vt ſine perſonarum acceptione omnes reciperent in hoſpitalitate: & quod ideò Epiſcopi canes alere non deberent, cum non morſibus, & canum latratibus ſint ædes Epiſcopales cuſtodiendæ, ſed nocturnis vigilijs, hymnis, & familiarium precibus. Additque *D. Hieron. in Epiſt. ad Titum ex Concilio Aquiſgran.* Domus Epiſcoporum debere eſſe commune omnium hoſpitium, quod dictum præſertim intelligendum eſt de hoſpitalitate in omnes pauperes exercenda: Fœminis verò inopia preſſis, ac præſertim viduis, *iubet D. Gregor. in ſuis Epiſtolis ſæpè. & in Paſtorali* non eſſe recipiendas hoſpitio, ſed ipſis eleemoſynas eſſe extra Septa Palatij impertiendas; ac ſatis eſſe ipſas non egentes relinquere, aut neceſſitati obnoxias.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In ſeruanda ſui ſtatus dignitate, & ſimul animi moderatione.

EPiſcopi,qui ſe dicunt potiora Chriſti membra, qui fuit primum Eccleſiæ caput, debent iuxta oraculũ *Io.3.* ſicut ille ambulauit, & ipſi ambulare,nimirum ſui ſtatus dignitatem ſeruare,gradú que celſitudinem tueri, ſed ſimul ab humilitate,atq; animi moderatione nõ abſcedere vt ſuo Domino conformentur ſerui,ſuumque imitentur exemplar. Reges gentium, dicit *Luc.c.* 22. dominantur eorum, vos autem non ſic; nulla conſuetudo, nulla præſcriptio poteſt hunc Canonem Diuinum abrogare. Quod hominibus altum eſt *ſubdit idem Luc. c.*16. abominatio eſt ante Deum; nec ea eſt admittenda quorumdam Epiſcoporum excuſatio, quæ potius à faſtu, quàm à ſtatus obtenditur celſitudine, quod nimirum non poſſint ſubditos in officio, & reuerentia continere, ni ſi vitæ ſplendore, atque externorum pompa apud ipſos authoritatem ſibi concilient, & conſequantur, quod tamen cæcitatem indicat ſummam,cum velint eſſe Chriſto prudentiores, & diſcipuli ſupra magiſtrum; cum Chriſtus ipſe Spiritu humilitatis mundum ſubegerit, atque eiuſdem imperium ſuper humerum eius ſemper fuerit. Deſtruunt Epiſcopi *inquit D.Bernardus ſuper cantic. Serm.*15. ſæculi ſplendore, & pompa Crucis Chriſti nitorem, immò illud totius Eccleſiæ præconium, de qua ad litteram dictum eſt, Nigra ſum, ſed formoſa, nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, quia decolorauit me Sol, ideſt Chriſtus; Eccleſia namque exterius debet eſſe decolorata, ſed interius nitens, & ſplendida,omnium virtutum fulgore diradians, nec debent ſponſi eſſe à ſua ſponſa degeneres, crucis mortificationem ad aliorum exemplum, & ędificationem iugiter portantes; ita tamen vt dignitatis decor, quẽ tueri debent, præ oculis hominum nequaquam vileſcat, aut omninò ſordeſcat; vt poſſit ſemper Eccleſia dicere tamquam ſponſa pulchra ſum, & formoſa; adeſt exemplar Epiſcoporum inſigne Beatus Martinus Turonenſis Epiſcopus, qui de Monachiſmo euectus ad ſolium Epiſcopale,ita Monaſticam ſeruauit humilitatem, vt tamen egregiè ſemper impleret Epiſcopi dignitatem, *iuxta illud Apoſtoli ad Timoth.* nihil facias, quo te contemptibilem exhibeas. Quam doctrinam optimè intelligens *D. Auguſt. in Concil.Cartagin.*4 cui interfuit, illud ſanctiſſimum monitum reliquit Epiſcopis,vt quidem bonis operibus, & vitę meritis Epiſcopalem dignitatem, & authoritatem in totius mundi conſpectu ſuſtinerent,ſæculi tamen,& mundi pompas quadam paſtoritia abiectione contemnerent,& ouium ſaluti per aſpera, & vias planas iugiter incumberent. Non egent ſemper Eccleſiæ Præſules ad bella gerenda armis ſæculi ſplendore coruſcantibus, qualia erant arma Saulis, ſed ſæpè ſatis eſt ad pugnandum, & ad vincendum,petra ex imo torrente deſumpta, qua Dauid humilis,& imbellis Goliath profligauit. Debet ergo Epiſcoporum vita in omnibus ad Apoſtolicam moderationem conformari, ſuſtinendo quidem dignitatem, ſed omnem relinquendo ſuperbam ſingularitatem, ſic monente *D.Gregorio Pontifice in ſuo Paſtorali*, qui quorumdam Epiſcoporum mores ſuæ ætatis lugebat, ex eo quod potius fulgorem ſtatus,quo ſuperbirẽt affectabant, quam Chriſti veri, & boni Paſtoris humilitatem.

PRV-

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In captandis honoribus, & obſequijs.

EGregium adeſt Io. Gerſonis opuſculum de hac materia,in quo agit de temperantia, & modeſtia Prælatorum, quod ſi eſſet præ manibus,vel præ oculis Epiſcoporum, ſanè non tot externos affectarent, vel captarent honores, ad hominum obſequia ſemper anheli, à Chriſti Doctrina, & ab Apoſtolorum exemplis in abiectione, & humilitate degeneres;alloquitur,namque Beatus Petrus omnes Epiſcopos in ſua Epiſtola prima,illis verbis, Non dominantes in clero, ſed forma Gregis ex animo; ex quibus habetur teneri Epiſcopos ad formam gregariæ humilitatis ſuam vitam inſtituere, & ſæculi pompas, & honores omnes contemnere; voluit enim Deus Eccleſiam ſuam ambitionis, & vanitatis contemptu creſcere,non faſtu, & turgente ſuperbiæ cupiditate. Neque eo prætextu,captandi ſunt honores, vel affectanda obſequia ab Epiſcopis, vt nimirum ſibi met ipſis concilient venerationem, & cultum,cum ſatis notum ſit ex antiquis,& recentioribus monumẽtis,longè maiorem partem eſſe Eccleſiæ,eiúſque Præſulibus æſtimationem, ex honorum, & diuitiarum vilipendio,& iniuria,quàm ex affectata eorum ſtudioſitate, ac pretio toto nixu requiſito; quod luculenter teſtantur tot Principum exempla, qui pauperes Prælatos, & humiles ſolebant opibus, & priuilegijs cumulare,quę beneficia nunc temporis euanuere, propter excedentes in Epiſcoporum ædibus, & famulitijs apparatus, ex quibus non Eccleſiaſtica augetur authoritas, vt eſt in multorum errore, ſed potius minuitur, vileſcit,& irridetur. Non debent tamen Epiſcopi ea animi abiectione ſordeſcere, vt ad viliora, quæ ſunt ab Eccleſiæ Principatu remota, abſque ſui ſtatus diſcretione proclinent; Principes enim ſunt ipſius Eccleſiæ moderatores ampliſſimi, quos decet omni honore, & obſequio coli,ne dignitas ipſa abeat in contemptum; cum fas, æquumque ſit ſtatum illum in alto loco ſplendere, qui alijs lumen venerationis debet effundere;ita tamen vt in his omnibus illud ſeruetur moderamen, ne vanitatis aura circumferantur,qui ſemper in imo veræ humilitatis debent ſolidari;honores namque illi dumtaxat quærendi ſunt, qui debentur dignitati, non perſonæ, qui à virtute proficiſcuntur non ab ambitione, aut animi faſtu. Eſt quædam Epiſcoporũ ſingularitas illa,qua, *vt ſcribit D. Bernardus ad Eugenium*,incedunt in ſellis, vel in rhædis deauratis, vt & ipſi inaurentur obſequijs, & ſæcularibus pompis affulgeant; & hæc præ cæteris eſt in ipſis damnanda tamquam ſpeciali ambitionis nota inſignita, cum longè melius eſſet Paſtoribus, ac pauperum Parentibus hæc in eleemoſinas, & inopiæ ſubuẽtiones ſplendidè erogare, tot Sanctorum exemplo, qui ſibi theſauros profuſa liberalitate parauerunt in cœlo, in terris ſola Euangelica paupertate ditati.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In excolenda proprij ſtatus perfectione.

PErfectionis Epiſcopalis ſublimitas, atque præſtantia ex eo maximè ab Epiſcopis agnoſcenda eſt, quòd veluti aliorum lucernę ponuntur ſub modio, vt cæteris omnibus ſplendeant, & lumen effundant; cum enim Epiſcopi à

terrenis

terrenis rebus auulſi in altiorem locum tollantur,ab omnibus conſpiciendi ſunt,tamquam propoſitum perfectę ſanctitatis exemplar, in quo nec macula, nec nęuus imperfectionis appareat; omnes namque in eos, tamquam in ideas honeſtarum actionum cõijciunt, & ab ipſis regulas morum accipiunt,vt in ducibus ſuis habeant, quod ſequantur, & in Paſtoribus,quod imitentur. Nihil niſi graue *ait D. Bernard. ad Eugen.* nihil niſi moderatum,ac religione plenum debent Epiſcopi præſeferre, cum ſint in perfectiſſimo Eccleſię ſtatu conſtituti, & Apoſtolorum ſucceſſores, & Chriſti Vicarij, quos in ſummo perfectionis cardine Chriſtus ipſe deſcribit; & quamuis Monachorum ſtatus eorum præſertim, qui arctiſſimum viuendi genus profitentur,ſublimis in Eccleſia ſit,ſublimior tamẽ longè Epiſcoporum ſtatus eſt, & quò ſublimior,eò debet eſſe ſanctitate præſtantior; viri namque omnes licet Religioſiſſimi,ad perfectionem ſolùm tendere tenentur, Epiſcopos verò, quod ad ſui ſtatus naturam attinet, in ipſo perfectionis culmine poſitos eſſe decet; quemadmodum enim corpora cœleſtia, quæ cæteris regendis propoſita ſunt, cæteris quoque omnibus perfectiora ſunt; ita prorſus Epiſcopi, qui populis regendis pręficiuntur, quanto eos officio, & dignitate ſuperexcellunt, tantò vitæ perfectione, & ſanctitate debent præcellere, id apperrè annuente D. Gregorio in ſuo Paſtorali, vbi ait tantum debere populi actiones Præſulis actionem honeſtate tranſcendere, quantum diſtare ſolet à Grege vita Paſtoris; officium namque Paſtoris illud eſt, vel vt malos ſemper reuocet à malo, vel vt bonos reddere ſtudeat meliores, quod ſanè abſque ſumma vitę perfectione impleri non poteſt, cum nemo, niſi ſit Sanctus,alios queat Sanctos efficere; natura ſiquidem comparatum eſt, vt etiam Philoſophia docet, quod omne agens, agat ſimile, & intendat ſibi aſſimilare paſſum in forma, quam habet; & ob id ſal,cuius naturæ eſt cætera ſua ſalſedine condire,in ſe ſalſiſſimus eſt, ignis, qui cætera calefacit, in ſe calidiſſimus, mel,quo cibi dulcorantur, in ſe dulciſſimus,& ſic de ſingulis; nec homo,qui non ſit Pictor,Pictorem facit, qui non ſit Philoſophus,Philoſophum, qui non ſit Muſicus,Muſicum, ex eo dogmate deductum, quod nemo dat, quod non habet. Non igitur vulgaris aliqua, ſed eximia, & excellens Sanctitas in Epiſcopis eſſe debet, vt alios ſibi ſimiles, & ſanctitate præſtantes efficiant; nam effectus in ſua cauſa eminentior, & fortior eſt, quàm in alijs ſubiectis, vt patet de ſyderum fulgore, qui à Sole dimanat, qui longè ſplendidior in ipſo Sole coruſcat, quàm in cæteris aſtris; ſic Epiſcopus quilibet, qui velut Sol Sanctitatis in omnes alios tamquam in ſydera ſui ſplendoris radios emittit, tanta ſanctitate fulgere debet,vt de eius plenitudine omnes accipiant; mundiſſimus namque debet eſſe ille, qui aliorum ſordes debet expiare, iuxta illud Scripturę oraculum *Eccleſiaſt.* 34. *abi m*mundo quis mundabitur? *addente D. Gregor. l. 7. moral.* quod manus ſordida, aliam non lauat, & oculus plenus puluere,maculam non conſiderat.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In comparanda vitæ Sanctitate.

Æquum eſſet, vt Epiſcopi omnes, quos ſanctiſſimos olim Sancti Patres,& Sacra Concilia compellabãt, cęteros omnes vitę ſanctitate pręirent, nam præpoſterum nimis eſſet,& omni

cenſura notandum, quod dignitas tam excelſa, & tanta ſingularitate ſublimis vulgares, & gregariæ gentis mores indueret, vitamque criminoſis hominibus communem proſequeretur; idque illud eſt, quod tam acriter in ſua Lege Summis Sacerdotibus vetabat Deus, cum ipſis prohibebat ſcorta ducere in vxores, quod potiſſimum vetatur in *Leuitico c.21.* valdè enim indignum eſt, quod eorum ſit vita communis, quorum dignitas in Eccleſia eſt tam inſignis, & ſingularis; cum nihil ſit, vel ad perniciem Eccleſiæ nocentius, vel ad decorem mõſtruoſius, vel ad publicam ſalutẽ infenſius, quàm ſi Epiſcopus, qui omnes dignitate præcellit, moribus, & vita cæteris ſubijciatur, quod apertis verbis *D. Bernardus teſtatus eſt ad Eugen.* cum dixit monſtruoſam planè rem eſſe gradum ſummum, & animum infimũ, ſedem primam, & vitam imam, linguam magniloquam, & manum otioſam, ſermonem multum, & fructum nullum, cultum grauem, & actum leuem, caput canum, & cor vanum, faciem rugoſam, & linguam nugoſam, ingentem authoritatem, & nutantem ſtabilitatem; ex quibus ſatis conſtat, nil deformius eſſe in Eccleſia Dei, quàm Epiſcopum in ſummo rerum cardine conſtitutum, vulgari vita conuiuere, nec ſingulari ſanctitate cæteris præminere. Magna deordinatio eſſet, & magna rerum confuſio, ſi vbi cœlum eſt, tellus eſſet; ſi primus cœleſtium orbium à præſcripto motu aberraret, ſic vniuerſa inferiora corpora perturbari neceſſe eſt, vtpotè à primo illo mobili in ſuis motibus dependentia. Primi ſanctitatis motores, ſunt Epiſcopi *ait D. Hieronymus*, & ſi ſanctitas ipſis deſit, nihil ſanctum erit in inferioribus ſuis, qui ab ipſis ad ſanctitatem mouentur, nec diſcipuli poſſunt eſſe ſupra magiſtros; quomodo enim in hanc metam collimabunt, niſi à rectoribus ſuis dirigantur? Hæc ſanctitatis præſtantia, ab Epiſcopis ſtudioſè comparanda eſt, cum ipſis debeatur ex nomine, & ſtatu, & ex officio Epiſcopali; dicuntur enim ex nomine Speculatores, eòquod in ipſos in alto poſitos omnium oculi conijciantur, vt inde trahant quod imitentur; ex ſtatu, Præſules, ac Prælati, tamquam illi, qui cæteris præeſſe, ac præterri debent, non dignitate minus, ac poteſtate, quàm exemplari vitæ honeſtate, & morum integrrtate; ex Paſtorali denique munere, & officio, cum ipſis ſit cura cælitus demandata, vt ouis nulla ab ouili errabunda vagetur, immò vt adhærens Paſtori eiuſdem ſãctitate ad perpetuam ſalutem ſanctificetur, quæ ſanè præſtare nequit Epiſcopus, niſi ipſe priùs, vt Sacerdos Summus Sanctuarium Dei comparata ſibi ſanctitate ingrediatur.

PRVDENTIA EPISCOPALIS

In reliquis adimplendis, quæ ſpectant ad officium Paſtorale.

COmprehenduntur hac vnica, & poſtrema Prudentiæ Epiſcopalis delineatione reliqua omnia, quę ad ritè & integrè obeundũ Epiſcopale munus ſolent concurrere, non enim opus eſt in ſingulis ſingillatim immorari; cum etiam in opere curſim progrediamur ad metam; quod etiam in ſequentibus legibus noſtri erit inſtituti; Prudentia ſiquidem ex D. Bernardo, plurium virtutum parens eſt, quæ vnico fętu eduntur ad lucem; cum ipſius miniſterium ſit vnica directione in rectam agendi rationem omnia dirigere, mediũ que in vnaquaque virtute ſtatuere, ne à feruore degenerent in furorem, iniecto

fræno

frȩno omnibus animi perturbationibus erumpentibus in extrema; vnde etiam cuiuſcunque Principis Prudentia oculus vigil à politicis dictus,& virga vigilans, ſceptrum imperans alijs, quo innoteſcat Prudentiam omni imperanti ita neceſſariam eſſe, quemadmodum neceſſarius eſt oculus capiti, vt optimam curam habeat membrorum in corpore,quȩ capitis reguntur imperio; vnde meritò *D.Gregorius in Paſtorali*,clamat aduerſus eos, qui tantæ huius virtutis prȩſidio deſtituti regimina captant Eccleſiarum, aitque verè cæcos eſſe, & duces cæcorum omnes cadentes in foueam perditionis; nec maius flagellum errantibus ouibus comminatur Deus per Eſaiam *c.* 29. quàm Paſtorem cæcitate laborantem, hoc eſt Prudentię lumine prorſus orbatum,cui enim deficit Prudentia, qua mens illuſtratur in humano regimine, deficit omnis virtus, ſic teſtante *D.Thom. in lib. de regimin. Princip.* neque enim ſine prudentia inuenitur ſapientia, per quam Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt, neque fortitudo ab exceſſu, & defectu declinans, neque temperantia appetitibus moderamen imponens, & ſic de ſingulis, cum nulla ſit virtus, quæ in agendo medietatem non teneat ex Prudentiæ præſcripto.

A Prudentia oritur in exercendo Paſtorali officio diligens quædam, & pia omnium rerum attentio,& aſſidua ſollicitudo, quæ benè agendi ſtimulus eſt, & aculeus; ait enim Apoſtolus,nunquam benè præeſſe Paſtorem, qui ſollicitudine caret, vt benè regat, & agat. Diſcurre,feſtina,ſuſcita animum tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis, neque dormitent palpebræ tuæ, videntur eſſe verba ad Epiſcopos prolata à Salomone *in Prouer.*6.vt intelligat vnuſquiſque ſollicitudinē ſibi demandatā à Deo in cura animarū;neq; .n.excellēs in bello Dux, neque peritus in mari nauta, neque expertus in ſua profeſſione Medicus aliquid prodeſſent, ſi inter prælia, inter procellas, & morborum pericula immoti permanerent,& de agendis ad ſalutem nullo modo ſollicitiscum non ſit ſatis Prudentiæ virtute inſigniri Epiſcopos,vt diſcernant agenda, niſi opere compleant, quæ agenda cognouerint.

Neque à Prudentia, & ſollicitudine Paſtorali diſſociandum eſt in Epiſcopis animi robur, cum res arduiores occurrunt; nulla enim virtus Epiſcopalis, pares oneri ſuſtinendo vires impertitur,ſi in laborioſis fortitudinis præſidio deſtituatur, cum ſæpè Eccleſiæ iura, quæ ab impijs conculcantur,ſint fortiter tuenda, ſæpè amiſſa bona repetenda, ſæpe Præpotentium vitia coercenda, ſæpè reſiſtendum hæreticis pro fide orthodoxa,& denique ſępiſſimè aduerſus reliquos Eccleſiæ hoſtes claſſica inſtruenda quæ ſanè,niſi obtrudatur ad pugnam inuictæ mentis propugnaculum, non aperiunt aditum ad victoriam. Ipſe Chriſtus Paſtorum Princeps, in petram offenſionis, & in ſignum poſitus aduerſus inſurgeret omnis mundanus, & diabolicus hoſtis, contra quem fremerent improbæ nationes, & Principes conuenirent in vnum, niſi fortiter adſtitiſſet,& animo inuicto ſubijſſet certamē, de tot aduerſis,& aduerſantibus glorioſum triumphum non egiſſet. Cadit optimè in Epiſcoporum quemcumque illud de Iſmaele dictum in Geneſi *c.*16. manus eius contra omnes,& manus omnium contra eum, atque è regione fratrum ſuorum figet tentoria, vt intelligatur eos debere eſſe oñi fortitudine roboratos, nedum ad pugnandum contra hoſtes, ſed etiam ad decertandum contra

fratres

fratres, more illorum Prophetarum, quos dedit Deus in Ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum contra omnes fortes terræ, & ſæculi potentes; qua fortitudine muniti tot Antiſtites ſacri, non modò non pauebant ad pugnas, ad pericula, ad inſectationes, ſed hæc omnia etiã vltrò prouocabãt; atque in hoc numero ſummis erit ſemper laudibus extollendus Beatus ille Thomas Cantuarienſis Præſul, qui nullis neque ſui, neque ſuorum cladibus flecti potuit, vt iniquo Regi Eccleſię Iura vſurpãti indulgeret, aut quoquomodo aſſentiretur; hocque inflexum animi robur Epiſcopali prudentiæ adnexum refert, & commendat, *Ruff. in hiſt. Eccleſ. l.* 1. *c.* 12. Etiam in D. Ambroſio, cũ Thodoſio Imper. in Alexandro Alexãdrię Antiſtite, in Athanaſio, alijſq; quamplurimis celeberrimæ famæ zelatoribus Epiſcopis; ſcribente etiam *D. Cypriano de hac re ad Cornelium Papam*, non eſſe ab Epiſcopis metuendam nequiſſimorum hominum audaciam, & temeritatem, quoniam ſi timeatur, actum eſt de Epiſcopatus vigore, & de Eccleſię regimine, cùm teneantur Epiſcopi robore ſemper immobili, atque inconcuſſa virtute contra omnes incurſus obſiſtere, nullóque irruentium procellarum fluctus exhorreſcere.

Cum verò Prudentia ipſa Epiſcopalis ex ſcientia etiam, & ſapientia coaleſcat, quæ nedum ipſam prudentiam ſuo lumine illuſtret, ſed etiam in rebus agendis aptè dirigat; hanc quoque intellectus illuſtrationem eſſe ab Epiſcopis Prudentiæ conſociandam, veretur nemo prudens; ait namque Cicero, duplum in agendo eos videre, qui litteras didicerunt, quàm alios; additque Lactantius, totius Chriſtianæ Prudentię ſummam virtute, & ſcientia contineri; nulla ſiquidem optimi regiminis forma haberi poteſt ſine doctrina, qua traditur modus veræ virtutis indagandæ, & vitij expellendi, qua conduntur Leges, formantur mores, & diſciplina quęcunque collapſa in priſtinum reſtituitur. In litteris *ſcribit D. Chriſologus* Prudens inuenit, vnde ſapientior fiat, vnde aduerſorum experimentis roboretur, vnde populos æqualitate componat, vnde denique in regendo perfectior euadat; cum ſcientia illa ſit, quæ ſuo lumine fugatis inſcitiæ tenebris omnia perficit; & hac de cauſa Apoſtolus Petrus iam moriturus Clementem Sanctiſſimum virum, atque in omni Eccleſiaſtica diſciplina eruditum, pro ſe in totius Eccleſiæ Paſtorem ſapientiſſimũ ſuffecit, iuſſitque, vt idem Clemens hoc ipſum Iacobo fratri Domini, & Hieroſolimorũ Epiſcopo litteris ſignificaret, quod D. Petri mandatum refertur ab eodẽ D. Clemente in Epiſt. ad Iacobũ fratrem Domini; atque ipſa verba D. Petri referuntur *in Tom.* 1. *Conciliorũ fol.* 33. putabat enim D. Petrus, quod D. Iacobus grande ſolatium eſſet percepturus ex eo, quod poſt ſe non relinqueret Pontificem indoctum, qui ſupra Cathedram ſuam ſederet poſt eius obitum; enimuerò ad iudicanda dogmata fidei, ad lites Eccleſiæ dirimendas ad quæſtiones in rebus ambiguis diſſoluendas, & denique ad vniuerſos Chriſtifideles benè inſtituendos cenſebat neceſſariam eſſe ſcientiam, & doctrinã, ſine qua nihil poteſt rectè definiri; cum ſublata ab Epiſcopis, & Pontificibus doctrina, neque fides, neque religio, neque iuſtitia, neque vllum aliud in Eccleſia præſidium poſſit permanere; & hac ſola de cauſa Tridentina Synodus decreuit, ne ad Cathedras Epiſcopales promoueantur rudes, & indocti.

At eiuſmodi ſcientia, & doctrina,

quæ in Epiſcopis adeò commendatur, & tam neceſſaria cenſetur, præſertim in officio concionandi, & in populis ad ſalutem inſtruendis, exercenda eſt; nulla ſiquidē mens ignorantiæ tenebris obuoluta poteſt diuinis legibus, & ritibus informari ſine Paſtoris docentis induſtria, qua lumen Euangelicæ veritatis accipiat; hocque præceptum Epiſcopis, tamquam ſpeculatoribus videtur impoſitum ex Oraculo Ezechielis Prophetæ *c.* 33. vbi iubentur buccinæ ſonitu obſtrepere ad gladium exterminatorem auuertendum, ne populi ſanguis ab ipſis exquiratur; non enim iſtius buccinæ ſonitus audiri poteſt ſine Epiſcopo prædicante, iuxta illud D. Pauli, quomodo audient ſine prædicante? Dormiebant quidem Apoſtoli cæteri, inſtante Domini, paſſione, vnum tamen Petrum teſtantur Euangeliſtæ redarguiſſe illis verbis, Simon dormis? aliorum enim ſomnus ſoli Petro imputatus eſt, quippe qui in tanto fidei, rerumque omnium diſcrimine, non vigilare modo, ſed alios etiam ad vigilandum cohortari debuiſſet, nam ſi ciuilibus legibus æquiſſimo iure conſtitutum eſt, vt ſi nauis aliqua gubernatoris ignauia naufragium ſubeſt, omnis ab eo mercium, & perſonarum iactura ſeuerè exigatur; Culpane Epiſcopos illos vacare arbitrabimur, quorum negligentia, & inſcitia, cum ſint animarum Ductores, animæ ipſæ pereant auxilio deſtitutæ? Adeò enim Paſtores, & oues inter ſe colligantur, vt vix error in grege queat inueniri, qui in Paſtorem conijci non poſſit, ad id annuente D. Chryſoſtomo, qui ait omnem membrorum defectum à capitis contagione exoriri. Hinc iure, ac merito omnis populorum ruina ab Hieremia Propheta *Thren.* 2. ipſorum Principibus tribuitur, quorum erat Religionem tueri, Numen offenſum placare, & ab offenſis ſceleſtos reuocare, quando ipſis improperabat, Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta, & non aperiebant tibi iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent, quo poſtmodum factum eſt, vt ſublata peccatorum redargutione, & pœnitentia acriùs in delinquentes ſæuiret Diuina Iuſtitia.

Nec ſatis Epiſcopis eſt, quod tāquam Paſtores oues paſcant verbo, niſi etiam paſcant exemplo, cum per verba ſit nimis longum iter, valdè verò breue, & efficax per exempla, nam verba non ſemper, ſed certis tantùm temporibus loquuntur animarum ſalutem, exempla illius vitam, fortiori ipſa loquela ſilentio iugiter monſtrant, omnéſque indiſtinctè prouocant ad imitationem; loqui *inquit Lactantius* facile eſt, præſtare verò, quod loquimur, arduum, & difficile, quantóque alterum altero difficilius eſt, tātò vtilius, & præſtantius; vnde monebat etiam Seneca, eum eſſe in populorū vniuerſitate eligendum doctorem, cuius vitam, & virtutes omnes magis admirentur, cum viderint, quā cū audierint, cuius videlicet, quamuis ſit admirabilis eloquētia, magis tamen ſit admiranda viuendi præſtantia. Diſcant Epiſcopi *loquitur ad rem ſcitè D. Hieronymus* meliora ſemper agere, quàm loqui, diſcant factis potius, quàm dictis omnes ad imitationem incitare, cum habeat hæc docendi ratio vim quamdam incendiariam, ne dum ad inflāmandos, ſed ad vrendos etiam frigidorum animos; nec Iulius Cæſar, Cicerone teſte, legitur vnquam dixiſſe militibus ſuis, ite illuc ſine me, ſed mecum venite; participans enim cum Duce labor perſuadetur militibus minor, & Dux, qui præcedit ad gloriam, multos facit gloriæ comites, & ſectatores, ſic adhortante D. Cypriano, Pontifi-

cem

cem Corneliũ, cum proderetur fidei, & Chriſtianæ Religionis Anteſignanus, & Magiſter. Iure igitur Epiſcopi tenentur non modo verbis, ſed exemplis commiſſas ſibi, tamquam Paſtoribus, oues erudire, atque in ſalutem promouere; quod vt facilius agant, debent illas frequenter inuiſere, vt opere, & ſermone, earumdem indigentijs opem ferant, velut nubes illæ Ezechielis 1. iugiter circumeuntes, vt obumbrent, & tueantur ab æſtu, & velut fluuij è Paradiſo Eccleſiæ exeuntes, vt perpetuò eas irrigent ſalutaribus vndis ad reportandum æternæ vitæ fructum; ex quo infertur, non eſſe ſatis Epiſcopis, nec ſatis impoſitum onus, & munus implere, ſi ſemper in vno loco permaneāt, tametſi alios loco ſui mittant ad alendum, & curandum gregem, cum eorum ſit cura, vt oues quiſque ſuas agnoſcat, non perfunctorio contuitu, ſed vigili cuſtodia, & adſiſtentia.

Præter virtutes eiuſmodi, quæ maximè Epiſcopales dicũtur, addecet etiam Epiſcopos Iuſtitia æquè ac miſericordia inſigniri, qua Deus ipſe omnium virtutum exemplar, ſpecialiter inſignitur; neque enim ideò ſolum, cum Epiſcopi conſecrantur, oleo perunguntur, vt ad lucrandum accenſos, atque ad Paleſtram præparatos ſe eſſe intelligant; ſed illa etiam fortaſſe de cauſa, vt miſericordiæ, & lenitatis commixtæ, Iuſtitiæ in exercendis Iudicijs, atque in puniendis criminibus, quæ olei nomine in Diuinis litteris ſæpius deſignatur, ſignanter admoneantur, quæ quidem virtutes in ipſis Apoſtolis, quorum ſunt Succeſſores Epiſcopi, mirum in modum ſemper enituere, nihil enim eſt, quod populi amorem magis Paſtori conciliet, quàm ſi populi Paſtorem ſuum nouerint iuſtum æquè, ac miſericordem, cum nihil etiam in Principe Eccleſię admirabilius ſit, atque eſtimabilius, quàm inſignia præferre Diuina, quæ ſola Iuſtitia, & miſeratione cuduntur; Iuſtus enim, & miſericors Dominus, eos omnes apud Hebræos Sanctitatis ſuæ imitatores compellat, qui iudicant populos iuſtitia, & miſericordia.

Non modicum quoque reliquis virtutibus Epiſcopalibus addit ſplendorem parcitatis, & modeſtiæ virtus, dummodo Epiſcopos ipſos in vitium ſenſim degenerans, non faciat ex re aliena minimum ſordeſcentes, ac tandem auaritiæ tenebris obuolutos; parcitas ſiquidem ex moderato rerum vſu, & temperato animi affectu proueniens verę virtutis induit nomen; ex immoderata verò habendi cupiditate progrediens, tamquam eiuſdem virtutis extremum in vitio eſt, & quid turpiſſimum; cũ Epiſcopi, qui tot onera ſubeāt largiēdi etiam de proprio, nihil habere debeant, nihilque retinere de alieno; quomodo enim poſſent eſſe boni diſpenſatores, ſi ex ſumptuoſa nimium familia, ex lautiore menſa, ex immodeſto rerum apparatu, ex reliquis excedentibus ſtatum magnificis impenſis omnia impotes fierent, vt ſubſidia pauperibus, alimenta viduis, ornamenta Eccleſijs, adiumenta virtutibus, ſtipendia prædicantibus, rudimenta ſimplicibus præſtarent? ſanè ſi opes Eccleſiæ in alios vſus effuſæ ipſis deſint, deerunt quoque pietatis præſidia in omnes per ipſos effundenda. Quoniam verò non per paucos Epiſcopos error inuaſit ad Eccleſiæ amplitudinem, atque ad regendi potentiam, & authoritatem plurimum intereſſe, ſi ex amplis redditibus, amplas quoque domos, & familias more Principum ſuſtentent, ne aliquid ipſorum dignitati defectu ſplen-

doris, & externi apparatus detrahatur; operę pretium eſt ad eiuſmodi erroris radicem falcem admouere, vt omninò, ac funditus euellatur; ratio ſiquidem ipſa dictare videtur Sanctorum Patrum exempla, & Sacrorum Conciliorum Decreta eſſe potius ab Epiſcopis amplectenda, quàm vanitatis, & ſæcularis oſtentationis præſcripta in Eccleſia Dei ſemper damnanda; cum illa ſint Diuinæ humilitatis oracula, hæc Diabolicæ fraudis machinamenta; quid enim Epiſcopis proderit tantæ amplitudinis ſplendor, tanto pretio comparatus, ſi ijs tantum deſtituantur opibus, quibus tot egentibus, & Eccleſiæ egeſtatibus tenentur occurrere? Quid proderit authoritas illa tàm ſplendidè comparata ſi ſit pietate vacua, nulliſque in populos ſufulta præſidijs? nulla re ſanè magis ſubditorum amor conciliatur erga Principem, nulla fortiori impulſu obſeruantia, & æſtimatio comparatur, quàm profuſa beneficiorum largitate; præſtant enim populi obſequium illi Epiſcopo imperanti, quem Patrem agnoſcunt ex beneficentia, Paſtorem officio, Præſulem benignitate, Antiſtitem præmiſſa diuitiarum effuſione; hæcque omnia illicò deficiunt, ſi deficit ipſarum diuitiarum vſus ad aliena conuerſus. Plura quidē, ac notatu digniſſima tangenda ſupereſſent ad perficienda Prudentiæ Epiſcopalis lineamenta; ſed quia de his in ſequentibus labor eſt habendus, & ſermo, ideò hic calamus ſiſtitur, & pennicillum, vt ocius conuolet ad delineandas in reliquis propoſitæ prudentiæ Leges.

LEGES
PRVDENTIÆ EPISCOPALIS.

Elineata iam vniuersè Epiſcopali Prudentia, ad ſingulas eiusdem partes lineandas greſſus capiendus eſt; ſiquidem etiam logico dogmate cautum eſt, vt in quacumque rerum expoſitione, ab vniuerſalibus ad ſingularia procedatur, atque ignotiorum notitia per notiora percipiatur. In Leges igitur, quaſi in lineas breues totius Epiſcopalis Prudentiæ lineamenta diſtribuuntur; vt & faciliori negotio oculis inſpiciantur, & firmiori characteriſmo animo imprimantur, reuocato veterum ſapientum more, qui opulentioris ſapientiæ latifundia breui gnomarum compendio concludebant; ſicque reſtricta ſtudioſis exhibebant.

LEX I.

Prima Lumina Prudentiæ Epiſcopalis à lumine intellectus deducenda.

SEdes prudentiæ intellectus eſt. Sedes verò intellectus, ſiue ſit potentia organica, ſiue non, caput eſt, totius rationalis imperij Capitolium; ideò humanæ prudentiæ tanquam officia potiora illa tria recenſentur à Philoſophis, nimirum, *bene conſulere, melius deliberare, optimè imperare*; quæ quidem ad conſtituendam in Epiſcopo prudentiam, reliquarum virtutum Principem præſertim neceſſaria ſunt, vt ritè regiminis ſacri moderetur habenas, vt mala ſecernat à bonis, vt noxia ab vtilibus, vt tandem cuncta dirigat in metam honeſtatis, atque ad illa tria prudentię munera perfectè obeunda, docet Ariſtoteles in Ethicis, quàm maximè prodeſſe, præteritorum memoriam, præſentium intelligentiam, & futurorum prouidentiam, cum nihil fructuoſius ſit ad prudenter agendum circa ea, quæ ſunt futura, quàm præterita mẽte recolere, atq; ex anteactorum euentis, quę ſint euentura diiudicare; humana namque mens, tunc benè ratiocinatur, ſuaque rectè iudicia fert, cum ex præcognitis ad agenda proficiſcitur; quemadmodum etiam ſatis perſpicuum eſt, ſine rerum præſentium intelligentia, quæ præ manibus ſunt, & quibus ſę è futura cohęrent, ſanum non poſſe capi in arena conſilium, neque modum ſuppetere deli-

deliberationis appoſitæ, niſi quoquomodo etiam ad tempus præſens accedentia prouideantur; eo enim prorſus modo, quo in rebus ſpeculabilibus ignorantiæ vertitur, aut temeritati ad pauca reſpicere, & non omnia ipſa ſpeculatione circumſpicere, ita in rebus agendis vertitur imprudentiæ, ſi quis ad pauca attendat, & non omnia præſens tempus, præteritum, & futurum cognitione comprehendat, omneſque rerum, & euentuum connexiones, & diſiunctiones animo percurrat, ſeparet, & coniungat. In arce igitur capitis, nimirum in intellectu, tria degunt prudentiæ Epiſcopalis capita potiora, quorum alterum reſpicit priuatum regimen, aliud œconomicum, & familiare, aliud tandem politicum, & ciuile; neque hic priuata accipitur prudentia, quæ priuatam dumtaxat dirigit vitam, nullique Reipublicæ ſe immiſcet, aut quæ ita humanam omnem auuerſatur ſocietatem, vt ſit ſemper ſolitaria, atque Eremorum cultrix, ſed ea intelligitur, qua tametſi Epiſcopus alios regat, ſibi tamen ipſi etiam ex rationis præſcripto prudenter imperet, omneſque actus vitæ ſuæ priuatę in propriam vtilitatem conuertat, & omnia otia, & negotia, quæ ſuſcipit ſolitariè pertractanda, non ſuperficie tenus, ſed intimè rimetur; ne latebroſum aliquid ſit, cui congrua non adhibeat conſilia, nullam interim ex perturbatione mentis caliginem admittens, quæ tenebras offundat, efficiatque, vt fucus pro veritate illuceſcat; nec minus ſolerter ex priuata prudentia vires propriæ ab Epiſcopis, in quocumque facinore erunt expendendæ, ne ſo tunę euentibus committatur ſine conſilio, quod eſt committendum induſtriæ, & ſtudioſæ mentis indagini, idemque prorſus ſtudiū adhibēdum eſt in Oeconomica ſuæ familiæ directione, ne quemquam permittat à recto virtutis tramite exorbitare, etiam in rebus domeſticis, atque ad familiam ſpectantibus; cum tamen neque ſatis ſit Epiſcopum in bene regenda domo, ac familia ſua, ex œconomica prudentia attentè occupari; ſed etiam neceſſe ſit, politicæ, ac ciuilis prudentiæ vſum habere perpetuum, vt quæ eſt ſumma rerum, nimirum ars in ciuitate, ac tota Diœceſi benè imperandi, & ſacra poteſtas ad Dei cultum, & populorum ſalutem ſemper adhibeatur; neque enim aliam Epiſcopus imperans ſibi curam proponere debet in adminiſtranda ſuæ Eccleſiæ Republica, quàm vt Dei gloriam adaugeat, ac animarum ſaluti, & ſubditorum indemnitati aſſiduum ſtudium, ac laborem impendat, quod eſt eſſe prudens in regimine caput, primamque tenere prudentię ſedem, quæ ſemper collocatur in medio, vt extrema declinet, vt bonum iugiter aſſequatur, & malum præcaueat; cum vera virtus illa ſit, quæ medio aſſidet regiminis clauo.

LEX II.

Primum Lumen Prudentiæ Epiſcopalis à lumine veræ ſapientiæ accerſendum.

LVmen Epiſcopalis prudentiæ, dixere quam plures à vera ſapientia corriuare, non quidem ab illa, quæ in ſola rerum altiſſimarum, & admirabilium contemplatione verſatur, ac etiam perſæpe rerum inutilium, ſed ab ea, qua Epiſcopi virtute quadam rerum Principe, primùm ſemetipſos ſapienter dirigunt, deinde populos, & ſubditos in metam aſſequendæ honeſtatis opere, & exemplo ſollicitant. Apertam in homine, & lucidam frontem nullis tene-

tenebris, nullis artibus, nullis latibulis obuolutam verę ſapientię ſpeciem prę ſeferre *docebat Plato in libris de Repub.* eamdem in Epiſcopis Epiſcopalis ſapientiæ lineatam imaginem exhibere volebat Clemens Alex. 7. *ſtromat.* nam & Pal dum ſapientię præſidem è Iouis fronte ſecuris ictu deffracta proſiliiſſe nugantur Poetæ, truces potius carnifices Numinum, quàm fabularum Artifices; vt nobis innuant incruentam quãdam ſapientiam poſſe è fronte prudentiæ Epiſcopalis quoquomodo proſilire abſque inauſpicato obſtetricandi genere, cum & ipſi Epiſcopi à iuuando, dicantur Iouiales Patres. Vnicuique igitur Epiſcoporum caput ſapientia tęctum perinde, ac Ioui eſſe debet, & cum ſit ſapientia Dei munus, ſempiternaque proles, è diuini capitis ſacrario, non per vim eruenda eſt, ſed molliùs tractanda, vt ſine delicti nota, & criminis nebula in fronte præſertim colluceat, quod indicat ſapiens Eccleſiaſtes, vbi ait veram ſapientiam in hominis vultu promicare; humanum ſi quidem caput, veluti contractum cœlum ſuum ſolem, ſua ſydera nouit, quorum fatidico lumine abdita ſapientiæ arcana, præſertim panduntur ex fronte, quæ ideo ſuas ſex lineas, & ſeptimam triplici angulo definitam ſeptem inerrantibus ſtellis reſpondentes exhibet intuendas; nec Saturnus, qui prudentiæ refert lineamentum, diſſociatur à Ioue, vel à Mercutio, qui ipſius ſapientiæ Numina vocitantur in Aſtris. Sic etiam ad frontem, velut ad ſapientis animi frontiſpicium, nos mittunt Metopoſcopi, cum ipſis, quoque innoteſcat illud ſacræ Scripturæ Oraculum *ex occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus.* Venerabile ſemper, ac propè adorandum fuit Epiſcopalis prudentiæ caput, quoniam à fronte ſapientiæ nunquam paſſum eſt diuortium; nil enim ſine ſapientia vera poteſt ab Epiſcopis exerceri prudentia ſana, cum hæc ordinem præſtet in rebus agendis, illa lumen effundat; nec potuiſſet Philoſophus ille Thebanus lineata huiuſce vtriuſque virtutis ſimulachra omnibus ſpectanda proponere, niſi manus vtriuſque colligatas in amplexum beatitatis protuliſſet, exturbata omni animi perturbatione, ac deturbato ab hoc nexu omni irrepente vitio, ipſam beatitatem diſſoluente; & hinc fortaſſis voluere Stoici neminem inter ipſos iure, ac meritò ſapientis nomen obtinere, qui ab omnibus omnino animi affectibus, atque perturbationibus non eſſet intactus, & in quo penè nullus eſſet humanæ imbecillitatis ſenſus; ad hoc potiſſimum, vt nulla ij, qui eſſent vera ſapientia inſigniti, poſſent ira ſollicitari, nullo deprimi mœrore, nullo amore extimulari, nullo metu exterreri, nulliſque denique aduerſis conſternari, quales verè non in Stoica, ſed in Eccleſiaſtica Republica addecet Epiſcopos eſſe, cum prę cæteris ſapientiſſimi viri reputentur, nullis perturbationum ictibus obnoxij; idque prorſus eſt infractam exerere frontem inter turbines, & procellas, quod ſibi tanquã Epiſcopo pro lege edictabat *D. Auguſt. in lib. de Ciuit. Dei* cum nihil magis Epiſcopis curandum ſit, quàm inter hoſtilia aduerſus Eccleſiam parata, conſtantem, & nunquam abiectam ſeruare frontem, ne frontis demiſſione temerè pugnantium animus magis inſoleſcat, ac feruentius in pugnas exardeſcat.

LEX

LEX III.

In Epiſcopatu gerendo à ſumma mentis integritate capienda Conſilia.

EA eſſe debet Epiſcopis omnium agendorum meta propoſita, vt à ſola mentis rectitudine ea ſumant conſilia quibus in ſubditorum ſalutem, populorumque felicitatem ipſæ res agendæ facilè dirigantur. Mens rectiſſima fons optimi conſilij eſt, cuius beneficium id commendatur, vt neminem periclitantem velit cunctos, ad incolumitatem perducere ſatagat. Cohibendi potiſſimum ad Epiſcopatum benè gerendum omnes animi affectus, ne deſciſcāt à rationis imperio, ne probatiſſimæ mentis deſultent à fræno; ſic nihil agitur temerè, nihil præproperè deliberatur, nihil perturbato aſſumitur animo. Arcenda ſunt à ſacro regimine omnis verſutiæ, ac calliditatis inuolucra, neque tricæ illæ exercendæ, quas inſani ſolent attexere pſeudopolitici. Nuda veritas, non phalerata prudentia ab Epiſcopis exhibenda eſt; nuda namque, & aperta placent oculis Dei, cuius vices gerunt Epiſcopi. Conſcia mens recti omnia eludit malignantis fortunæ eiectamenta; hæcque eſt prima virtutis palma, poſtremum brauium, dulce ipſius naturæ blandimentum; hæc vna eſt, quæ optimæ directioni ordines facit, & modulos. Diuidendæ ſunt in intellectu Epiſcopi regentis Eccleſiam tenebrę à luce, quemadmodum ab initio diuiſit Deus Orbis conditor, & regnator, eaque dumtaxat in regimine probanda, quæ tanquam bona ſunt bonę mentis integritati conſona. Edictat, erructat ſana mens ſana conſilia, nihilque verè prudenter agitur, niſi mentis integritate dirigatur, hinc ſumma in arduis prudentia, ſumma in attritis ſapientia; hæcque ſacra illa Pallas, quę etiam in ortu ſenilis eſt in Iouiali Numine, cui ac dictū eſt Orbis imperium. Integra mens æquè collimat in verum, propendet in bonum, ſemperque recedit à malo, ſi bene conſulatur. Æquè Egyptia virga, quæ rectitudinem indicat in conſilijs delabitur cęlo, ac Romanum ancile; vtrumque enim iungitur in terris, ne ſit alicubi diuiduum.

LEX IV.

Studio rerum diuinarum ab Epiſcopis ingis opera impendenda.

AD optimum Epiſcopatus regimen poſt imploratum ſupremi Numinis Patrocinium, ſtudio rerum diuinarum ab Epiſcopis ſummoperè incumbendum eſt. E Cœlo, quod eſt ampliſſimum Diuinitatis ſubſellium Diuinorum cura auſpicanda eſt, atque in his prouidentiſſimā addecet eſſe Paſtoris mentem, quæ prouideat cœleſtium indemnitati. Hebetati cordis inditium eſt, cor cum capite ad Cœlum non attollere, cum cæteris hominibus ſanctior debeat eſſe Epiſcopus, mentiſq; *vt canit Poeta* capacior altæ, atquè iugi mentis eleuatione in ſublimibus non obuerſari, eſſet prorſus indignum Prudentia Epiſcopali. Præcipua Epiſcopatus munera ea ſemper fuere, vt ædificetur Eccleſia, de Deo erudiantur populi, atque ad Deum ipſum populorum animæ dirigantur; non verò quod Epiſcopi rebus occupentur terrenis, non carnalibus diſtineantur affectibus, non ſæcularibus curis ſe totos immiſceant, quibus omnium Diuinorum fit certa iactura. Dei cultus, Eccleſiarum obſequium, animarum ſalus, quas Chri-

ſtus

ſtus ipſe, profuſo ſanguine, redemit, potiora ſunt Epiſcopis ſuſcipiẽda negotia, neque ab his abſterrere debent omnia rerũ periturarum hoſtilia, quantumuis in feritatem, & necem furentia, aut exæſtuantia: Dei namque partes, Eccleſiæ, & animarum ſic agunt Epiſcopi, vt terreſtria omnia exhorteſcant, & cœleſtia intueantur, & pro viribus affectent. Nihil ſibi prodeſſe, nihil ſine Deo ſibi licere ſemper erit bene conſultũ Epiſcopali prudentiæ, cuius potior cura, & ſtudium eſt vnumquemque in beatæ Patriæ libertatem ex iugo ſubiectionis trãſmittere, atque omnium mentes, & oculos in ſolum Deum, tanquam in apicem boni conuertere: operoſius eſt Epiſcopalis prudentiæ negotium, vt omni Paſtorali ſollicitudine implantentur populorum animis illæ virtutes, quibus ſinguli ineant Olympi vias, ad metam laborum expoſitas. Diuinus ipſe Spiritus, qui in Epiſcopos ſolet illabi, ita propoſitum, atque expoſitum omnibus vult rerum cœleſtium amorem, vt vniuerſa omnium peregrinantium turba ad illud beatitatis domicilium irrequieto corde ſemper anhelet, idque vult eſſe præcipuum Epiſcoporum munus, ad quos ſpectat exemplo, & pietate omnes ad Deum vocare, omneſque in Diuinitatis obſequium veræ religionis ardore compellere.

LEX V.

Ab Epiſcopis Diuina ſemper Terrenis præferenda.

EA dumtaxat in Eccleſiæ, & populorum regimine ab Epiſcopis magni pendenda, quæ ſunt à Deo immortalitate donata, non verò, quæ cum humanitate peritura. Ridendæ ſunt potiſſimum illæ mortalium nugæ, quas ſtultorum opinio inſcienter intruſit, nimirum in terris terrena amplectenda, in Cœlo cœleſtia; cum illa ſit Epiſcoporum prudentia vera, quæ à rebus futilibus Diuinorum pretia diſcernit, eo quòd à ſolo Deo bona æſtimabiliora proueniant. Extra Deum reliqua bona gregaria ſunt, ac pro nihilo reputanda, vtpotè ſola inani vanitate turgentia ad obtutum. Maculoſa ſemper Terræ ſuperficies eſt, ſplendida ſemper, ac rutila Cœli facies, quæ vitreæ ſupellectilis apparatum non recipit. Summum diuinorum pretium, ſummum terrenorum contemptum inducit, nec ima ſummis fas eſt coæquare. Vilia terrarum pabula, quæcunque ſint, diſtrahunt à Cœlo, animumque ſic diſtractum ad contemptilia ſimul, & ad tartarea pertrahunt, nec Egypti ollæ cum nectareis ſummi Iouis poculis queunt inire fœdus. Lubrica, & infida malorum ſtatio tellus eſt, & licet proferat aulæa auro fatigata, inter ipſos aureos fulgores, immittit fulmina ad terrorẽ, & ad iacturam. Epiſcopalis prudentia quocumque pretioſior auro terrena quæque, velut abiecta, debet ab alto ridere, cum fatuum ſit pęnitenda diligere, aut vanida proſequi amore. In ætherεis firmata oculorum acies, quæ ſub æthere ſunt, nec celeri quodam ſunt dignanda contuitu; ibique dumtaxat meta votorũ locanda, vbi tantum vota ipſa poſſunt impleri.

LEX VI.

Epiſcopalis dignitas, maieſtas, ac poteſtas ab Epiſcopis ſummopere æſtimanda.

HÆc tria diuinitatis exemplaria in Epiſcopis ſpecioſè collucent, atque ab omni vmbra irrepente immunia

nia cura ſollicita ſeruanda ſunt. Etiam apud Cretenſes Iupiter, & Minos paria poſcebant obſequia, ea dumtaxat de cauſa, quod non diſpar à Numine luminis dignitas, maieſtas, ac poteſtas haberetur. Nihil Deo ſimilius Epiſcopali præcellentia, quæ Dei vices agit in terris, eamque detueri eſſet mendum in ipſum Deum contorquere. Nullibi melius, quàm in Epiſcopis rutilat ſupernæ dignitatis, Maieſtatis, & poteſtatis ſplendor, quibus etiam diuinitus quodãmodo conſociatur ad nitorem. Sunt Cœlo conterminі, ſunt Deo finitimi Epiſcopi, cum ſit in ipſis cum Deo ipſo diuiſum imperium, cum cœlicas ipſas moueant poteſtates, & Acherunta proluſbito cogant in obſequium. Egregium eſt poſſe Clauibus reſerare Cęlum, & ad nutum claudere, at longè egregius eiuſmodi poteſtatem in ſuo gradu detinere, ne ſenſim deuoluatur ad ima. Epiſcoporum dignitas ea eſt, quę verè Apoſtolica compellatur, nec ſine Eminentia ſtare poteſt, tametſi purpurata non prodeat. Excelſiora montium cacumina in Apoſtolis, non in diſcipulis Chriſti ab Eccleſiæ primordio fuere conſecrata, vt in ſolis Epiſcopis par Sanctitatis celſitudo videretur in Cœlum conſurgere; & inde dictum de Eccleſia, *Fundamenta eius in Montibus Sanctis*, hoc eſt in Epiſcopis. Sancta Mater Eccleſia in multitudinẽ Epiſcoporũ primos ſui fulgoris radios, vt facit Titan, in montes latiùs effundit, & ſuæ lucis incrementa copioſius extendit, vt ab omni vmbrarum aduerſantium illuuie apices illi ſeruentur immunes. Ipſius Dei vices agentes Epiſcopi, quocunque pergunt ſuum intaminatum deferunt lumen, quod tenebrionum aſſultus non patitur, nec extimeſcit, illudque tueri ex ipſa dignitatis, & poteſtatis maieſtate inditum eſt. Sol ipſe ſuis radijs defenditur, atque oculorum iacula in ſe ſuis retundit iaculis.

LEX VII.

Propria Eccleſiæ ſplendor ab Epiſcopis ſuſtinendus, & pro viribus extendendus.

EX ſe diradiat quæcunque Eccleſia ſuis Epiſcopis tanquam ſponſis in ſponsã diuinitus adiuncta, at etiam ex perilluſtri ſponſi nitore rutilat ſponſa, cuius lumini additur lumen; ideò vtriuſque ſplendor enixè ſeruandus, & quoad fieri poteſt ſemper augendus. Dei luce perfunditur Eccleſia quæcunque, hæcque quemadmodum ſemper latiùs effunditur, ſic eadem ſplendentes Epiſcopi, debent ſemper clariùs fulgere in perpetuas æternitates. Non obrenebrat lucem, quæ inter infulas quaqua verſus protenditur, illa externi decoris pompa, quæ ſtatus Epiſcopalis celſitudinem aſſolet comitari, immò hæc dedecoris vilipendia, & tenebras fugat, quas ſemper debet auuerſari. Maieſtatem Sedis Epiſcopalis in lucem conuentium expoſitam non omni deſtitutam ſplendore, non ſuis viduatam radijs fas eſt apparere. Abſque decoris maieſtate etiam exterius prolati facilè concidit Eccleſiæ, & Epiſcopi nitor, qui vnus, & idem eſt, & citato pede concidit in ruinam. Ad hoc ex imis ſuſtulit Deus ad ſumma vniuerſalis Eccleſiæ faſtigia, deditque ex ipſis initijs incrementa maiora, vt cunctos fideles, æquè & infideles raperet in obſequiũ, & ad genu cum ceruice curuandum in adorationem pertraheret. Iris in circuitu illius Sedis, quæ Sedem Epiſcopalem prænotabat, vt ex illo ſplendore, quem congruum eſt præſeferat, omnes prouocet in dignitatis, & celſitudi-

ſitudinis admirationem. Diuinum quid redolet Epiſcopale ſubſellium, & ideò vndique debet ſuos radios effundere, ne dum ex virtute, à conſedente non diuidua, ſed etiam ex ſplendida externæ maieſtatis oſtentatione, cum in Throno pluſquam regio viſus ſit ſedere Deus in Iſaia, cum formam ſacri regnatoris aſſumeret inter Angelos Diuina, velut in Choro præcinentes.

LEX VIII.

A Prudentia Epiſcopali maieſtas dignitatis humilitati conſocianda.

SOcia cuiuſcunque maieſtatis, ac præſertim Epiſcopalis, humilitas eſſe debet, non animi abiectio. Temperandum eſt ſeueræ præpotentiæ ſupercilium, non tamen demittendum ad ima, vt contemnatur. Dignitas non vltra patris affectum extendenda, neque maieſtas ſupra humanitatem extollenda; eo moderamine, vt re; & opinione ſeruetur imperium, & imperantis authoritas. Humilitate ſuſtinenda eſt apicis ſacri ſummitas, at eo dumtaxat modulo, vt non interſit abiecti animi nota, nec apex ipſe ſummæ celſitudinis corruat. Intereſt aliquid inter priuatum, & Principem, at à Principe nunquam diſtat humilitas, quæ eſt virtus adnata prudentiæ. Sceptra ipſa, & diademata, quæ ſunt ludentis fortunæ mendacia, ſola humilitate attolluntur ad æther. Temperandus eſt quilibet Principatus ad normam virtutis, eòque altior fit omni faſtigio, quò magis ad ima deijcitur pondere propriæ cognitionis. Auguſta ſeueritas, cum frontis ſerenitate deſideratur in Epiſcopo, fronſque ſerenatur, cum aſſurgentes excutiuntur ſuperbiæ halitus. Faſtus omnis ponendus eſt vbi dominatrix ſedet humilitas; hæc rapit obſequia, hæc corripit turgentes animos, hæc comprimit molientes hoſtilia. Semper mellea, ſemper dulcis, ac ſuauis debet eſſe Epiſcopalis maieſtas, ideò ſemper humilis, comis, ac temperata. Semper patere debet ad Patrem filiorum acceſſus, ſemper ouium ad Paſtorem; omnis namque ſuperba maieſtas facili greſſu abit in Tyrannidem. Ad amorem humilitate, non ad odium ſupercilio excitandi ſunt ſubditorum animi; nunquam rigido aſpectu ſine cauſa tractandi, nunquam acri verborum, ſiue factorum elatione exaſperandi, enim verò ſemper ruit maieſtas imperij, ſi in Epiſcopis collabatur humilitas, excidium paſſa ipſa Romana maieſtate inſuperbientibus Tarquinijs.

LEX IX.

Potior Prudentiæ Epiſcopalis praxis in humilitate locanda.

A Deo, & ab ipſa natura cunctorum animis inditum eſt per legitimas virtutis actiones quoddam gloriæ genus captare, idque multò magis Epiſcopis ad vitæ fulgorem, & præeminentiam conceſſum eſſe, nemini ambigendum eſt; eò tamen magis attollitur præcelſæ dignitatis apex; quò fortius itur ad ima, defoſſo intimius propriæ compaginis luto. In vertice obuerſantibus, vertiginoſi lapſus magis cauendi, ac metuendi, ideò æquè in veræ gloriæ baſim defigendus mentis, & oculi obtutus, ne cum luteo pede ruat tota ſuperba moles. Ad trutinam reuocanda ſunt ab Epiſcopis bona, quæ hic aggeruntur ad dignitatis nitorem, quàm exilia ſint, quàm vanida, quanta fuga proſequenda. Vera humilitatis laus ex vera rerum notitia aſſurgit in

animo. In puſillo nemo magnus, non Delphica, ſed Euangelica Epigraphes eſt, cuius etiam Oraculum eſt, *qui ſe exaltat, humiliabitur*. Cogitet Epiſcopus ſe hominem eſſe, id eſt ad Senecę mentem vas quaſſum, & fragile, corpus imbecillum, & inerme ad omnem contumeliam proiectum. Iugiter animo verſet, præter ſacras Infulas, quæ nihil ſui, ſed prorſus alienæ, ſuæ ditioni nihil ſubeſſe, præter miſeriam; cum ea omnibus naturæ abiectio adiuncta ſit, vt nequeamus efferri, niſi deprimamur. Ex anima, & corpore homo compactus, terram ſignat, & Cœlum, ſed prima radix, & meta poſtrema puluis eſt, quem ſuperbire non addecet. Facili negotio alliditur, qui per inflantes auras exterius aduentantes attollitur, & de excelſo ſemper grauior eſt caſus, & ruina. Humilitas caſum non nouit, non metuit lapſum, & nunquam agitur pręceps. Etiam Angeli ſuperbientes ad faſtum eijciuntur è Cęlo, è Terris eliminātur, dānantur ad Inferos.

LEX X.

Illuſtrior Prudentia Epiſcopalis opera omnigena virtuti nauanda.

VIrtuti etiam inter epiſcopales Infulas imperanti omne famulitium præſtandum eſt, omnis honor deferendus, hæcque in omni dignitatum apice triumphum agit, vndique ſola irradiat. Vmbrę volitantes tenebricas induentes laruas ſunt reliqui, quos fortuna diſpertit honores, niſi luceſcant hi per virtutis fulgorem. Beata illa Epiſcoporum vita *aiebat D. Gregorius*, quę non auro, non ſanguine, ſed ſolo merito & virtutis vſu clareſcit? Nugantur Epiſcopi, ac penè delirant, cum in ſolo rerum exteriorum apparatu ſuum ſplendorem oſtentant. Totum fortunæ Regnum nō facit ſplendidum Epiſcopale munus, niſi eo fungatur virtus, quæ ſola tenebras fugat. Plutonicum prorſus eſt ex auro tantum, aut ex ſola dignitate inferis præſidere, idem monſtruoſum, atque culpabile. Hæc duo virtutis preſidio deſtitutos Crœſum ad rogum, Midam ad famem, Policratem ad crucem perduxere. Nec diademata, nec ſceptra, licet nitentia gemmis, fulgent ſine virtute; multò minus ſertis ſuis, redimita tempora Epiſcopalia. Virtuti, quæ eſt paruo potens, habitu ſincera, cultu ſimplex, conſilio bene ſuada nihil metuendum eſt, non decoctores perfidia, non raptoris iniuria, non temporum iniquitas, non hoſtilium perſequens turba, non cenſoria obiurgantium ſupercilia. Stat virtus, tametſi nutent alta dignitatum cacumina, etiamſi corruant firmiora potentum domicilia; ideò hæc vnicè ab Epiſcopis diligenda, quærenda, amplectenda; ea enim eſt, quæ ad ſuum verticem, qui in altiſſimis locatur, quemcunque gradum attollit, vbi nemo tenebras patitur, nemo caſum, aut occaſum ſuo ſplendori metuit.

LEX XI.

Munera Prudentiæ Epiſcopalis diſcreta animi attentione ſemper implenda.

SEmper vegeta animi vi, atque ſollicita in dies, & horas mentis attentione incumbendum eſt Epiſcopatus officio, ne in arduioribus rerum euentibus concidat ſpes optima regiminis, conſociata fortunæ, & virtuti; hæc eſt Prudentiæ potiſſima pars, quod omnia à longe mirentur Epiſcopi omnia cautè circumſpiciant, omnia peragant ſollicita animi cura. Sic in difficilibus facilius

cilitas,in dubijs firmitas, in reliquis rebus occiduis, & præterlabentibus diuturnitas inuenitur; ſic ſingulis attentè exploratis, nec minima prætermittuntur incautè, nec maxima otioſè ſpernuntur. Nullo tempore torpere debet Epiſcopalis ſolertia, ſed in rebus agendis, perficiendiſque negotijs iugiter debet feruere, & optima quæque celeri motu æſtuare. Feſtinandum, & cunctandum eſt pro agendorum varietate, ſic ſemper, vt mora, & tarditate vtatur Epiſcopus pro conſilio ſummam prudentiam exæquante. Recolenda ſunt per memoriam præterita, futura per prouidentiã anteuertenda, poſſibilia, quoad fieri poteſt vndequaque circũſpicienda; ſic nãque diuina quadã mentis illuſtratione cœlitus indita, omnia ad munus, & regimen Epiſcopale pertinentia implentur ad vnguem, nihilq; omittitur, quod ſit ex officio, & onere peragendum. Nihil temerè aggrediẽdum, nihil gerendũ præproperè, nihil ſine matura agendorum diſcuſſione. Inconcuſſum pectus aduerſantibus ob jciendum, & ſi contingat tricas, & inuolucra Epiſcopis occurrere, hæc ſemper prudentiſſimè euoluenda abſque & integritatis, & innocentiæ diſcrimine. Omnes ſincera ratione potiùs ſuadendi, quam fictitijs alloquijs decipiendi, nullamque in partem, quæ à ratione deſciſcat, animi propenſio exerenda eſt. In commodum Eccleſiæ cuncta verſanda ſunt, ita tamen, vt nemo lædatur, præ potentia opprimatur nemo, nulli inferatur iniuria, nulli damnum irrogetur. Etiam Eccleſiaſtico orbi ſui ordines, ſuæ menſuræ, ſui moduli præſcribuntur, extra quorum orbitam euagari nefas.

LEX XII.

Exemplo potius, & vita ſanctitate, quam verbis ab Epiſcopis populi ad ſalutem promouendi.

OCyor eſt ille volatus ad ſuperos alite præeunte, quàm ſi fieret garrientis voce, alas ad motum excitante. Omnis ætas eruditur in bonum, ſi videat erudientis exemplum. Vna omnibus facilis proponitur meta tangenda, cum primus omnium currens in ſtadio citato pede contendit in ſignum. Acriter fuit omni æuo incuſata eorum Epiſcoporum incuria, qui dum deſides, ac torpentes ſollicitarent ad curſũ, ipſi tamen in orbita Epiſcopatus ſui ſegniter, & otioſè dormitarent. Nec nomen boni Inſtitutoris fert ille, cuius animum ſomnus, languorque in agendo lethaliter inuaſit. Hortæ delubrũ Romæ non ſola hortandi voce inſtructũ eſt; ſed opere, & labore. Fortior eruditionis ſtimulus in agendo, quàm in loquendo poſitus eſt, & planè ridendas eſſe eorum nugas, qui dicunt, & nõ faciunt, ipſa ſumma veritas luculentiſſimè teſtata eſt. Extra opus, & exemplum ſemper inania experimur verba, & ſi aliquis boni color erumpit, omnino futilis eſt ſine opere. Fabularum ſcena eſt ſcena verborum, quæ vnico nutu deperditur, eaque tantum perſtant immota, quæ rebus firmantur, & factis. Supremæ dignitatis apricatur ſub cœli iaculis, ne obtegatur manibus, velut ſcuto ab ictibus ſe tuentis. Non eſt ſatis ex alto conclamare ad reparandum calum, ni etiam operis obijciatur adiutorium. Fluunt verba, facta manent, ac ſola manus admota clauo benè regit ratem in mari, præſertim ſi æſtuent procellæ. Epiſcopalis Eccleſiæ regimen

men mare magnum quidem eſt, at naufragia tolluntur, cum aſſidet puppi vitæ ſanctitas per bona exempla diffuſa. Ventoſæ verborum illecebræ rapiuntur ad ventorum conſortia, & potius ſuſcitant, quàm ſedent tempeſtates, & pericula.

LEX XIII.

Paſtoralis ſollicitudo prudentiæ Epiſcopali ab Epiſcopis adnectenda.

NVllo temporis momento, licet Epiſcopis torpere, nullo vitæ interuallo deſides eſſe, tunc maximè, cum horret otium Paſtoralis curæ, & ſalutis animarum negotium. Sint ergo Epiſcopi Paſtores ſemper ſolliciti, actione præcipui, præcunctis contemplatione ſuſpenſi vtiles in verbo, opere viliores, omnibus per humilitatem ſocij in quocunque munere per Iuſtitiç zelum ſemper erecti; nihil enim inſanius eſſet contemnenda populis docere, & verſam vicem ipſi vita, & operibus monſtrare, aut ſectari. Iubentur Epiſcopi, in culmine dignitatis poſiti, ex ſummitate montium omnibus per radiantia virtutum exempla collucere, idque ſolaris prorſus lucis, & itineris more agendum eſt, cui inſita eſt ſollicitudo luminis quocunque locorum deferendi ſine beneficentiæ intermiſſione. Quædam iugis, ac perpetua tempeſtas eſt, *inquit D. Gregorius in ſuo Paſtorali* Epiſcopi vita, & cum fluctibus curarum, & cogitationum ſemper ferueat, in tranquilla ſtatione vix poteſt commorari, vixque à procellis illæſa ſeruari; ſic tamen dirigenda eſt, vt inter glomerata vndarum volumina, aſſultantes quidem patiatur incurſus, non verò per obuiantia ſaxa frangatur. Non eſt gaudendum Epiſcopis, quod alijs præſint, at quod omnibus ſollicita charitate proſint; nec eoipſo, quod cęteris dignitate præeminent, debent proprij ſtatus elatione intumeſcere, aut omni prorſus virtute vacui turgente vanitate impleri; tunc namque ſummus bene regitur locus, cum ille, qui imperat, ſibi ipſi potius humilitate, quàm ſubditis prælatione dominatur; ſic tamen, vt dum immoderatius cuſtoditur humilitas, ſuſtinenda ſoluantur Paſtoralis regiminis iura. Tenendum exterius, quod pro aliena vtilitate ſuſcipitur, ſed etiam ſeruandum interius, quod de propria æſtimatione pertimeſcitur. Iura diſciplinç ſic contra delinquentes exercenda, vt nunquam amittantur pietatis viſcera, ea ſollicita circumſpectione omnibus prouidendo, vt nec diſtrictio ſit rigida nimis, nec nimium remiſſa clementia. Inſit ergo Epiſcopis, & iuſtè ſauens circa ſubditos benigna miſericordia, & piè ſæuiens diſciplina; oleo, & vino æquè ſuffundant vulnera, vt ſcilicet, per vinum mordeantur ad medelam, & per oleum foueantur ad ſalutem. Sic mixtam cum ſeueritate lenitatem, vt neque multa aſperitate exulcerentur populorum animi, neque nimia ſeueritate ſoluantur addecet Epiſcopos Paſtoralem ſollicitudinem exhibere.

LEX XIV.

In rebus Eccleſiæ aduerſantibus infractum animi robur a Prudentia Epiſcopali proferendum.

NEque aduerſorum occurſus, neque fauentium rerum occaſus, neque inopinatus contingentium aduentus, neque id genus alia ab Epiſcopali conſtantia ſunt pertimeſcenda, ſed in his omnibus immotus animus ſeruandus

nandus eſt. Turpe nimis eſſet Atlanti ſub Cœli pondere nutare, aut ſub mole ad calum infirmari. Pluſquam adamantina corda ab Epiſcopis exerenda ſunt, & velut incudes ictibus repercuſſis nunquam fas eſt eos diſſilire. Fortes ſacris infulis paludatos cunctis alijs addecet eſſe fortiores, ſemperque fracti animi neſcios, illis perſimiles, quos inuincibiles verrices ipſo Aquilone concuſſos Caſſiodorus appellat. Malis quibuſcunque debet aſſueſcere fortitudo ſacra, eaque fortiter eludere, atque aſpernari. Confragroſum eſt vitę Epiſcopalis iter, vt quemadmodum ab aduerſis ſæpè ſæpius inchoatur, ſic inter aduerſa proſequendum, atque aduerſorum periodo claudendum. Præcellum Epiſcopi pectus iugi ęquanimitate muniendum eſt, ne malorum circumactione quatiatur, aut opprimatur. Cōuerſis obtutus in bona locata Cœlo, quæque ſint in terris monſtra, nec refugit, nec exhorreſcit, ipſamque terreſtrium bonorum iacturam, tamquam ex ſcena prolatam, ſemper ridet, ac deridet, & roboratus conſtantia animus omnia contemnit. Fluxa, & vanida floci pendenda ſunt, ac velut puluis iactatus à turbine nihili facienda, animus namque his exoneratus ocius, ac leuius ad metam immortalitatis accedit. Eccleſia, & Epiſcopalis dignitas res ſtari, & immoti ordinis ſunt, & cum ſint conſtanti Cœli nutu firmata, nullis aduerſis debent flexibiliter circumduci. Quæ ſola ratio, & virtus metiri ſolet, nullo impetu concutiuntur, nulli rerum varietati ſunt obnoxia, vbique perſtant immota præeunte face luminis æterni. Omnia ſunt ſecuritatis plena, etiam in mari procellis iactato, ſi ibi conſtans Palinuri animus ſit. Nihil exundantia aquarum volumina, nihil poſſunt officere colluctantes venti, ſi mens rectoris in iugi tranquillitatis ſtatione perſeueret immota. Epiſcopalis dignitatis celſitudo quæcunque terrena caligine animi ſerenitate debet ſupereminere, nec ijs, quæ mouentur ad ima quoquo impetu circumagi; cum eius munus ſit, nec imperturbatæ mentis, & rationis imperium detractare, nec perturbationum appulſus, & repulſus pati, inter niſus, & renixus. Siue faueat, ſiue aduerſetur larua illa, quę dicitur fortuna, nunquam laxandum animi robur, nunquam deroborandum; debet namque animus Epiſcopalis eſſe omni fortuna, omni infortunio valentior; ſic nec blandis attolli, nec deprimi aſperis.

LEX XV.

Prudentia Epiſcopalis in preſſuris adiungenda animi conſtantia.

SÆpiùs ab Epiſcopis animo recolendum eſt illud Senecæ monitum *mala grauiora non poſſe diu ſuſtineri, leuiora facili negotio patienter ferre, omnibuſque animi conſtantiam moderatricem præſidere.* Prudentiæ animi robur adſociandum, cum nec meticuloſus, nec temerè agens ex Philoſopho ſit prudens, nam virtus eſt medium vtrinque vitiorum. Horret pauorem æquè, ac deſperationem Epiſcopalis Prudentia; cum ſit firmata patiendi virtus, durata procellis, & infortunijs. Epiſcopis beatum eſt miſerias diſcere, vt æquo animo ferant, ſicque per inuictam patientiam deuoueantur Cœlo, cuius dicuntur Proceres, pondus eius Atlantico humero ſuſtinentes. Fauentis oſcula fortunæ velut ferientia tela metuenda ſunt, eòque altiora imprimunt vulnera, quo ſuauius adblandiuntur, vnde poſtmodum cum corpore conſternatur animus. Epiſcopi

tanta

tanta dignitas eſt, vt quaſi altus montis apex extra omnes turbinum ictus emineat; ideò nec exigua pedis pars ad ictus exponēda eſt, in qua fertur Achilles ipſe ſauciatus à Paride. Ornant inſulas mala ipſa, quę premunt, & vertex Olympi quicunque Epiſcopus eſſe debet, vbi ſerenari ſemper ridet aura diei; Lampas eſſe debet, quæ cum excutitur ſolet ampiius rutilare; & cutis ipſa Agricolæ æſtuante Cœli cane ſplendidior eſt ſub ſolari tormento ac ſudore, quam ſub lumine ſtellarum in tranquilla noctis quiete. Id vnum in preſſuris leuamen eſt Epiſcopalis Prudentię ſpes bona, quæ ex aduerſis ſolet erumpere; hæc namq; in illis perferendis animum durat, & in ipſius animi conſtantiam pertranſit. Spes bona ad lucrum concepta optimos parit in ſuſceptis laboribus fructus, & Nauclerus bene ſperans procellas illudit, & fit à naufragio ſuperſtes, & Athleta quicunque ſpe coronæ ſua certamina ſubit; ideò docebat Epictetus, *benè ſemper ſperandum, & conſtanter agendum*, cum non poſſit bonæ ſpei firmitas tolli, quin & perſeuerantiæ dematur ſoliditas. Certum pactę virtutis indicium eſt in bono perſtare, & circa bonum mente fluctuare ſemper malum, ſemper pudendum. In rerum humanarum decurſu, quo voluimur omnes, volutamur, & trahimur, nihil firmius, quo tutè adhæreamus, animi robore; idque tamquam arbor fixa potiſſimum ab Epiſcopis apprehendenda eſt, ne inter delabentium vndarum volumina fluant & ipſi ad interitum, hæc inſula ſecuritatis, ad quam appellere neceſſe eſt turbinibus iactatis, & procellis.

LEX XVI.

Nihil à Prudentia Epiſcopali metuendum, vbi exerendum eſt Eccleſiæ patrocinium.

IN patrocinium periclitantis Eccleſię grandiora, ac fortiora validæ mentis ſuffragia ab Epiſcopis exercenda ſunt, cum id ſit ipſis agendum ex officio, atque ex amore ſponſali. Magnæ menti magna cogitatu voluenda, nihilque maius contingit Epiſcopis, quàm ſuam Eccleſiam tutari, atque ab omni iniuria immunem ſeruare. Interritè omnia aduerſantis fortunæ iacula vltroneo etiam ſinu excipienda eſſe à Rectoribus Eccleſiarum, monębat *D. Bernardus*, quæque pro Romana Republica ſponte tulere Proceres ſui, nimirum ignem Mutius, Crucem Regulus, exilium Rutilius, mortem ipſam ferro addactam Cato, ad eadem prorſus ferenda, ſi contingat, debet eſſe paratus Epiſcoporum animus pro Eccleſiaſtica Republica; animi namqs robur omne malum lenire poteſt, præſertim ſi contingat ex impoſito humeris Eccleſiæ onere, ac Patrocinio. Pars tamen Prudentiæ Epiſcopalis potiſſima eſt, & quædam vis ſubſidiaria in malis, quæ metuuntur, eſt ipſorum malorum prouidentia; nam etiam aduerſa ventura, ſi quadā explorentur à longe mentis indagine, ſemper leuiora aduentare videntur, minuſque, quàm non præuiſa feriunt, ac timentur. Vbi metum exturbat Eccleſiæ Patrociniū, non turbat animum repentinum vulnus, nullus occupat improuiſus dolor, præſertim à præuiſione mollitus. Sapientis tamen Epiſcopi ea eſt potiſſima teſſera, vt antequam agat etiam in Eccleſiæ tutelam cuncta ſtrictè præmeditetur, ne maius bonum affectans peiori

malo

malo illudatur, ac grauiori deludatur eiuſdem Eccleſiæ detrimento: ſi quando tamen contingat in deterius verti, quæ prudenti rerum examine ab Epiſcopis præcogitata ſunt, tunc æquiore animo ſuſtinenda, ne ipſa concidat in cæteris actis, vel agendis ritè conſulentium Prudentia.

LEX XVII.

Prudentiæ Epiſcopali iungenda ab Epiſcopis vigilantia ſolers.

A Splendida prudentiæ Epiſcopalis fronte, in qua ſapientia ſita eſt, non ad eius ſupercilia, quæ bini ſunt ſuperbiæ arcus, quibus aſſolent non tam promerita fulciri quàm triumphare ambitioſa demerita, ſed ad oculos, qui ſunt geminata humanæ frontis, velut humani Cœli aſtra, benè ominata tranſitione delabimur; habet namque *D. Ambroſ. in oper. ſex dier.* conſueta ſui ſtyli elegantia, quod Sol, & Luna in Cęlo, hoc ſunt oculi in homine, Sol, & Luna duo mundi lumina, oculi quędam in carne ſydera, eo prorſus modo, quo per effuſos, & quocunque locorum iactatos magnorum luminarium ſplendores, benè ſubditis rebus ſublunaribus proſpicitur, eodem pariter emiſſis fulgoribus peruigiles iugiter Epiſcoporum oculos, totius Eccleſiæ, & populorum leuamina, ne dum vniuerſitati parantur, ſed etiam prouidentur; atque ex aſſidua Paſtorum vigilantia optima toti gregi prouenit cuſtodia. Solertia igitur in Epiſcopis *id atteſtante D. Baſilio* ea eſt, quæ gerit oculorum vices; eſſetque eorum prudentia omninò cæcitate detenta in rebus agendis, niſi comitem, ac ducem ſibi aſſumeret in agendo ſolertiam, qua acies mentis, & obtutus corporis ſemper acuitur, & illuſtratur; & hinc à ſapientioribus in quolibet Principe ſceptrum oculis plenum dicta eſt ſolertia, cum nunquam obdormiat, aut in bene regendo torpeat ad modum illius virgæ vigilantis, quam tantopere ſacra commendant oracula; quilibet ſiquidem Epiſcopus, licet ſit admodum prudens, ac grauis ingenio, nunquam tamen bene cuncta rimabitur, ſi fuerit hoc lumine orbatus, ex quo tota rerum perſpicacia refunditur. Ob id Linceus Meſſeniorum Rex lectiſſima regiminis forma dictus eſt ſuis populis imperaſſe; referunt namque Plutarchus, & Pauſanias tanta ſolertiæ arte in regendo præſtitiſſe, vt ſemper intentam oculorum aciem ad ſubditorum leuandas egeſtates, aliáque quæ poſſent ſuperuenire, moleſtias, per vigilias etiam nocturnas iugiter ſeruaret; ex quo poſtmodum illæ Poetarum nugæ prodiere, ac credulæ vetuſtatis deliramenta, vt putarent ipſum vſque ad intima terræ ſuis oculis penetraſſe, quæque etiam apud inferos fierent, ſine labore, ſolo oculorum obtutu peruidiſſe, quod optimo exemplo ad ſolertiam, & vigilantiam Epiſcoporum referri poteſt, quibus incumbit, oculis ſemper apertis ſuis ſubditis adſtare in ipſorum regimine, eorumque malis irruentibus prouidere, cum prouidere idem prorſus ſit, ac procul, & à longè videre; & quemadmodum à ſapientioribus rédarguitur Philoſophus ille Tarentinus, qui oculos ſibi eruit, vt ſe ipſum tantùm interiùs, & non alios videret, quo ſibi tantum conſuleret, nec cæterorum indigentię proſpiceret; ſic redarguēdi eſsētEpiſcopi illi, qui oculos in ſe ipſos tantum quadam mentis cæcitate defigerent, neglecta prorſus aliorum cura, ac ſpreto in ſubditos paſtorali priuilegio, enimuero, vt ait *D. Gre-*

 gorius

gorius in Paſtoral. Cæcus Paſtor perdit oues, ſi cæcum ducatum præſtet.

LEX XVIII.

A Prudentia Epiſcopali non diſſocianda in Epiſcopis loquendi cautela.

S*I quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir, inquit Apoſtolus in ſua Epiſtola canonica*; is verus eſt Epiſcopus, vera prudentia exornatus, ſubdit *D. Gregor. in Paſtoral.* index enim potior Epiſcopalis prudentiæ lingua eſt, quæ optimi regnatoris indicat animum apud Caſſiodorum, *& Mars, & Venus portantur in lingua*, canebat Pindarus; addo ego, portatur & Pallas in lingua, quæ eſt ſapientiæ Numen, & prudentiæ; tanta ſi quidem eſt inter Epiſcopi linguã, & prudentiam cognatio, tanta inter vtramque ſimilitudo, ac conſenſio, vt linguam quidem obiectam auribus, prudentiam loquentem, prudentiam è contra vocem oculis inſonãtem compellare poſſimus, iuxta peruulgatum illud ſapientis effatum, *loquere vt te videam*; ſic à Tertulliano explicatum, *dum loquitur lingua, auditur loquentis prudentia*; idque ſemper fuit in more poſitum, apud Sanctiſſimos Patres Auguſtinum, & Nazianzenum, vt ea tantum ſuis ſermonibus proferrent, quæ ſummę prudentiæ officijs poſſent adaptari; imprudentis enim loquacitatis, ſiue etiam eloquentiæ tanta eſt genitura malorum, in multorum perniciem conſpirantium, vt longè melius reputetur, nunquam poſſe loqui, quàm imprudenter loqui; quod maximè cauendum eſt Epiſcopis, quotum quot ſunt verba pãlam prolata, tot eſſe cenſentur prudentiæ, & veritatis oracula; ne que enim in loquendo vocem nimis elatam, neque linguam ſine dentibus obmordentem Epiſcopos decet habere, cum hæc ex Theophraſto in ſuis characteribus imprudentiam indicent, & ſuperbiam, qua nunquam turgere fas eſt ſacri Paſtoris ſermonem. Scio quidem ex Chryſoſtomo, & Clemente Alexandrino loquendi maieſtatem magnis viris, & Heroibus ab ipſa natura coaptari quemadmodum etiam vox altior, & fortior in Leonibus fortioribus animantibus generoſæ indolis notam exponit, at non ita, vt ipſa elatæ vocis tuba triumphum occinat tumidæ dicacitati, quam accuratè deſcribit Homerus in Iunone Troianis irata, nimis ſuperbiente, vel in Diomede aſperè nimis cum Hectore congredient e. Scio etiam Tullium in magnis Oratoribus mollem, ac muliebrem loquelam condemnare, ne in alijs animi molitiem, atque virtutis eneruationem inducant; at etiam ſciendum eſt ex Oraculo Diuino, quòd mollis ſermo plerumque hoſtes ipſos facit amicos, viros tametſi ferocientes, & efferatos, quod præſertim ſpectare debent Epiſcopi, vt blandè ſemper, ac placidè loquantur, nam ipſo Solone teſte ſermo leuis idolũ eſt animi temperati, & imago vitę, quę intima ducitur mente, cum ex ore interius ratiocinante, quale ſit internum hominis ratiocinium, apprimè deprehendatur: quod Zeno Stoicorum Princeps, ac morum cẽſor notabat in adoleſcentibus ex animi leuitate imprudenter garrientibus, cum eos monebat, vt ad ſanam mentẽ redirent, & linguam ſalutifera prudentiæ potione reſpergerent. Et ſanè ſi quid eſt, quod in hominibus quibuſcumque, & præſertim in Epiſcopis animi bene conſtituti pulchritudinem, ſummamque morum concinnitatem adſociatam prudentiæ arguat, is ſermo eſt, qui cogitate profertur, atque prudentes

denter priùs efformatur in corde, non ille, qui in labis temerè, atque incogitanter exoritur; ſi enim lingua mentem non ſubſequatur, ſed antecedat, ſi leges ab ingenio non accipiat, ſed leges ipſa prę ſcribat ingenio, quàm inordinatè, quàm cæcè omnia fieri neceſſe eſt; cum Vlyſſes ipſe apud Homerum ex eo ſolum prudentiſſimi Principis, ac ſapiētiſſimi viri nomen obtineat, quod orationem ſemper haberet ad Græcos ſanę menti ancillantem; in domeſtico enim humani animi Principatu mens, veluti Diuina pars hominis, in ſolio collocatur, quæ quoniam indiget beneficio, vt ſapienter cogitata foras deriuet, linguam illi Deus interpretem eſſe voluit, cuius præſidio, ac veluti legatione, quæ cordis arcana, mentiſque oracula per ſe ſe effundi non poſſint, ipſa per loquelam ad homines latè emanarent; hocque præſertim munere, & officio in Epiſcopis perfungi voluit, in quibus intimæ mentis prudentiæ, & cordis ſenſationi ſemper etiam voluit reſpondere ſermonem, nimirum Epiſcopali dignitati, & maieſtati optimè conformatum.

L E X XIX.

Nihil agendum à Prudentia Epiſcopali, quod ſit diſſonum à recta ratione, & conſcientia.

SVmma agendorum lex eſt rectæ rationis, & conſcientiæ dictamen, nec aliquid agitur boni, ſi mali in agendo nos ipſi conſcij ſumus. Hæc præ cæteris Epiſcopis lex indicenda, qui perfectiore viuendi ſtimulo collimant in metam. Longè atrocius morte malum eſſet Epiſcopis, vel malam vitam, vel obliquam agendi rationem inire, aut conſcire malum; & longè crudelius tormentum eſſet in ſemetipſos praua ſæuire conſcientia, quàm Phalaridis tauro. Nullum torturæ ingenium par eſt conſcientiæ fallenti, in ijs præſertim, quibus demandata eſt aliorum ſalus, & innocentia. Alligata ſupplicia grauiora Epiſcopis delinquentibus, quàm cæteris, & quēadmodum ingentius eſt, magiſque palmare Epiſcoporum crimen, quàm reliquorum ſontium, ſic eſt tortoris in animo exceſſus, nec conſcientię torturam fuga vlla poteſt auuertere, aut vllā fraus illudere. Sola recta conſcientia ſemper ſub ſudo apricatur Cœlo, nec turbines pauet, aut fulmina, nihilque glorioſius Epiſcopo, quàm conſcientiæ nitorem in agendis vel iam actis exerere. Certant Virtutes ad oleam capeſſendam honoris, vbi decertat pro implēdis virtutum numeris conſcientia recta, cum hæc ſit prima Epiſcopalis Prudentiæ palma, primum integræ mentis lucrum, iuratum omnium proborum hominum brauium. Cumque eadem ſit, teſte Auguſtino, Rectoribus Eccleſiaſticis magis neceſſaria, quàm fama, cum vna ſit exterius tantum diſpicienda, altera interius iugiter proponenda; nihilque proſit, ſi Epiſcopum ſuum laudent omnes, propria verò conſcientia incuſet. Nihil obeſt etiam impiè patratum exterius, vbi abeſt inculpatæ mentis, & operis innocui cenſura, idque experimento iugi probatum eſt, quod mens quęcunque conſcia recti famę mendacia ridet, & quæcunque humanæ improbitatis machinamenta, aut euertit, aut ſaltem illudit.

LEX XX.

Ea tantum à prudentia Epiſcopali peragenda, quæ propria tanti muneris ſunt.

NIhil deterius Epiſcopis contingere poteſt, quàm ſi ea, quæ proprij muneris ſunt aptè intelligāt, ſed opere nequaquam expleant. Intelligentiæ & actionis in ipſis æquale ſtudium adhibendum eſt, ne doctrina ſine opere inutiles ſciendi conatus efficiat. Æra ſonantia, & Cymbala tinnientia ſunt Epiſcopi illi qui tantum doctrinis præſtant, bonis operibus deſtituti. Erudiendi populi à ſuis Epiſcopis potius exemplo, quàm verbo, idque ſemper vertitur in vitium alloquentis, quod reddit animum torpentem in munere exequentis. Suam habet orbitam dignitas Epiſcopalis, extra quam ſicut ire nefas, ita eandem circumuenire ſemper honorificum. Stent in loco vbi poſiti ſunt *inquit D. Gregorius Epiſcopis, & Paſtoribus*, idque agant, quod ipſis agendum eſt, vt officij numeros impleant, qua deficiente laboris induſtria, occidit propriæ dignitatis ſplendor, corruit quæcunque inchoati ædificij moles; cum tamen cuncta perfecerint, quæ ſui muneris ſunt, dicant ſemper Epiſcopi *ſerui inutiles ſumus* iuxta optimū Apoſtoli conſiliū. Nunquā ea iactanda tanquam propria opificia, quæ ſunt per appoſitam opem ſupremi opificis munificia. Meliora ſēper probāda, & āplectēda, deteriora fugiēda, & qdquid bonū eſt in Deum datorem referendum, quemadmodum prauitatis germina ſummo ſemper ſtudio recidenda. Nulla vi à mandatis proprij muneris recedēdum ſiue Epiſcopi vitam feriant maledicta, ſiue mores exprobrent probra, ſiue contumelias, ac deriſiones inferat malignantium perfidia, nec vnquam mala, quibus aſſolent diuexari Paſtores, in ipſos diuexantes ſunt retorquenda, cum ſemper ſit dulcior patientiæ fructus, quàm iniuriæ per vindictam redemptæ honorabilis plauſus.

LEX XXI.

Prudentia Epiſcopalis dictamina è proprij ſtatus conſideratione ab Epiſcopis ſumenda.

NIl, niſi magnum, niſi rectum, niſi ſanctum moliri poterit Epiſcopalis Prudentia in rebus agendis ſi agēdi initia à celſitudine ſui ſtatus, & gradus dignitate auſpicetur; cum enim *D. Auguſtinus alloquens Valerium Epiſcopum*, ipſum adhortetur, vt ſuæ dignitatis faſtigium iugiter ſpectet, ea tandem clauſula ſermonem concludit, non poſſe Epiſcopos niſi recta agere, ſi præ oculis habeant, quale ſit Epiſcopale munus, & officium à recto nunquam aberrans; Epiſcopi namque à verbo græco Epos dicti ſunt ſpeculatores, & rectę vitę Magiſtri, & Doctores, *vt notat D. Auguſtinus* 1. *de Ciuitate Dei*. Quapropter prima Prudentiæ rudimenta ab ipſis capienda ſunt à propriæ vitæ ſanctitate, cum ſanctiſſimi ſæpè antiquitus fuerint compellati, vt nunc temporis appellātur Sūmi Pontifices, quod conſtat *ex Clement.* 1. §. 1. *de pœnis, & ex Nicolao Papa*, qui hoc titulo ſcripſit ad Epiſcopum Remenſem, ipſum etiam nomine Beatitudinis ſuæ, & Sanctitatis ſuæ vocando, quibus nominibus vſus eſt etiā pluries *D. Gregorius Papa ſcribens ad Epiſcopos*. Pręcipua autem Epiſcopalis Prudentiæ cura ea eſſe debet, vt Paſtorale munus ſanctiſſimè, ac religioſiſſimè exerceatur, cum ſint Epiſcopi veri Apoſtolo-

ſtolorum Succeſſores, quemadmodum Summi Pontifices dicuntur D. Petri Succeſſores quod aſſerit cum Gelaſio Papa *c. 2 etiam Vrbanus II. in c. Quorum vices, &c.* Vnde colligitur debere Epiſcopos veram Apoſtolicam vitam, & ſanctitatem profiteri; cuius præeunte face debent ſtare ante omnes, & ex hoc vocantur Antiſtites, quemadmodum etiam Præſides à præſidendo in Concilijs, alijſque publicis Eccleſiaſticis conuentibus. Quàm verò magna ſit Epiſcopalis dignitatis celſitudo, ex illa doctrina coniectare licet, quod Epiſcopi tantum poſſint in propria Diœceſi, quantum poteſt Pontifex Romæ, & in toto Orbe, exceptis ijs, quæ ad ſtatum vniuerſalis Eccleſiæ pertinent; & hanc doctrinam explicat doctiſſimè *Sperellus in ſuis Deciſ. deciſ.* 110. vbi multos Doctores congerit, hoc idem affirmantes, ſed cum limitatione, ita vt ſemper Epiſcopi ſint ſummo Pontifici ſubordinati, & ab ipſo in legibus Pontificijs dependentes.

LEX XXII.

Inſtituendum ab Epiſcopis regimen in ſuis Eccleſijs ad normam Eccleſiaſticæ Sanctitatis.

EA eſt capienda ab Epiſcopis in ſuis Eccleſijs perfecti regiminis forma, quæ ad formandam in terris Eccleſiaſticam Sanctitatem circumfertur ex ipſo Cœlo delapſa, vt quoſcunque ipſi regunt, optimos reddant, ac vera virtute, & ſanctitate præſtantes. Inde ars benè regendi ab Epiſcopis acerſenda, vt in regimine ſtet veræ politicæ nitor ſine criminis næuo, qui nec patiatur vltrices Tartari furias in ſubditorum ſæuire perniciem. Sit Eccleſiaſtica ſanctitas, quæ perficit omnia, omnibus Epiſcopis perfecti regiminis norma, à qua ſemper ſit extorris Erymnis, in qua nunquã perſentiantur miſerorum eiulatus, nunquam claudantur fores ad gaudia, nunquam reſeretur Auernus ad incendia. Sic eo intendendi conatus omnes Epiſcoporũ, vt ſemper diuinus rideat Apollo in animarum ſalute, vt miſeris reuocetur Saturnia ætas, vt perditis ipſa infortunia fortunentur ad gloriam. Fauſtiſſima omnia ominatur Romana Beatitas regens, ſi in cuiuſcunque regiminis adducatur exemplar. Aſſideat clauo quilibet Epiſcopus ad modum Petri, & nauiculam licet concuſſerint venti, non abſorbebunt fluctus, non glomerata aquarum volumina parabunt naufragia naucleris, etiam turgentibus vndis ad exitium. Satagant Epiſcopi omnes, vt quemadmodum Romæ iugiter eiuratur Simon iuratus hoſtis Eccleſiæ, ſic in ſuis Eccleſijs nemo perlaudata crimina venales ſibi dignitates adſciſcat, ſed ſolus in Infulis ſpectetur vitæ candor, ſola morum innocentia prouocetur in meritum. Imperet in Epiſcopis vitæ ſanctimonia, non dira poteſtas, non ira, non auri ſacra fames, non perturbati animi fera tyrannis, at omne exerceatur humanum, rationis, & pietatis lege conſtrictum. Aboleantur in ſubditis, quoad fieri poteſt, corruptæ naturæ ſordes, & omnes vitiorum maculæ detergantur ſub ſummo candoris imperio; vellantur radicitus in dies pullulantia mala, eradantur totius prauitatis elementa, eluantur vſque ad nitorem omnia ſcelerum penetralia, ita tamen, vt vbi exeruntur ſupremæ poteſtatis faſces, non oſtenteтur effrænis, & ambitioſa dominandi libido. Sciant Epiſcopi ſuarum Eccleſiarum moderatores poteſtatem ipſis à Deo inditam non eſſe peccandi licentiam, neque poſſe adhi-

bere

bere pro ratione voluntatem, quod non rarò obtingit imperantibus ex ſæculi inſtituto; quin ea fax ſuis ſubditis ab ipſis præferenda eſt, quę circumquaque diradians omnes effuget malè agendi tenebras, immò tenebriones ipſos diſperdat; Eccleſiaſtica namque ſanctitas, quæ præſertim inter Epiſcopos addecet effulgere, quæ potius ſubditorum parens optima eſt, quàm regnatrix ſupera, eo paternæ dilectionis impendio eos proſequi debet, vt neminem impia feritate velit offenſum, neminem iniuſtitia preſſum, neminem præpotentia conſternatum. Excitanda in omnes tamquam in filios charitas pluſquam flammea, quæ nihil à curis proprijs ſeiunctum habeat, aut diuiduum, & vbi Epiſcopus boni communis negotium capeſſit, ita ſemper agere debet, vt publicæ animarum ſaluti cenſeatur manus admonere, ipſarumque ſecuritatem iugi ſtudio promouere.

LEX XXIII.

Præficiendi Eccleſijs animarum Rectores, qui ſint omni exceptione maiores.

Rectè præeſſe Eccleſijs, ſanctéque populis imperare id Epiſcopis, cęteriſque animarum Rectoribus ſemper difficile negotium fuit, atque ſummoperè operoſum. Fœlix Eccleſiæ Magiſtratus, fauſtiſſimum Imperium, ſi admoueantur ad clauum Palinuri lectiſſimi, doctrina, & morum integritate celeberrimi? Hoc ſummum Epiſcoporum impendium, hæc ſublimior tanti oneris impenſa; nihilque in quocunque regimine lethalius inuentum eſt imperio, vel ſceleſto Rectore, in quo abſque Dei, & Eccleſię cultu aſſolet ſola poteſtas imperare. Non regunt, ſed reguntur ab immani ſæuientium perturbationum tyrānide Rectores, qui mali ſunt, ſicque facillimè cum regentibus corruunt eorum regna, & reliqui ſubiectionis iuga portantes. Niſi populis præficiantur Podalyrij, communis periclitatur ſalus, & totum Reipublicæ corpus interit ſine curatione; nec æger regens ſibi, vel alijs alexi Pharmacū poteſt porrigere ad medelam. Nutant Epiſcopatus, in abiectas ædiculas deſiliunt Eccleſiæ, ſi vnicuique ſuum deficit columen in prauo, vel infirmo Rectore; ideò ne hoc ægritudinis initium abeat in ruinam, id ne dum cauere, ſed auuertere Epiſcoporum eſt opus, & labor. Profuit ſemper Epiſcopis, & Eccleſijs ſelectiores viros in Rectores animarum eligere, cum ij ſint, qui à Deo nec morum coruptela, neque mentis ignauia, vel cæcitate deſiſtant. Senticoſum nimis, nimiſque laborioſum eſſet Eccleſiaſtici regiminis iter, niſi ad ipſius culmina promoueantur illi dumtaxat duces, quos ſpectatiſſima commendat virtus, ſuo nitore vndequaque diradians. Adderentur alæ properanti Eccleſiarum excidio, niſi frænum inijcerent validi Rectores, manum, & mentem ad tantum opus iugiter admouentes. Solo auſpice Deo, inſtituenda eſt animarum cura, & ob ſolum Diuini cultus obſequium, & Eccleſiarum beneficium deligendi ſunt ab Epiſcopis ſuorum populorum curatores.

LEX XXIV.

Ad honores, ac dignitates ij tantum aſſumendi, qui ſint doctrina & vitæ probitate præſtantes.

EO ſplendet auguſtior Epiſcoporum dignitas, ac maieſtas, ſi quam opti-

optimos, ac ſapientiſſimos viros, ſibi contubernales adſciſcant,& cum fas ſit Epiſcopos eſſe ſummæ probitatis, & ſummæ ſapientiæ amatores, æquum etiam eſt viros dumtaxat benè moratos, atque omni literatura fulgentes tamquam fidos achates diligere,deligere,ac lateri ſemper adiungere. Non ſunt deferendi honores,tamquam res communis æquè viris improbis, & ingenuis,ſed ſoli virtutum benemerentes ſunt honoribus cumulandi,cum neque improbitatem,neque illiteraturam excipiat Epiſcopalis aula. Proceloſum nimis eſt æquor Epiſcopatus, in quo non raro ludit, & illudit error,& etiam errat fides infida, ideò excubitores Epiſcopi, peritos, probatoſque viros, tamquam naucleros, in ſocios nauigationis debent inſtituere, vt ſimul enauigent integra rate. Exornanda eſt Eccleſia, immo ditanda omni virtutum, & doctrinarum ſupellectile, haneque neceſſum eſt, vt præſeferant tantæ ſpõſæ Paranynphi, qui ſunt viri Principes eiuſdem Eccleſiç. Benè vocantur ad infulas, qui meritò trahũtur etiã ad purpuras; ſicq; Eccleſiæ pretium validiùs æſtimatur, & perennius captat incrementum. Ad prærupta honorum, ac dignitatum cacumina, ſi ij tantùm ab Epiſcopis attollantur,qui meritis virtutum, velut alis innixi eò poſſunt conuolare, certo certius inde ſperandum Eccleſiaſticæ beatitatis faſtigium, cum ſint ſublimiora totius Eccleſiæ ſubſellia viri celſiori literatura,ac probitate prçſtantes, ſic viros eiuſmodi compellante Beatiſſimo Patre D. Gregorio Sũmo Pontifice. Futile decus Eccleſiæ prorſus eſſet, ſi illi tantum ornarentur, onerarentur honoribus,qui ex ſola natura, vel forma, ex ſola ſanguinis claritate, vel diuitiarum copia, ex ſolis atauorum, aut proauorum meritis ſuam magnitudinem oſtentarent,canit namque vates *& genus, & proauos, & quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra voco*. Ibi honorum ſtationes collocandæ, vbi tantum poſſunt virtute,velut petra ſolidari,ne eorum fortuna iugiter rotante inconſtanti quadam vertigine ocyſſimè corruant, & detrudantur ad ima. Omnis imperij columen virtus eſt, itidem Eccleſiæ columnæ viri probi,& ſapientiſſimi, quibus Eccleſiaſticæ rei tutela ab Epiſcopis, quoad fieri poteſt, demandanda eſt, cum in omnium exemplar in apice honorum conſtituti debeant collucere.

LEX XXV.

Curia Epiſcopalis ex optimis viris conſtituenda.

Ad optimum Curiç Epiſcopalis regimen eos dumtaxat attollere optimũ conſilium eſt, quos ſpectatiſſima commendat virtus, ac ſumma vitæ, morũque integritas; illi namque,quos cæca tatũmodo effert fortuna, ad fortunæ morem in vijs ſuis ſemper paſſibus ambiguis volubiles errant. Diutiùs ſteriſſe dicitur in Curia ſua Romana, quàm Athenienſis ſapientia, quod illa non cenſum,non ſanguinis claritatem, non ſtatus dignitatem ſpectabat in perſonis, ſed germanam virtutem, cum ex ipſo Platone dicatur omninò lugenda illa Reſpublica, in qua iura dicunt rudiores, & indocti, tametſi opulentiores,& genere ſplendidiores. Arcadicæ pecudes vocantur etiam à Tullio iuſdicentes ſine doctrina; homines namque qui ſine ſapientia, & virtute cæteris prçficiuntur, nec ſibimet ipſis præeſſe ſciunt, nec alijs prodeſſe poſſunt. Senticoſum nimis eſt boni regiminis iter in Curia Epiſcopali, in quo licet leuia ſint imprimenda pedum veſtigia, grauitas tamen mentis,

&

& capitis omnia in pondere, & menſura ſcrutari debet, vt ritè agat; ſublata namque in viris adminiſtratoribus ſapientia, prudentia, iuſtitia, & morum probitate, Magiſtratus Eccleſiæ longæuam, atque incorruptam ætatem ferre non valent, cum ſint virtutes eiuſmodi potiora publicæ rei pręſidentiū fulcra, qui ne dum cæteris legū latione præeſſe debent, ſed etiam ipſis legibus adeſſe, eorumque obſeruantia, & exemplo omnibus prodeſſe. Summum nefas eſſet Epiſcopis venales Curias inſtituere, vel eas pati; cum ſatis compertum ſit, adminiſtrantium auaritiâ, ne dum omne Eccleſiæ robur flaceſſere, ſed etiam omne ius, & æquum auri ardore infirmari, quorum namque animos obſident lucra, non poteſt occupare Iuſtitia, quæ eſt tutelare Numen omnis Principatus, eaque iura ocyſſimè corruunt, quæ venalitate corrupta, nullam admittunt in iudicijs æquitatem, nullam in ſontibus criminationem, nullam in ſupplicijs ſeueritatem. Ex aduerſo fœlix illa Epiſcoporum Curia, cuius moderatores optimi, ſola legum ſanctitate iuſtitiam tuentur, ac ne dum vigilando, prudenter conſulendo, & rectè ſemper agendo rei Eccleſiaſticæ molem verſant ſine fatigatione; ſic namque Atlanticis Epiſcoporum humeris, adiunctis herculeis, quibus ſimul Muſarum, Aſtrææ, & Palladis Patronatus adnexus eſt, grauiſſimum pondus leuiter portatur, & integra ſemper eorum mens nunquam laſſatur curis, neque pendulis animi affectibus circumagitur ad ruinam.

LEX XXVI.

Seligendi ab Epiſcopis cauſarum Iudices incorrupti.

VNica rectè iudicandi lex eſt mens Iudicis incorrupta, agiturque Dei cauſa in ferendis iudicijs, in populorum cauſis diiudicandis; ideò ad munus eiuſmodi aſſumendi viri, omni integritate præſtantes, qui à nemine, aut iudicari, aut condemnari poſſint; viros namque adlectos, vel adligendos in Iudices ab omni prorſus crimine ĩmunes addecet eſſe, quin etiam ab omni animi pturbatione penitus exſolutos. Non amor, nō odiū, non timor, non cupiditas, quæ aſſolēt eſſe interiora animi Idola, quibus vt plurimum litatur à Iudicantibus, debent iudicij rectitudinem perdere. Non auri fulgor, non præpotentia, non præcellentia, idque genus alia debent in Iudice ita mentis oculos perſtringere, vt offuſa vndequaque caligine, nihil affulgeat recti, nihil veri obtrudatur, ſine affectu, qui in alterutram propendeat partē, libranda eſt ſtatera; nec ingenioſo auaritię amore, qui ſēper cæcus eſt, exoculanda eſt Iuſtitia. Non affinitate, non ſanguine, non amicitia, non fœderatione, non opibus, non ſponſionibus, non donis allicitur Iudex incorruptus ad iuſtitiam vulnerandam; at omne exhorreſcit, quod eſt contra fas, & æquum; & licet vis magna huiuſcemodi corruptelis inſit ex inſtinctu naturæ, quibus nihil inexpugnatum, nihil inacceſſum aſſolet eſſe, robuſtior tamen ſemper erit ille iudicantis animus, qui ſibi fortiſſimum Iuſtitiæ propugnaculum in ferendis iudicijs iugiter proponet abſque mentis faſcinatione; nec iudici ſat eſt irretorta ſeueræ mentis ſupercilia oſtendere, ſi aurea detentus

tus compede, vel alijs mancipatus affectuum vinculis, ſe nequit in rectè iudicandi libertatem ſpontè vindicare. Nefas quoq; eſſet in curia cauſas, & lites in æuum protrahere, vbi eſſent quàm citò dirimendæ; cum ab incorrupto Iudice ſit ſemper litigantiũ ſumptibus parcendum, ne eiuſmodi ciuilibus prælijs, diuturna vtrinque iurium, & legum acie commiſsa ſenſim irrepat vtriuſquè partis interitus, cum litibus nulla ſit voracior Charybdis, in qua ampliſſima abſorbentur patrimonia, atq; ingentiſſimæ demerguntur opes. Nemo quoque inauditus damnandus eſt, aut dimittendus à Iudice Eccleſiaſtico, nam Deus ipſe primos parentes collapſos in crimen primum vocat ad forum, antequam iudicet, atque indicta prius citatione vult Adam ſe excuſantem audire, antequam inferat damnationem ſubſequentem ad culpam. Denique in ferendis iudicijs ſummoperè pauperibus fauendum eſt, & ſi propendula Aſtrææ lance quandoque eſſet vtendum, id maximè agendum in cauſis deſtitutorum.

LEX XXVII.

Ab Epiſcopali Prudentia æquè punienda ſcelera, ac muneranda virtutes.

QVæcunque virtus collimat in medium, cum ea ſit medium vtrinque vitiorum, id maximè eſt opus, eſt labor prudentiæ Epiſcopalis. Scelus eſt horrendum, Herebi monſtrum, ideò radicitus obtruncandum. Virtus eſt Olympiacum illud oleaſtrum, quod Athenis exponebatur in templo ad deſides excitandos ad curſum, ideo muneribus, & palmis conſocianda. Somno detentus Epimenides nulla mercede beatur; egregia namque virtutis facinora ſunt coronanda, quemadmodum crimina vindicibus flammis exterminanda. Exigit quoque Deus virtutum merita, quibus tantum præmia elargitur, nec ſinit abire flagitia ſine vindicta, cum ſit æquè iuſtus, & miſericors. Epiſcopalis prudentia altiſſimę mentis imago, licet grauibus detenta curis, in crimina tamen ſemper debet vigilare, nullamque incuriam pati, vt illa terat, vel dimittat ſine cenſura. Præter tortores, quos ipſa ſcelerum conſcientia ſibi conſiſcit, ſunt criminibus alia ſuperaddenda ſupplicia, vt ab ijſdem deterreantur homines prauitate detenti; idque eo ſemper intento agendum eſt, vt expientur à labe, & reſipiſcant. Noxia delinquentium multitudo pœnis ſemper coercenda edictis, cenſuris deterrenda, ne in grauiora labatur; ſi que Epiſcoporum paſto lis cura debet eſſe in criminum vindictam feraliter offuſa, vt ſit quidem ſemper ſcelerum vindex, ſed etiam virtutis, & probitatis muneratrix ampliſſima.

LEX XXVIII.

Subditorum precibus æquè ex Iuſtitia, & pietate ab Epiſcopis indulgendum.

ARs benè ſubditis imperandi in quocunque imperante è Cælo accerſenda eſt, quod oratorum votis vt plurimum indulget, ex Iuſtitia primùm, cum ſubditi habeant ius petendi, ex pietate poſtremò, cum ſit in Epiſcopis velut in parentibus indulgendi onus. Elegans eſt politicæ ſpecies ſubditis quoquomodo fauere, vt capientur ab illis amoris penſa, & obſequij. A Tartaro, non ab Eccleſia exeunt vltrices illæ furiæ, quæ ſæuiunt in ſubditorum perniciem. Cælicus Iupiter eſt, qui alleuat animos miſerijs

inuolutos, atque inter calamitates æſtuantes. Leue fit ſubiecti Iuris iugum, quod nemo audeat excutere, cum ſubditorum turba vinculis aſſueta, fit libertatis ſocia, ſaltem in libertate parendi. Subditorum felicitas nullibi gratior, quam ſub Epiſcopo iuſto, quam ſub Epiſcopo pio, atque ijs populis fauſtiſſima omnia licet ominari, quibus Prælatorum indulgentia adſtat auxiliatrix, eorum preſſuras, atq; infortunia iugiter leuans. Omni beatior æuo dicendus eſt populus ille, cuius quidquid oneroſum eſt in ſubiectione, in ſe ipsũ ex pietate trãsfert Epiſcopus ad demulcendam ſeruitutis onus. Præeſt populorum incommodis pluſquam fortuna Epiſcoporum pietas admixta Iuſtitiæ, atq; ex hac permixtione omnia ad beandum conuehuntur bona. Iuſſit Deus Gladium Petri in vaginam conuerti, ne ſub Petri Principatu Epiſcopus aliquis militaret furori. Horret Eccleſia efferatos illos Epiſcopos, qui ſola æſtuante Iuſtitiæ ſæuitia feruntur in ſubditorum crimina, & ſupplicia.

LEX XXIX.

Etiam in ſontes ab Epiſcopis exercenda Clementia.

NVlla re alia Principatus omnis propior eſt Deo, quam in ſumma etiam in ſontes commonſtrata clementia. Hac præ cæteris ſpecioſè nitescit Principatus Eccleſiæ, qui paſtorali regitur ſceptro, idq; eſt altius Epiſcopalis Prudentiæ faſtigium, hæc firmior Eccleſiaſtici regiminis baſis. Ipsũ ſummum Iouiale Numen, à iuuando, hoc eſt, à parcendo dictum eſt, nec ſummum eſſet, ſi inferna Acherontis ſæuitia vteretur in dominatu. Cælum quoque, quod ſupremum eſt, Clementiæ domicilium aſſeritur, vbi licet cudantur fulmina, non ſemper intorquentur, ne domus ſancta iugi feritate fœdetur. Inſtar Cæli auguſtiſſima Mater Eccleſia, nec ferales filiorum eiulatus libenter admittit, ſi ſupplicij grauitate prouocentur. Sic addecet Epiſcopos tantæ Matris alumnos ipſius pietatem imitari, vt quoad fieri poteſt a tortoribus caueant. Non malleatur ex calybe Epiſcoporum poteſtas, nec Brontis, & Steropis ſudore exercetur Eccleſiaſtici fori officina, nec ſemper duritie excitandus eſt furor, & ipſius in perſona clementiſſimo Deo Sacrata; nihil enim adimit Parentibus Sacris, & Paſtoribus clementiæ vſus, & exercitium quin potius hoc pietatis charactere totius Eccleſiæ bona aggeruntur, cum inde magis rutilet ſplendor Eccleſiæ, vnde pietas matris altius innoteſcit ad lucem. Tribunal amoris eſt Epiſcopalis imperij maieſtas; cui inditum eſt ſemper diligere, nunquam odiſſe, ideò ab Epiſcopis ſic tractanda regiminis lora, vt potius ſedentur in reis furentium reatuum tempeſtates, quam fortiùs turgeſcant ad impietatem. Etiam ſaxa, & calybem lenta ſtillicidia ſoluunt, menteſque exaſperatas frons benigna deaſperat, & leones ipſi toruo ferocientes aſpectu, fiunt humanitatis delicia, ſi blanda manu cicurentur, & molli regantur attactu.

LEX XXX.

Beneficentia præſertim in miſeriores ab Epiſcopis exercenda.

SIc ab Epiſcopis indigentium egeſtatibus occurrendum, vt non minus liberali manu, quam læta fronte munera omnibus errogentur; ita tamen, vt quò ad fieri poteſt, neſciat ſiniſtra,

quid

quid faciat largientis dextera, ad mentem diuini largitoris in hac re legem ferentis. In omnes ſolis more effundenda eſt benificentia, at radij charitatis inter pauperum ædes, facilius ſub Cælo apricantes, ſplendidius aſſolent collucere. Pauperum potiſſimum ius eſt in Eccleſiaſtica bona, hiſque proſtrati ſemper erigendi, leuandi imbecilles, recreandi viribus deſtituti. Non opum, non bonorum poſſeſſione locupletantur Epiſcopi, ſed eorum elargitione verè fiunt auguſti; ſiquidem, & Homerus ipſe ſuos Deos vocat auguſtiſſimos, ſi ſua erogent in alienos. Verus ipſe Deus Theſauros ſuos in pauperiores libenter effundit, vt exemplo ſuo facti largitores Epiſcopi ex miſerorum leuamine copioſius diteſcant ad gloriam. Nemo miſer, inops nullus ab Epiſcopali beneficentia depellẽdus, nec quemquam licet ab Eleemoſinis arcere, dummodo egeat. Deus ipſe nullo compendio, nullo limite ſuas gratias elargitur Egenis, cunctoſque ſplendida manu leuat à miſeria. Aggerunt ſibi theſauros in Cælo Epiſcopi illi, qui ſuas pauperibus errogant opes, eoq; magis affluunt auro, quò egentiores ſplendidius ditant. Non ab Ioue, quem clauſum poſſi'et arca, ſunt aucupanda lumina inoccidua, ſed ab auro, quod Epiſcopalis munificentia profert in lucem, vt in pauperum adiutorium ſplendeſcat Chriſtus ipſe depauperatus in ſtabulo, non auro, non gemmis, non purpura circumfulgens, viros regia dignitate conſpicuos vocat ad Eleemoſinam in adoratione præſtãdam, vt ex illo diuerſorio, tamquam ex Catedra doceat quid ſit agendum Epiſcopis thus offerentibus in thura.

LEX XXXI.

Præſtandus ab Epiſcopis ſuis populis facilis ad aures acceſſus.

POpulorum commodis, qui vitam traducunt, velut oues ſub ſuis Paſtoribus, quoad fieri poteſt ab Epiſcopis indulgendum, & ſi qui quandoq; maieſtate repellendi ſunt à conſpectu, alij ad aſpectum ſunt amore, & comitate vocandi, ita vt venerabundi ſemper tractentur humaniter, duri, & aſperi ſine aſperitate reducantur ad frugem. Clementia tamen omnes vincendi; vinciendi ſinguli; ſicque vniuerſi excipiendi, vt potius vultus ſuauitatem admirentur, quam toruum ſupercilium pertimeſcant; & vbi gazas, & opes nequeunt profundere Epiſcopi, verba ſaltem humanitatis eximiæ, quæ rapiant animos, non dedignentur effundere; tametſi in populorum ruſticitate rara admodum dignoſcatur beneficiorum memoria. Cum amore maieſtas in vna ſede Epiſcopali ſemper iungenda eſt. Barbara, non Eccleſiaſtica poteſtas illa eſt, quæ impetu fertur, quæ ſemper ſæuit, at temperatus potentiæ vſus regiminis ſanctitati iugiter addictus eſſe debet, vt ſit regimen vndequaq; perfectum. Perſonam potius Patris, quam regnatoris quilibet Epiſcopus cum populo gerit, idque ſatis vulgatum in canone, bonum Epiſcopum nihil à bono Patre differri, eãque imperandi formam fas eſſe profiteri, quæ populos ſuos potius filios, quam ſubiectos exiſtimet. Ideò faciles omnibus tamquam filijs aures præbendæ, & nemo à conſpectu, atque ab auditu repellendus. Facilis ad Epiſcopum aditus facile in populis excitat obſequium, & ſubiectorum animus,

dum ſui Præſulis humanitate lætatur, ad ſubiectionis, & obſeruantiæ vinculum lætabundus accurrit, cum ſit ſumma imperantium miſeria nuda ſubditorum corpora poſſidere, animo rebellante. Deus ipſe cum ſumma maieſtate, audiendi facilitatem coniungit, & cum ſit Deus abſconditus nec facile pateat ad intuitum, preces tamen audit libenter, & ſupplicationes humaniſſimè exaudit. Vbi quiſque poteſt audiri, intemeratus imperat Princeps, incorruptus iudicat Iudex, ſicque magna conciliatur in ſubditis beneuolentia, dum enim ſubditi ſe vident audiri, ſibi de prærogatiuà gratulantur; & facile ferunt imperium, cum non contineantur in obſequio more ſeruorum, ſed filiorum amore; amor namque quocunque timore potior eſt, meliuſq; ſemper fuit à ſubditis amari, quam timeri, cum in amore fuerit ſemper ſalus certior, quam in timore.

LEX XXXII.

Pia, ac religioſa regendi forma ab Epiſcopis in omnes ſubditos pertractanda.

EA eſſe debet piæ Matris Eccleſiæ optima regendi forma, qua ſic regantur populi, vt etiam ſub regiminis iugo quoddam beatitatis genus perſētiant, ac ſummà animi tranquillitate fruantur. Is quoque imperandi modus ab Epiſcopis adhibendus eſt, quo ſubditos ſuos non minus ad obſequium dignitatis maieſtate compellant, quam ad beneuolentiam amore pelliciant. Omnibus ſtudio quodam benefico ab Epiſcopis indulgendum eſt, ita tamen vt etiam criminibus prompta demonſtrentur ſupplicia, cum id ſit ſupremum dominantis iuſtitiæ fulcrum. Omnes amore vincere, à nemine vinci ſplendidius eſt Epiſcopalis Prudentiæ ſtemma, eo tamen conſilio temperata regendi humanitate, vt nihil contra fas, & æquum velint, nihil contra ius agāt, neminem tyrannide premant. Non eſt ea Eccleſiæ poteſtas, quæ cæco impetu feratur in ſæuitias, & furores, ſed ita aſſolet imperare, vt alijs imperia latura, ſic ſemper præſit, vt ipſa rationis imperio non dedignetur ſubeſſe. Quēlibet Epiſcopum, cum ſit à piiſſimà Matre genitus, potius patris humanitatem, quam efferati regnatoris perſonam æquum eſt exhibere, ſemperque amplior in oues effundendus eſt Paſtoris affectus, quam punitoris rigor; quo iugi pondera, aut leuentur, aut omninò tollantur, cum ſemper impium fuerit pecudes potius deglubere, quam tondere. Addecet ſubditorum egeſtatibus, & preſſuris Epiſcopos accurrere, non ſæua manu tortores adiungere; validius namque firmatur Imperium Eccleſiæ, ſi beneficentia, & pietate capiantur animi, quam ſi exaſperentur ſupplicijs, vel feritate.

LEX XXXIII.

Omnia ab Epiſcopis in medelam animarum dirigenda.

MEdici è Cælo delapſi à Sanctis Patribus iure nominantur Epiſcopi, cum debeant eſſe ſolliciti animarum curatores, eaſque, ſi languoribus contabeſcant, in ſalutem euixè perducere. Aperiunt Epiſcopi, inquit D. Gregorius, ſanitatum officinam, cum oculis incredulitate cæcatis iucūdam reddant claritatem fugata per fidei lucem vmbrante errorum caligine, cum aures populorum ad Chriſti vocē obſurdeſcentes; ac clauſas reſerant,

cum hominum corda vitiorum flamma exæſtuantia, indito virtutis exemplo, velut refrigerio, irrorant, ac denique, cum mentes omnes a ſede rationis deturbatas, ad eiuſdem rationis orbitam feliciſſimè reuehunt. Fons omnis ſpiritualis valetudinis in ſubditis eſt ſanctitas imperantium, hacque ſola omnium ægrotantium tabes expurgatur ad vitam, & omnia irruentium in animos morborum vulnera perſanantur. Conciderent membra omnia ſuis infirmata criminibus, ſi deficeret in capite cadentis roboris propugnaculum, quod eſt animarum cura, & medela; hæc eſt ſpeculum illud Arcadicum, quod contuentes animæ ægrotantes ſolo redimuntur intuitu ab ęgritudine. Nō ſine ratione Epiſcopo Paſtoris nomen inditum eſt, idque dumtaxat, vt abſcedente torpore in officio Paſtoris, amor ouilis accedat, animumque fortius in paſtoritium officium accendat. Epiſcopalis Prudentia cum ſalutis peruigilio commiſcetur, cum ſit Epiſcoporum munus iugiter proſpectare è ſpecula, vt ab ouili arceantur lupi. Opus laboris eſt ſpecula, eminentiq; loci proſpectus iuge parit negotium in ipſo proſpectantis otio; ideò deterrima illorum Epiſcoporum ſors eſt, qui nihil minus agunt, quam quod maximè deberent, nimirum animarum ſaluti ſemper incumbere.

LEX XXXIIII.

Epiſcopale regimen ſummo cum animi candore gerendum.

ETiam Epiſcopalis prudentia, quæ ſacræ politicę prçclarius geſtat inſigne, diſſimulationem expoſcit, ſine qua nullum perſtat regnum, nullus regnator imperat ritè, at Epiſcopis ſummi candoris ſtola præſignitis mentiri ſemper nefas, atque ad fallendum vti decipulis. Candoris ſacrarium dicitur ſacrum Epiſcopi pectus, nec caueas, cuniculos, vel tricas admittit, ſed Cæli æmulator vndique patens omnibus apertum commonſtrandum eſt. Imperant Chriſtifidelibus Epiſcopi, non libertis, non ſeruis, non captiuis; ideò debent ingenuæ, ac candidæ mentis puritatem profiteri. Non eſt palam ab ipſis probanda benemerentium virtus, ac ſimul in intimis præcordijs ex illuſione improbanda. Eſſet in ipſis nefarium ſcelus nullo tortore expiandum, ſi erga quoſdam ore loquerentur amores, odia vero intrinſecùs non moritura fouerent; ſi quid egentibus, vel petentibus ſponderent prodigè, ſed eſſet in ipſa ſponſione dolus. Malum eſſet, & quidem pluſquam palmare crimen, ſi ad deludendos incautos dicerent ſe velle, quod verè nolunt, optare, quod auerſantur, auerſari, quod ſummoperè concupiſcunt. Eccleſiæ monſtra iurè vocitantur Epiſcopi illi, qui nec ſibi ipſis fideles, omnibus infidi, candorē fidelitatis obturpant doloſo contextu. Nemo ab Epiſcopis fallendus opere, nemo decipiendus ſermone, ſed integro oris, & cordis conſenſu, cunctis aperta animi beneficentia conſulendū eſt. Non furiæ ferales pro numinibus, non ſcorta pro amicis, non tributa pro deſcriptionibus proferenda ſunt, hæc namque præter Athenienſem, ſemper deteſtatus eſt ſacer Areopagus; Verbis, & operibus larua detrahenda eſt, vt patula ſit virtus, & nuda ſemper veritas, quæ ſic ab Epiſcopis diligenda, vt quidquid dicant, pro iurato habeant, quidquid cogitant pro diuinitus inſpirato, quidquid proferunt, pro Sacramento, pro oraculo, pro voto, pro præcepto.

LEX XXXV.

Eccleſiæ Iura ab Epiſcopis toto conatu tuenda.

PRima Iuris regula, quæ à Cælo delabitur, iuribus Eccleſiæ eſt omninò indiuidua, eāque Epiſcopos omnes ita fas eſt profiteri, vt negligere ſit ſummum nefas. Primus regnator Deus potiora dominationis iura Eccleſiam tranſtulit in ſponſam, vt nullo iure dominarentur Principes, ni ſponſæ iura tuerentur. Strictior prudentiæ Epiſcopali hæc imponitur lex, qui ſponſæ tutelam iuratā fide pollicentur in nuptijs. Ipſum Deum tuentur Epiſcopi, quotieſcunq; Eccleſiæ iura tuentur, cum Deus ipſe ſe iuris Eccleſiaſtici inſtitutorem conteſtetur in codice ſacro. Eccleſiæ iura euertunt terram, ſubuertunt Inferos, ſi ab Epiſcopis valida vertantur in arma. Ipſæ claues reſerantes, & claudentes Cælum conuertuntur in arma, elaborantur in tela, vt dimicent ad Eccleſiæ tutamen, ſi pugnantum admoueantur manus ad deterrenda hoſtilia. Etiam gladius, qui datur Eccleſiæ vtraque parte acutus, ab Epiſcopis euaginandus eſt, vt acuatur in lanceam ad contemptorum ruinam; enimuero ſpernentibus ſæpè inducit obſequium minax pauor incuſſus. Sciant Epiſcopi Eccleſiæ Iuribus nihil aduerſari, nihil eſſe inacceſſum, non regna, non regum emporia, non priuatorum domicilia, non Cælorum penetralia; his vbique imperantibus, vbique iudicentibus, vbique etiam ſeſe in ſagittas acuminantibus, vt feriant Gigantes, qui montes montibus aggerunt, vt celſiſſimum Cæli verticem oppugnent. Moneant Epiſcopi eorum omnium Criſtas nimium elatas facili negotio decaluari, quæ ad Eccleſiæ contemptū aſſolent ſua poteſtate turgere. Principum nemo ſuas patitur violari ædes, nullam fert offenſam in ſuos, & immune putat iure regali ſuæ regiæ maieſtatis, & familiæ domicilium, cum hæc ſint prima veteris, & nouæ politicę rudimenta. Eadem prorſus obueniunt Epiſcopis præcepta ſeruanda, cum agitur de Eccleſiæ iuribus ſuſtinendis, cum Eccleſia ſit prima ſummi Principis aula omni veneratione decoranda. Cæli iura non perturbant Elementa inferiora, neq; tam altè ſuis viribus aſſurgunt; cum longiſſimo diſtent interuallo; ſic cum Eccleſia ſit Cælum quoddam ſpirituale, omni immunitatis priuilegio in ſuis iuribus addecet gaudere; & ſemper Luciferi violatoris nomen, & crimen aſſumet, qui ſuper aſtra Dei in eiuſmodi Cælum audebit conſcendere, perpetrato leſæ maieſtatis ſcelere, & excuſſo omnis ſubiectionis onere.

LEX XXXVI.

Potiora prudentia Epiſcopalis rudimenta à Sacris Canonibus eruenda.

CVm Canones quædā Regulæ ſint, nec non bene viuendi pro ijs quibus indicuntur, ſed etiam rectè agendi pro alijs, ideò ab ipſis potiora prudentiæ Epiſcopalis rudimenta capienda ſunt; non enim optimum Eccleſiæ regimen ab Epiſcopis inſtitui poteſt ſine legibus benè regendi, quæ in Sacris Canonibus continentur; & ideò Epiſcopi *in c. cum quibus* à Gelaſio Papa vocantur, ne dum Canonum Magiſtri, ſed Canonum Cuſtodes, & obſeruatores exactiſſimi. Ex quo deducunt plerique Doctores Epiſcopos in omnibus, & per omnia ſe Sacris Canonibus de-

debere conformare, nullámque habere poteſtatem ipſos Canones diſpenſandi, cum ſint regulæ quædam ſuperioris, ſupra eorum Authoritatem poſitæ; Quæ tamen doctrina multas patitur difficultates apud *Sperell.deciſ.*110. Qui videtur adhærere illorum Sententiæ, qui docent Epiſcopos habere facultatem diſpenſandi ſupra Canones in ijs tamen rebus, in quibus diſpenſatio expreſsè non prohibetur Epiſcopis; cum ſint Epiſcopi ipſius Eccleſiæ Principes, & Summi Dei Apoſtolici Delegati; vnde vt habemus in *Clemem. l. de pænis* Clemens V. in Cõcil.Viennen. pænas aduerſus eos,qui offendunt Epiſcopos decernens hæc habet, *Epiſcopi dicuntur Chriſtolegati, Spirituales Patres, noſtrique Fratres & Coepiſcopi, & Eccleſiæ columnæ.* At quidquid ſit de hac doctrina, quod habeant Epiſcopi facultatem diſpenſandi ſupra Canones, certum eſt, quod ipſi à Regulis per Sacros Canones præſtitutis in regimine Eccleſiæ non poſſunt abſcedere, vt habemus in *c. Igitur, & in c. Statuimus*; idque demonſtrat Sperell. *deciſ.*110. authoritate Hilarij Papæ in Synodo Romana relata in *c. Nulli fas &c.* & Nicolai Papæ ſcribentis ad quẽdam Archiepiſcopum, & Leonis Papæ ſcribentis.

L E X XXXVII.

Condenda ab Epiſcopis leges in obſequium Fidei.

NE omni circumferantur populi doctrinæ vento, in Petro, & in Petra Eccleſiæ conſtitutum eſt immobile veritatis fundamentum, quo tota res fidei Catholicę innititur,& ipſa clauium poteſtas ita firmiter ſolidatur vt nunquam propendeat in ruinam, aut nutet ad errorem. Huic primę veritatis rubricæ, atque infallibili regulæ opus eſt, vt adhæreant ſemper Epiſcopi in ſuis ferendis legibus, atque ſanciendis decretis, ne declinent à recto. Ab infallibili veritate, quæ docetur ex Catedra incompta Epiſcoporum mens eam debet accipere regendi normã,vt in eas dumtaxat condendas exeat leges,quæ toti Eccleſiæ & fidelibus cunctis poſſent eſſe meliores. Priuilegio infallibilitatis in rebus fidei ſancta potitur Eccleſia, eiuſque veſtigijs adhærentes Epiſcopi omnes, à vero nequeunt aberrare, ideò ab ipſis condendæ leges, quæ à prima lege non aberrent, ideo eorundem legibus parendum abſque hæſitatione: Euariſtus Pontifex Summus,eos ſummopere commendat Epiſcopos, qui ſuis legibus fidem roborant, ipſis credibilitatem adaugent, ſimul & obſequium; hacque etiam de re, veluti de rerum ſumma Annicetus ad Epiſcopos Galliç miſit pręcepta. Sic latæ ab Epiſcopis leges omnem in ſubditis obedientiam,& venerationem expoſcunt, nec humilius præſtatur obſequium,quàm prompta animi ſubmiſſione ſic imperantibus obtemperando. Ad fidei robur inducuntur Eccleſiaſticæ leges, idque præſertim abEpiſcopis animaduertendum, vt ſint legum latores cauti, ſimulque fidei indemnitati, & bonis populorum moribus proſpiciant; addecet namque etiam ſummos Principatuum, ac Dominationum vertices in eiuſmodi obſeruantiam ſponte procumbere; tuncque feliciter per omnes ſui oceani plagas enauigant Epiſcopi, ſi eorum leges Petri Nauicula deportentur ad omnes, cum ſit vulgatiſſimum ex ore Salomonis, *legem matris nunquam eſſe abijciendam.*

LEX

LEX XXXVIII.

Catholica Fides ab Epiſcopis vbique locorum propugnanda, & propaganda.

NEfas omninò eſſet Epiſcopis, qui dicuntur Eccleſiæ primogeniti ad vbera matris admoti, ſi Catholicæ tuendæ,ac pro pagandę Fidei onus impoſitum excuterent ex humeris,aut periclitari paterentur, oculi torpore, aut manus innoperoſitate, ſicut ijſdē nihil glorioſius quàm magno robuſtæ mentis auxilio Herculea prębere patrocinia, ne pereat, aut vires amittat eundo. Aſſident clauo Nauiculæ Petri Epiſcopi, tamquam Principes Naucleri, eamque tenentur velis,remiſque ab occurſu procellæ, atque naufragio fortiter reparare; neque eſſent tot regna ab Eccleſia ita dolenter auulſa, ſi ab exordio malorum Epiſcopi poſiti ad tutelam ſui muneris numeros diligenter expleſſent. Miſerias ſuas non loqueretur Belgium ſola hæreſi infirmatum, ac propria errorum caligine miſerrimè deuaſtatum; non Regnum Bohemium Huſſitanum diuortia pateretur, & ingemiſceret; non Aſia Arrianos, non Aphrica Donatiſtas omnium bonorū ſuorum euerſores agnoſceret; Non Europa Germaniam fleret infectam, non Angliam omnino tabeſcentem, non Galliam etiam cum puriſſimo liliorum candore dealbicantem,non denique Hiſpaniam hæbraicę perfidiæ velamine ex parte obtenebratam; tot hæc protulit mala multorum Epiſcoporum incuria, quæ colubrum non peremit in ortu,aut non fugauit in curſu. Sanè tot infauſta perditionis euenta non contigiſſent orbi Catholico, ſi flammeus ille zelus in Animis Epiſcoporum exarſiſſet,quo fidem noſtram tot laboribus implantatam in ſuo germine fas erat foueri, & ne dum in proprias, ſed etiam in alienas ditiones propagari. Epiſcoporum muneris eſt,qui oculi Eccleſiæ compellantur ab Eucherio, ita in orbem vniuerſum Catholicæ veritatis lumen effundere, vt quaqua latè Romanum ſplendet Imperium, ſola hæc lampas luceat ad ſalutem,atque ad pręſignandum errantibus portum, cum ſoli prudentiæ Epiſcopali diuinitus demandetur vt inter æſtuātes infidelium,& hæreticorum furores curent pacigeram catholicam fidem aſſurgere, qua fiat in Eccleſia Dei tranquillitas magna; ſic namque accurrente Epiſcoporum zelo ad ferendam cæcutientibus opem, atque ad auuertenda, quæ ab hæreticis iugiter intentantur excidia, nulla erroris caligo Cœlum noſtrum infuſcaret, quin immò ſplendidius rutilaret in terris, capto lumine ab exarmata Tyrannorum barbarie, quæ fortius in dies ad Catholicæ Fidei internecionem armatur.

LEX XXXIX.

Non illicò damnandus tamquam Hæreticus ab Epiſcopis, qui profert hæreſim, aut propoſitionem hæreticalem.

CVm etiam Epiſcopis hæreſum, propoſitionum, atque blaſphemiarum hæreticalium inquiſitio demandetur, ea quoque ipſis prudentiæ lex eſt indicenda,vt non illico tanquam hæreticos damnet, qui aliquo hæreſis crimine notantur exterius; cùm omne hęreticale ore prolatum menſurandum ſit ex interno mentis, & intellectus errore, qui etiam error debet eſſe cum contumacia, vt faciat hæreticum abſolutè damnandum; deficiente igitur mentis errore, qui radix eſt cuiuſ-

cunque erroris hæreticalis, etiam ore prolati, non agerent prudenter Epiſcopi, ſi exteriori tantùm hæreſis errore detentos tanquam hæreticos damnarent, cum poſſint ſemper ex inculpabili ignorantia ſaluari. Si vero deeſſet ignorantia excuſans, & propoſitiones, & blaſphemiæ hæreticales eſſent formaliter ore prolatæ (ſuppono enim quod ſi proferantur tantùm materialiter, vt vulgo fieri ſolet, etiam non data ignorantia in intellectu, nunquam faciant veram, & formalem hæreſim) in hoc caſu proferens illico cenſendus eſſet hæreticus, & conſequenter damnandus, adeſſet namque ſemper error mentis circa fidem, qui per ignorantiam non poſſet excuſari ideo *ex cap. quod autem 24. q. 3. & ex cap. qui in Eccleſia ibidem*, ſi quis proferat propoſitionem hæreticalem, & monitus non reſipiſcat, aut retractet, cenſetur hæreticus contumax, & pertinax, cum ſupponatur per illam admonitionem ſufficienter tolli ignorantia excuſans, quæ doctrina tantum eſt admittenda, ſuppoſito, quod admonitio ſufficiat ad tollendam omnem excuſabilem ignorantiam; dato enim quod cum admonitione poſſet etiam ſtare in intellectu aliqua excuſans ignorantia, nunquam eſſet à prudentia Epiſcopali redarguendus tanquam hæreticus ſic ignorans, quia ſemper tolleretur error in mente contra fidem cum pertinacia. Quod aduertendum duxi contra quoſdam præſertim Paſqual. *deciſ. 162. de hæres. & hæret.* qui docet, quod ſi propoſitiones ore prolatæ eſſent contra prima principia fidei, quæ ipſe vocat credendi fundamenta, & circa hoc fieret admonitio proferenti, tunc nullo modo poſſet per ignorantiam excuſari; cum tamen certiſſimum ſit in Theologia poſſe dari ignorantiam inuincibilem, & inculpabilem etiam circa prima fidei fundamenta, quæ ignorantia etiam poſt admonitione poteſt permanere; cum proferens, vel poſſit non capere vim illius admonitionis ex ignorantia, vel poſſit inculpabiliter non credere tali admonitioni à quocunque ſit, quēadmodum etiam poteſt non credere inculpabiliter ipſos articulos fidei ex ignorantia inuincibili; quæ licet ex doctrina D.Th. non poſſit ad longum tempus durare, ſufficit, quod excuſet, quoaduſque durat.

LEX XL.

Neque illicò damnandi tamquam Hæretici ab Epiſcopis proferentes propoſitiones hæreticales ex ignorantia, licet moneantur ab ipſis Epiſcopis, & Inquiſitoribus de errore prolato, & non reſipiſcant.

Conſtituuntur æquè Epiſcopi, & Inquiſitores in Eccleſia Dei tamquam Iudices, & Doctores in rebus fidei, atque ex hoc videntur teneri omnes ipſis monentibus, & res fidei declarantibus proprium intellectum captiuare in obſequium Chriſti, atque errores omnes circa fidem deponere, & hanc doctrinam præſertim de Epiſcopis habemus *ex cap. Epiſcopus diſt. 22. ex cap. qui Epiſcopus diſt. 23. ex cap. qui Eccleſiaſticis diſt. 58.* & verè doctrina valdè probabilis eſt, cum ipſam amplectantur quamplures Doctores cum Paſqualig. *deciſ. 163.* licet plures alij in oppoſitum afferantur. Ego verò pro exercēda Prudētia Epiſcopali longè probabiliorē putarē doctrinā illā, quę aſſerit nō eſſe maiorē authoritatē Epiſcoporū, & Inquiſitorum, quàm ſit authoritas ipſius fidei immediatè à Deo reuelatę; & ſi poteſt ex ignorantia inculpabili aliquis non cenſeri hęreticus, licet non

credat articulis fidei; multò minùs poſſet damnari tamquam hęreticus eo quod non crederet Epiſcopis,& Inquiſitoribus monentibus de errore propoſitionis prolatę, cùm adhuc poſſit interius nihil ſentire, & nihil velle ſentire contra Eccleſiam, & contra res fidei; ex quo ad ſummum docent cum Suarez, & Vaſquez aliqui Doctores, quod eſſet iudicandus iſte talis hęreticus pertinax quoad forum externum, non in foro conſcientię, quorum tamen ſententię neque ab Epiſcopis eſt facilè adhęrendum, ſi ſupponamus, vt verè ſupponendum eſt, ignorantiam inculpabilem poſſe ſtare etiam cum admonitione Epiſcoporum, & Inquiſitorum ſuper errores ore prolatos; hoc eſt enim fundamentum noſtrę doctrinę ſanè probabilioris. Neque in hoc caſu, qui ſentiret contra Epiſcopos, & Inquiſitores, diceretur ſentire contra Eccleſiam, cum ex ignorantia opinetur, vel ſaltem opinari poſſit, ſe non teneri credere Epiſcopis,& Inquiſitoribus etiam in rebus fidei, cum poſſit ignorare non adeò extenſam eſſe authoritatem Epiſcoporum, & Inquiſitorum, vt poſſint declarare propoſitiones de fide tenendas, cum id agat ſummus Pontifex,quando agit ex Catedra, & vt Pontifex, non vt Doctor.

LEX XLI.

Vera Religionis cultus ab Epiſcopis in ſuis Eccleſijs adaugendus.

POtior Epiſcoporum cura, & Paſtoralis Prudentię ſollicitudo ea eſſe debet, vt verę Religionis cultus vbiuis ſuarum gentium, vbique ſuorum populorum, ne dum implanterur ad fructum, ſed etiam germinet ad incrementum, cum id ſit ipſis pręterum demandatum à Deo, vt zelo diuinorum cœlitus indito fines, & iura Religionis extendant. A cultu verę Religionis auſpicanda eſt omnis Eccleſię felicitas, & amplitudo, quę quidem facilè corrueret, vel nutaret, niſi hac appoſita baſe ſolidaretur. Sic verò ab Epiſcopis proponenda ad cultum vera Religio eſt, vt populi eiurata omni impietate Deum humiliter venerentur, eiuſque legem ſanctiſſimam ſincero cordis affectu profiteantur, cuius obſeruationis dicuntur Epiſcopi legati cuſtodes, & curatores fideles, & tranſgreſſionis vindices ſeueri, & punitores immites. Omnes vocare,cunctos cogere in obſequium religionis debent Epiſcopi idque ipſis pręſertim cauendum eſt, ne publicus,vel communis in ipſa Dei Domo contemptus ſenſim irrepat,quo euentu acriter detergenda ſunt in delinquentibus ſacrilegę impietatis inquinamenta, cum exterminanda prorſus ab Eccleſia ſint illa crimina, quæ ipſi quodammodo cladem intentant, & excidium,quęadmodum ad inferorum ſtationes ab Eccleſia damnantur omnes illi tenebriones, qui in ipſo veritatis lumine caligantes aduerſus religionem venenata euomunt eiectamenta. Id potiſſimum eſt Epiſcoporum munus, hæc lex è Cœlo condita Epiſcopalis Prudentiæ cœlitus indicta; quam ſi reciperent Principes reliqui, facilius hoſtes ſuos profligarent, triumphos agerent, ac imperij ditiones extenderent; nam vera ſtatus ratio apud ſeniores politicos vera religio eſt, hacque ſola vetus Romanum Imperium ad apicem ſuę magnitudinis, & felicitatis perductum eſt,id adhuc teſtante Numę ſimulacro, quod Romæ deſpicitur religioni dare manus, immo nectere amplexus. Curandum tamen Epiſcopis eſt, ne in ſuis Eccleſijs perſonata religio

gio habitu, verę religionis incedat; execrandũ .n. omnino ſcelus eſſet id quo intima operitur impietas eſſe eximũ dũtaxat verę religionis indumẽtũ Vnius, & veri ſupremi Numinis cunctis eſt adoranda Maieſtas ſine fuco; & citò nimis colliderentur Eccleſiæ claues, collaberentur fidei cardines, ſi eiurato veræ religionis cultu, commentius inducerentur; neque tot regna in ipſo matris gremio adhuc nutarent abſque ſecuritate, ſi ab exordio Principatus indicto erroribus exilio, adulterinę, atque degeneris religionis ritus à ſuis finibus exturbaſſent. Vnus verax Deus dominantium omnium dominus vnam veram religionem ſibi iungit in contubernium, immo in coniugium; ideo horrendum ſemper debet eſſe Epiſcopis in ſuis ditionibus veros Iſraelitas, cum Cananeis, Iebuſeis, & Amorrhęis contubernij communionem audire, aut ſatanam pati tantæ impietatis contubernalem.

LEX XLII.

Ea ab Epiſcopis ſancienda Decreta, quibus omnino curetur diuortium membrorum à capite.

VBi membri ſcelus, quod ſeparatur à capite, exagitat Chryſologus, ea conſulit ſupremis moderatoribus ſancienda Decreta quę maximè vtriuſque faueant vnitioni, omneque tollant diuortium. Legibus, ac Decretis totus regitur Orbis, omne firmatur imperium; at id potiſſimum in Eccleſia deprehenditur, quæ debet vnitatem ſuſtinere in ſe ipſa, vnionem in cæteris, Ipſa fidei baſis facile euertitur atque collabitur, niſi Decretorum ſanctitate ſolidetur. Exurgit Schiſma ad excidium, niſi ſalutaribus Epiſcoporum Decretis amputetur in ortu lernæi colubri multiplex ſupercilium. Ne dum tollenda, ſed auertenda antequam ſuboriantur ſchiſmata, idque fit faciliori negotio, cum præcurrant Epiſcoporum Decreta omnem membrorum à capite diſiunctionem reparantia, nam nutus ritè imperantis renutum obtemperantis non patitur per inobedientiam inducendum. Attulere Schiſmata omni æuo omnia Eccleſiæ mala, primum rerum leuitate concepta, mox ſubiectorum contumacia & diſtractione ad incrementum lethaliter perducta; hęcque per inobedientiam inuecta numero vigintinouem commemorat Brunus *lib.* 1. *de Seditioſis*. Lydius verę fidei profeſſionis lapis eſt delatum obſequiũ totius Eccleſiæ, & Epiſcoporum Decretis, ipſaque Principatus iura ijs in obedientiæ teſtimonium ſubijciuntur; & quo fauſtior eſt regnantum fortuna, ſi pareant, eò magis lugenda ſunt eorum infortunia, qui luctuosè ab obedientia deficiunt; nec refert quod tabidum ſit imperans caput, vt lapſabundum per inobedientiam ſit corpus obtemperans. In implendis legum latorum iuſſis botrus carpendus, ſpina ſemper relinquenda. Luere pœnas Datan, & Abiron, qui Moyſis, & Aaron reſtitere decretis, cum ageretur de ſacrificio. Hoſtes Altaris Chriſti rebelles, in fide perfidi, in religione ſacrilegi, in obſequio inobſequentes cenſendi ſunt omnes ſanctionibus Epiſcoporum reluctantes, digni quoque, vt telluris abſorbeantur hiatu.

LEX XLIII.

Nulla erroris, aut impietatis doctrina in ſuis finibus ab Epiſcopis admittenda.

INdiuidua Epiſcopalis prudentiæ comes ſumma pietas eſt, ſumma religio, honeſtas ſumma, hæcque non patitur impietatem graſſari in noxijs doctrinis ad animarum excidium. Non ſat eſt Epiſcopis fauſtum ſuis Eccleſijs inde regimen capeſſere, cum Arrios, & Porphirios, Apollinares, & Euthychios, Anthimos, & Seueros, Donatos, & VVicleffos, Lutheros, & Caluinos, errorum corryphæos à finibus Eccleſiarum eijciũt, at erroneas quoque doctrinas omnes ipſum fidei candorem tabida lue inficientes, tenentur omninò perdere, & abolere, in hac re face præeunte Romano Epiſcopo Pontifice ſummo Alexandro VII. qui eiuſmodi virus omninò lethale, licet illitum ſuo melle, anathemate deturbauit ad tartara; neque ignorandum Epiſcopis eſt, doctrinas eiuſmodi populorum conſcientias paulatim laxantes, eas quoque ſenſim in omne flagitij genus, & tandem in ſalutis deſperationem adducere, vix namque inter fideles inuenitur, qui impias haſce doctrinas à viuendi licentia in Eccleſiam ad perditionem inuectas inoffenſo pede decurrat, cum ſemper lateat anguis in herba, tametſi ad animi oblectationem herba floreat, ac vireſcat; doctrinas namque impietate, aut obſcœnitate laborantes vip eras venatiſſimas ipſe Tertullianus appellat, & horrendum nimis eſſet (ſubijcit idem) quod in horto omni venuſtate conſito, qualis eſt Eccleſia, Dæmonis ope implantatę propagines admitterentur. Auguſtale Eccleſiæ Templum doctrinarum ſacrilega ſemper eiurat, earumque nefarios authores non admittit. Muſarum ſacrarium, ædes pudoris à Sanctis Patribus vocatur Eccleſia, ideò per immundas doctrinarum ſordes non eſt vertenda in impudentiæ proſtibulum, vel lupanar; illæ etenim doctrinæ, quæ Veneris venuſtatem, & pulchritudinem videntur præſeferre, ſemper afferunt turpitudinem, eò magis ab Epiſcopis damnandam, quo honeſtos, ac ritè formatos hominum mores magis deformat, atque in monſtruoſam nimis turpitudinem violenter adducit, quapropter optimè ſemper Epiſcopis conſultum erit prauas eiuſmodi doctrinarum corruptelas in animarum perniciem irrepentes indictis ad pęnam legibus, & cenſuris funditus eradicare; accedunt namque facili greſſu doctrinę iſtæ laxantes animas, non ſolum ad ſummam viuendi licentiam, & agendi libertatem, ſed etiam ſæpè ſæpius ad Atheiſmum, atq; ad hæreticam prauitatem. Cæterum noua doctrinarum inuenta non ſunt ab Epiſcopis improbanda, ſi mens inuentorum in puncto veritatis iugiter ſubſidat, neque à ſaniorum Doctorum placitis omninò diſcedat; queadmodũ .n. etiam ſi ſit noua quædam fidei noſtræ illuſtratio, quæ ex ſe latet libenter in tenebris, & noua quædam ſacræ Scripturæ interpretatio, non ideò damnanda eſt, ita noua doctrinæ lux nobis appoſita ad veritatem clarius dignoſcendam, ſi ſit ſine errore, non debet inducere damnationis, vel improbationis horrorem, poteſt namque ſol ipſe ſplendidius in dies micare, & luna ipſa temporis progreſſu luminis incremento fortius rutilare.

LEX

LEX XLIV.

Illa tantum ab Epiſcopis probanda leges, quæ non aduerſantur Eccleſiæ.

OPtimum Eccleſiæ regimen in legum ſanctitate verſatur, hæcque eſt prima imperandi cura, quæ Epiſcopis demandatur. Prima lex Eccleſiaſtica ea eſt, quæ nihil admittit, quod aduerſetur Eccleſiæ, aut ab Apoſtolico iure diſſentiat; cuius ſacra præſcripta ad vnguem ab omnibus implenda ſunt, à nemine ad trutinam reuocanda. Malè oberet inter Epiſcopos ille, qui cum ſit ex Eccleſiæ primogenitis, illa probaret iura, quæ omninò ab illius finibus, tamquam ſpurij abortus mentis inſanæ eſſent eijcienda. Orientis ſimul, ac occidui Solis Principatus ea addecet venerari diplomata, quibus Cœli iura exarantur in terris in fauorem parentis, quæ tota cęleſtis eſt. Ex omnibus Oceani plagis in Petri Nauicula deportanda ſunt fauentia vota ad Eccleſiam, ne aliquod membrum ſit, quod à ſuo capite quoquo modo auulſum facilè concidat, aut contabeſcat. Parit Schiſma omne id, quod aduerſatur Eccleſiæ, ac propterea ab Epiſcopis ſemper improbandum; omnia namque attulere mala permiſſæ leges aduerſus Eccleſiæ legem, quæ prorſus diuina eſt. Cenſendi ſunt hoſtes Altaris, in fidem perfidi, in religionem ſacrilegi illi omnes, qui leges condunt, approbant, aut patiuntur impleri ſi leges illę dirimant legem obſequij Eccleſiæ deferendi, cum hæc ſit fidei, & religionis Parens, & Nata. Lydius eſt Catholicæ profeſſionis lapis iuris Eccleſiaſtici cultus; nullaque fauſtior omnium Chriſt. fidelium fortuna, quàm ſub vno, atque indiuiduo iure humano ſcilicet, ac diuino gubernari, quemadmodum nullum luctuoſius infortunium, quam ſacrilega quadam Eccleſiaſticę Maieſtatis deſpectione ab illius obſequio per leges exlegesmõſtruosè recedere. Periere Azoti accolæ, cum auſi ſunt ex contemptu arcam Dei contingere, quam vel videre nefas erat; & prima quoque Athenienſis Areopagi cura fuit, vt indictæ à flaminibus leges, tamquam à Dijs prænunciatę ſeruarentur ſine contemptu. Agunt Epiſcopi Dei cauſam, tam in ſuis ferendis legibus, quam in alienis admittendis, & probandis; hæcque prę oculis ſemper habenda, ne legibus ipſis, quæ ligant, ſoluatur, ac tandem ſoluta abeat in præceps. Totum fas, æquum, ac rectum legibus conſtruitur Eccleſię fauentibus, quod verò aduerſum eſt ſemper nefas, & iniquum. Cęleſtis exarmatur Aſtræa legum impietate graſſante, quæ, ſi ab Epiſcopis probaretur, ſummum ſcelus eſſet, ſummum ſacrilegium.

LEX XLV.

Summum obſequium ſanctæ Sedi Apoſtolicæ ab Epiſcopis deferendum.

SEdes illa, quę Throni Dei vices agit in terris, vtpotè admirandum Trinitatis ſubſellium, & adorandum ſummæ Maieſtatis exemplar primum Epiſcopalis Prudentiæ characterem quærit in obſequio, expoſcit in flexu venerabundo; par ſiquidem eſt, vt primigenia Eccleſiæ proles Epiſcopis congenita primos quoque ſanctiſſimæ Parenti impendat honores. Pluſquam regium eſt Apoſtolicæ Sedis Imperium, & cum tergemino diradiet diademate, infulas omnes vocat ad pedem oſculabundas. Epiſcopos, tametſi Eccleſię Principes in Orbe terrarum, ſua cuiuſcunque

Diœceſis meta concludit, at vbiuis gentium, vbique locorum Apoſtolica Sedes tamquam regnatrix dominatur excelſa, cum habeat poteſtatem Deo conterminam, Cœlo finitimam, nec aliquid maius contineat Orbis, nullumque altius attollatur regnum, quod ipſas cęlicas poteſtates, & Acheronta poteſt mouere; ideò epiſcopi omnes Eccleſię cardines non purpurati Solem ſuum debent agnoſcere, & fontem luminis demiſſa oculorũ acie contueri. Fulgent quidem Epiſcopi omnes ad fulgurantem Eccleſiæ ſplendorem, at æquum eſt Stellas eſſe primo lumini obſequentes, cum ab orbita Solis illa nunquam exorbitent aſtra, quæ mutuato ſemper incedunt, & ſplendeſcunt lumine. Igitur prima Epiſcoporum laus erit ſanctam Sedem venerari, eique cultum exhibere, eóque celſior ſemper erit Epiſcopalis prudentiæ apex, quo profundius erit dimiſſæ elationis experimentum. Non eſt pondus ad ima deiciens Epiſcoporum obſequium ſanctæ Sedi delatum, ſed motus aligerum in ſublimiora contendens, nam & Archytæ Columba fortius tollebatur ad ſidera, quò grauius ferebatur ad infima; vt omnibus palam ſit, eò humilius obſequium ſanctæ Sedi deferendum eſſe, quo ſublimior eſt eius celſitudo principatus; ſicque Epiſcopalem dignitatem altius attolli, quo grandius eſt vltroneæ abiectionis exemplar, nec vllam deprimi gradus, vel ſtatus magnitudinem, ſi ad normam humilitatis temperetur.

LEX XLVI.

Summo Capiti ſummus honor ab Epiſcopis exhibendus.

VNum eſt ſummum Sacerdotium, & ſummum Imperium: vtrumque redolet ſupremam poteſtatem, cui non obſequi, non obtemperare ſemper nefas. Lex præſertim Epiſcopis indicta eſt, vt corruant ad pedes capitis, ad ſubmiſsè parendum, cuius ſuſcipiant oracula, quæ Romæ, quemadmodum in Dodonis Vrbe, non funduntur à Quercu ad illudendum. Vnum Caput tricipiti diademate ideò tegitur, vt Cœleſtium, Terreſtrium, & Infernorum dominatus exerceatur in vno, cum diuiſionem lucis non capiat vnitas Solis, nec bipartitum in aſtris admittat obſequendi nitorem. Inſeruiunt Capiti membra, & ideo ab ea nulla ratione ſcindenda, quæ impiam nimis pariunt ſciſſionem; enim verò fractus ab arbore ramus fructum non germinat, & præciſus à fonte riuus ſtatim areſcit. Fętu Capitis, ſummi nimirum Pontificis nixu naſcuntur Epiſcopi, tamquam ſummi Iouis mineruales filij, nec licet eſſe natos à Parente degeneres. Damnatur in Eccleſia Polytheiſmus à D. Athanaſio, quia vnum addecet eſſe totius Catholicę vniuerſitatis Moderatorem, cui cæteri omnes Eccleſij imperantes ſe ſe exhibeant ex præſtito honore famulatores. Adſtant quidem tamquam Capita Eccleſijs ſuis Epiſcopi, at vnum eſt Caput, quod Capitolium efformat, nimirum ſupremum in vno ſummo Pontifice imperij Principatum, cui curuant genu, flectuntque caput Imperatores ipſi. Claudit hanc legem D. Bernardus ſcribens ad Eugenium, cum ait, omne genus honoris eſſe ſummo Pontifici

tifici deferẽdum, quia ipſe ſolus dicitur āτονομαστικῶs Caput Eccleſię Sãctimõn æ ſpeculum, Pietatis exemplum, Veritatis aſſertor, Fidei defenſor, Doctor gentium, Pater Regum, Moderator Legum Canonum diſpenſator, Orbis lumen, Sacerdos Altiſſimi, Vicarius Chriſti Chriſtus Domini, cum reliquis, quæ ad euincendam ſupremi Capitis celſitudinem ibi diſertiſſimè proferuntur.

LEX XLVII.

Admittenda ab Epiſcopis Principum Priuilegia à Summis Pontificibus conceſſa.

COmmune populorum commodum, quod in recto Principum regimine ſemper ſpectandum eſt, exigit plerumque vt non modicis, ſed amplis priuilegijs à ſummis Pontificibus cumulentur Principes ipſi, cum nec ab eadem meta, quæ eſt totius mundanæ Reipublicæ ſalus ab ijs, qui ſupremi moderatoris vices agunt in terris, nunquam fas ſit aberrare; quęcunque enim temporanea populorum ſalus ita cum æterna animarum ſalute colligatur, vt hoc inſolubile vinculum diſrumpere nemini liceat; ac propterea non rarò contingit, vt ſummi quoque Eccleſiæ Principes, & Hierarchæ ad tuendas aliorum Principum Reſpublicas, eaſq; in optimum finem perducendas priuilegia quædam non ſolo diſpenſent arbitrio, ſed aliqua ex cauſa rem iuſtitiæ, vel æquitatis, vel remunerationis patrocinante. Eiuſmodi igitur Principum priuilegia in bonum commune ex inſtituto collimantia ab Epiſcopali prudentia, ne dum facile admittenda ſunt, ſed etiam toto conatu in vſum reuocanda, vt potè ipſi quoque Eccleſiæ admodum fauentia; licet enim videantur quandoque Eccleſiaſticæ immunitati, aut libertati aduerſari, cum tamen re vera in ipſis ad ſummum vis Eccleſiæ ex indulto ſummorum Pontificum ad maiora reparanda mala transferantur in laicam poteſtatem, ſequitur apertè nihil iuris Eccleſiæ lædi, aut violari per eiuſmodi tranſlationem; ſed potius ius ipſum Eccleſiæ ſuſtineri; cum omnia agant Principes ex hoc iure tranſlato virtute priuilegiorum, à quo etiam dicuntur accipere poteſtatem. Verum tamen eſt, quod debet Epiſcopis conſtare de talis iuris tranſlatione facta per conceſſionem priuilegiorum, cum plura fieri poſſint à Principibus ex vſurpatione iuris Eccleſiaſtici, vel ex præſumptione aliquorum Priuilegiorum, quæ verè ipſis non fuerint conceſſa; ideò in hac re Epiſcopalis prudentia non debet cęcutire, neque obdormitare.

LEX XLVIII.

Permittenda ab Epiſcopis quedam Principum Iudicia aduerſus Eccleſiaſticos.

PLures enumerant Canoniſtæ caſus, in quibus licet Epiſcopali prudentiæ permittere Principibus iudicia aduerſus Eccleſiaſticos, ſine læſione Eccleſiaſticæ libertatis, qui quidem cum ſint fere omnibus noti, non eſt hic operæ pretium eos recenſere. Quo iure verò id agant Principes, & Iudices Laici etiam in cauſa mortis ex ſupra dictis ſtatutum eſt; vtuntur namque iure illo in ipſos ab Eccleſia tranſlato, ne ſceleribus, vel criminibus atrocibus ab Eccleſiaſticis perpetratis vel pereat Orbis, vel ipſa cõtaminetur Eccleſia, aut ab innato paulatim concidat innocentiæ candore. Præ cæteris Principibus eiuſ-

modi Priuilegijs ditata eſt à ſummis Pontificibus Sereniſſima Venetorum Reſpublica, quæ licet ex delictis atrocibus, vel ex criminibus læſæ Maieſtatis ſæpè animaduertat in Clericos, cum tamen vbique terrarum fulgeat pietatis, ac Religionis obſequio, atque Eccleſiæ veneratione, id ſanè non ageret, niſi hoc iure per Pontificia diplomata in eius poteſtatem translato impunè vti poſſet. Diplomata, quæ extant in hac materia apud Venetos plura ſunt. 1. Xiſti IV. datum Romæ die 11. Iunij 1424. anno 3. Pontif. 2. Itidem Xiſti IV. datum Romæ die 30. Iunij 1424. anno 3. Pontif. 3. Innocent. VIII. datum Romæ 1477. anno 4. Pontif. 4. Alexandri VI. datum Romæ die 28. Iulij anno 10. Pontif. 5. Pauli III. datum Romæ die 10. Octobris 1541. anno 8 Pontif. Quorum exempla manuſcripta ipſemet vidi, & ſub hac lege recenſentur ad verbum, ad tollendas mentis dubietates; noui enim quamplures ſupra eiuſmodi Venetorum priuilegia hęſitare, eoſque fortaſſis quadam irreligionis nota damnare, cum videant eos tam facili negotio manus ſuas Clericorum, ac Religioſorum ſanguine cruentare.

SIXTVS PAPA IV.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cogimur non ſine noſtri cordis dolore plurimas querelas de Perſonis Eccleſiaſticis audire, ex iſta Ciuitate præſertim, in qua ſępè nonnulli aut monetas adulteraſſe, aut crimen læſæ maieſtatis cōmiſiſſe dicuntur; adeo vt pro aliorum exemplo, delinquentiumque punitione, nouo videatur eſſe opus remedio; Itaque volumus, & tuæ Fraternitati mandamus, vt quotieſcunque contingat aliquē Clericali charactere inſignitum pro delictis huiuſmodi capi, Vicarium in ſpiritualibus tuum ad eorum examen mittere debeas, & nihilominus eiſdem licentiam Auctoritate Noſtra concedas complices facinorum, ſine alicuius irregularitatis incurſu, reuelandi, ne (quod iniquiſſimum eſſet) inſontes pro ſontibus pœnas luant; dummodo perſonæ ipſę ſint ſub tua poteſtate; Conſtitutionibus Apoſtolicis, & alijs in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 11. Iunij 1424. Pontificatus Noſtri anno Tertio.

SIXTVS PAPA IV.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Superioribus proximis diebus Fraternitati tuæ per alias Noſtras in forma Breuis literas dedimus in mandatis, vt ad examen Clericorum, Eccleſiaſticarumque Perſonarum, quæ in crimine læſæ maieſtatis deprehenſæ fuiſſent, Vicarium tuum mittere deberes, prout in ipſis literis plenius continetur. Intelleximus nuper reuocari in dubium à nonnullis, an in Clericis perſonis huiuſmodi iuriſdictioni tuæ non ſubditis hoc facere tenearis, Noſtræ Intentionis fuit, & eſt, vt omnibus, qui in Deo dilecti filij nobilis Viri Ducis Venetorum ad crimina in literis antecedentibus expreſſa deprehenſi fuerint, idem facere tenearis, & debeas, & ita tenore præſentium declaramus, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 30 Iunij 1424. Pontificatus Noſtri anno Tertio.

IN-

INNOCENTIVS PAPA VIII.

DIlecto Filio Vicario Venerabilis Fratris Patriarchæ Venetorum in ſpiritualibus Generali. Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Expoſuit Nobis dilectus filius Vinciguerra Orator Venetorum veſtri iſtius dominij Veneti non vllum ferè latrocinium, aut grauius delictum in Ciuitate iſta Venetiarum perpetrari, cuius non ſit auctor aliquis Clericus, qui, ſi capiatur, non poteſt examinari, quandoquidem tu examini huiuſmodi intereſſe recuſas, nec præſens eſſe vis, præterquam in caſibus læſæ maieſtatis, cuius cauſa venit ira Dei in filios diffidentiæ, & falſificationis monetarum, in quibus caſibus tibi à Sede Apoſtolica conceſſum eſſe dicitur, vt intereſſe poſſis examini: quæ quidem recuſatio cauſa eſt, vt refertur, quod quidam Clerici facinoroſi audaciores ad committenda delicta in dies reddantur; Supplicatum proinde Nobis fuit de opportuno ad id remedio. Nos attendentes priuilegia, & indulta dari ad bene viuendum, non ad delinquendum, illaque præſidio bonis contra improbos eſſe debere, non autem malis ad nocendum, tenore præſentium conceſſionem tibi factam à præfata Sede, & prædeceſſoribus noſtris Romanis Põtificibus intereſſendi examini huiuſmodi in tribus ſuper nominatis caſibus, ad alia etiam delicta grauiora extendimus, decernimuſque, vt ſicuti in examine Clericorum in tribus caſibus potes huiuſmodi ex indulto Apoſtolico intereſſe; ita, & præſens eſſe poſſis, & debeas in caſibus facti latrocinij, & alijs atrocibus, & grauioribus facinoribus ad hoc vt Iuſtitia locum habeat, & ſe quiſque intra honeſtatis fines, ac terminos contineat, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Anno 1477. Pontificatus noſtri anno quarto.

ALEXANDER PAPA VI.

DIlecto Filio Vicario Venerabilis Fratris noſtri Patriarchę Venetorum in ſpiritualibus Generali. Dilecte fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Nuper ex parte dilecti filij noſtri nobilis Viri Leonardi Lauretani Ducis Venetorum Nobis expoſitum fuit, quod iamdudum nulla ferè latrocinia, & grauiora delicta in Ciuitate perpetrabantur, in quibus aliquis Clericus Sæcularis, vel Regularis non interueniret, & quod propterea fel. record. Sixtus IV. & Innocentius VIII. prædeceſſores noſtri per literas ſuas in forma Breuis, ad percludendam viam delinquendi, tibi, quotieſcunque aliquem Clericum ſic delinquentem capi, & examinari ſuper delictis per eum perpetratis contingeret, examinationi huiuſmodi intereſſe poſſis, conceſſerunt; prout in dictis literis aſſeritur latiùs contineri. Verum quia à nonnullis dicitur reduci in dubium, num literarum prædictarum vigore examinationi Clericorum, & Religioſorum cuiuſcumq; ordinis etiam Mendicantium intereſſe poſſis, qui ſæpius ob huiuſmodi delicta capiuntur, & examinantur, ea propter ad tollendum omne dubium, & vt delinquentes prædicti iuxta delictorum eorum indigentiam puniantur, tenore præſentium tibi committimus, & mandamus, quatenus examini cuiuſcunque Clerici, tam Sæcularis, quam Regularis cuiuſcumque ordinis, etiam Mendicantium

intereſſe, ac alia, & alia facere poſſis, & valeas, prout in dictis prædeceſſorum noſtrorum literis deſuper tibi cōceſſum extitit, præmiſſis & conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis priuilegijs quoque, ſi quę fortaſſe delinquentibus conceſſa fuerint, cæteriſque in contrarium non obſtantibus quibuſcumque, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 28. Iulij 1502. Pontificatus noſtri anno 10.

PAVLVS PAPA III.

Dilecto Filio nobili Viro Petro Lardo Duci Venetorum. Dilecte Fili nobilis Vir ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Exponi Nobis per dilectum Filium Gabrielem Venerium tuum, & iſtius dominij apud nos Oratorem nuper fecisti, quod licet alios ab immemorabili tempore citra certi Iudices ſæculares Ciuitatis Venetiarum Aduocatores Communis nuncupatos, contra quoſcumque Clericos tam Sæculares, quam Regulares cuiuſcumque ordinis, etiam in ſacris ordinibus conſtitutos, aliaſque Eccleſiaſticas perſonas atrocia delicta in eadem Ciuitate, & Diœceſi committentes cū interuentu dilecti filij pro tempore Venerabilis Fratris Patriarchæ in ſpiritualibus Vicarij Generalis, procedere, illoſque culpabiles repertos pro modo culpæ condemnare, & punire, mediantibus conſilijs X. conſueuerint, & in poſſeſſione, ſeu quaſi procedendi, condemnandi, & puniendi huiuſmodi fuerint, cum fel. record. Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. & alij Pontifices Romani prædeceſſores noſtri per eorum literas eidem pro tempore Vicario, & examini, & proceſſibus per eoſdem Iudices faciendis aſſiſtere, & intereſſe debere mandauerint. Nihilominus dilectus Filius modernus Patriarchæ Vicarius in ſpiritualibus Generalis, & forſan alij Iudices Eccleſiaſtici iſtius Ciuitatis, ex eo quod de aliquo Priuilegio Apoſtolico ex diuturnitate temporis forſitā conſumpto, & deperdito, aliterque per immemorabilem obſeruantiam, & conſuetudinem huiuſmodi non conſtet, examini, & proceſſibus prædictis interuenire recuſant, dictoſque delinquentes per Iudices prædictos puniri, & debitè caſtigari impediunt; propter quod Clericis, & Perſonis iſtis audacia tribuitur delinquendi, variaque, & frequentia delicta committuntur, & excitantur, & quamplurima mala exempla. inconuenientia, perturbationes, & ſcandala ſubſequuntur. Quare nobis humiliter ſupplicare feciſti vt Iudices ſæculares prædicti contra Clericos, & perſonas huiuſmodi, prout hactenus, vt refertur, conſueuerunt procedere, eoſque pro delicti qualitate punire, & caſtigare valeant, ac Vicarius, & alij Iudices Eccleſiaſtici prædicti examini, & queſtionibus prædictorum Clericorum, Noſtrorumque prædeceſſorum dictarum literarum tenore interuenire debeant, aliaſque opportunè in præmiſſis prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ne quod circa hoc tanto temporis ſpatio, fuit laudabiliter obſeruatum, quod non, niſi Canonicum principium habuiſſe præſumitur, infringatur, ſed in ſuo robore permaneat, prouidere inconuenientibus, & ſcandalis huiuſmodi obuiare, tuiſque, & iſtius Dominij precibus quantum in Deo poſſumus annuere volentes, volumus, & Auctoritate Apoſtolica concedimus, & ordinamus, quod Iudices ſæculares prædicti, niſi per Vicarium, & alios Iudices Ec-

cleſiaſticos in procedendo præuenti fuerint contra Clericos, & Eccleſiaſticas Perſonas huiuſmodi, prout hactenus à dicto rempore citra conſueuerunt procedere, illoſque, prout criminis, & delictorum qualitas exegerit, condemnare, punire, & caſtigare poſſint, dictique Vicarius, & alij Iudices prædicti ſub pœna excommunicationis per eos, niſi aſtiterint, & interfuerint, incurrenda, examini, & proceſſui huiuſmodi aſſiſtere, & intereſſe debeant; mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ ſub prædicta excommunicationis pœna Vicario, & alijs Eccleſiaſticis Iudicibus prædictis, ne Iudices ſæculares prædictos contra conſuetudinem immemorabilem prædictam, & aliorum prædeceſſorum noſtrorum literarum prædictarū, & præſentium noſtrarum tenorem quomodolibet moleſtent, vel impediant, nec aliud in contrarium facere præſumant, ſed examini, & proceſſibus huiuſmodi quoties, & quando à dictis ſæcularibus Iudicibus vocati fuerint intereſſe, & aſſiſtere omnino debeant. Decernentes ita, & non aliter per Clericos, & perſonas de præſenti pro grauibus, & atrocibus delictis huiuſmodi per eoſdem Iudices detentos, & carceratos iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane quidquid ſecùs ſuper his à quocunque, vel ignoranter, vel ſcienter contigerint, attentari. Non obſtantibus prædictis, & conſuetudinibus, & ordinationibus Apoſtolicis cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, quod vbi pro delictorum atrocitate ſanguinis pœna adiungenda foret degradatio, quæ aliàs procedere debet ſecundum formam Iuris omninò procedat.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 20. Octobris 1542. Pontificatus noſtri Anno octauo.

LEX XXXXIX.

Theologis, & Canoniſtis ab Epiſcopis par honor deferendus, & æqualia Priuilegia concedenda.

Alibi Prudentiæ Epiſcopalis obtutibus obiectum eſt diſcrimen aliquod inter doctrinā Theologicam, & Canonicam, cùm Theologia ratione ſuorum principiorum, quæ nituntur lumine reuelato, & ratione obiecti, quod eſt Deus, dicatur eſſe in altiori ordine, quam doctrina Canonica, & ideò magis æſtimanda; at ſi agatur de honore, quo ad praxim deferendo vtriuſq; doctrinæ profeſſoribus, quemadmodum à iure videntur eadem priuilegia conceſſa Theologis, & Canoniſtis, ſic videntur ab Epiſcopis eſſe concedenda; in iure enim Theologi, & Canoniſtę æquiparantur, & pro vno, & eodem ſubiecto intelliguntur, & quod conuenit vni ex æquiparatis, & alteri conuenit, vt habemus in *l. 1. ff. de legibus, vbi* Bartol. & cæteri DD. vt etiā habemus in *Gloſſ. Canonic. cap. ſi poſtquam, & alibi*; æquiparatio enim operatur quod idē iudicium fieri poſſit de vno, ac de altero, quod etiam intelligendū eſt quo ad honores, & priuilegia perſonis concedenda. Quod verò Theologia, & Ius Canonicum æquiparentur in Iure, habemus clarè *ex cap. cum de diuerſis de priuilegijs in 6.* vbi iiſdem priuilegijs eſſe decorandos Studentes Theologiæ, & ſtudentes Iuri Canonico ſtatuitur; quod etiam habemus *ex cap. ſuper ſpecula de magiſtris, & ex cap. licet vobis de prabend.*, vnde ſatis conſtat non eſſe reuocandum in dubium apud Epiſcopos, quod Theologi, & Canoniſtæ

niſtæ non ſint eiuſdem dignitatis, & prærogatiuæ, ac propterea iiſdem non ſint honoribus inſigniendi. Quæ doctrina eſt etiam amplectenda à Prælatis Regularibus, apud quos nullum debet eſſe diſcrimen in collatione graduum, & dignitatum, inter Theologos, & Canoniſtas.

LEX L.

Iidem quoque honores deferendi ab Epiſcopis Theologis, Canoniſtis & quibuſcumque Doctoribus actu legentibus, & actu non legentibus.

DVbitandi locum aperuit in hac re Prudentiæ Epiſcopali quædã doctrina quam tradidit Valquez *in Præfat. ad illuſt. Controuerſias num.* 127. vbi docuit Doctores actu legentes eſſe præferendos actu non legentibus, eo quod quæcumque dignitas cum adminiſtratione dicitur ſemper maior dignitate ſine adminiſtratione *ex l. 2. cap. vt dignitat. ordo*, &c. ad quam Socin. &c. Qua tamen doctrina non obſtante iiſdem omnino honoribus, ac priuilegijs eſſe cumulandos tam Doctores Theologiæ, ac Iuris Ciuilis, & Canonici, actu legentes, quam non actu legentes, dummodo occupentur in aliquo exercitio ſuæ artis, ſiue publicè diſputando, ſiue patrocinando, ſiue conſulendo, tradunt plerique apud Paſqualig. *Q. Moral. Iurid.* 8., ea potiſſimum ratione ducti, quod honores, & priuilegia conceduntur à Iure Doctoribus actu legentibus, quia exercent munus ſuæ artis, & facultatis in beneficium commune, ita ut cauſa finalis ſit muneratio perſonarum, quæ ſe exercent in beneficium communitatis; cum verò actu nõ legentes etiam poſſint quoquomodo diſputando, conſulendo, aduocando eiuſmodi beneficium publicum promouere, ipſis quoque erunt honoris priuilegia concedenda; quæ ſanè doctrina ab Epiſcopis amplectenda eſt, cum magis faueat bono communi; maximè quia DD. exercentes aliquem actum, vel aliquod munus ſuæ facultatis dicuntur ipſi quoque habere dignitatem cum aliqua adminiſtratione, & in hoc eſſe cæteris æquiparandos quidquid dicant aliqui in contrarium.

LEX LI.

Vſus doctrinæ, ſiue opinionis etiam probabilis, quæ ſit contra ſtylum Curiæ Romanæ ab Epiſcopis non permittendus.

STylus Curiæ Romanæ tam in Iudicialibus, quam in Gratioſis à Prudentia Epiſcopali vbicumque Terrarum ſeruandus eſt, cum talis ſtylus faciat ius, & legem, & mentem Pontificis declaret. Quoniam verò non rarò contingit in eadem materia varias inſurgere doctrinas, & probabiles opiniones, præſertim in gratioſis, quales ſunt diſpenſationes,& beneficialia omnia, hic videndum eſt, an liceat Epiſcopis admittere doctrinam aliquam, & opinionem probabilem, quæ ſit contra ſtylum Curiæ Romanæ; videtur namq; doctrinæ, & opinionis probabilitas in omni caſu admittẽda, vt docent plures Theologi Morales. Nos tamen indubitanter aſſerimus in ijs, quæ dependent à ſola voluntate Pontificis eſſe tantum eam doctrinam, & opinionem amplectendam ab Epiſcopis, quæ eſt ſecundum ſtylum Curiæ Romanæ, & ratio eſt, quia ea tantum doctrina eſt amplectenda, quæ ſupponitur vera, ſicut illa ſemper reijcienda, quæ ſupponitur falſa, ſed ſola doctrina ſecundum ſtylum

ſtylum Curiæ Romanæ ſupponitur vera, cùm ſit coniuncta cum voluntate Papæ, quam declarat ſtylus, &c. ergo hæc ſola doctrina erit amplectenda, & oppoſita reijcienda tamquam falſa, vt diſiuncta, imò contraria Pontificis voluntati; voluntas enim Pontificis declarata per ſtylum eſt illa, quæ parit veritatem in gratioſis & beneficialibus, quæ pendent immediatè ab illa ſuprema voluntate; & hæc doctrina, præter Iuriſtas plures quos citat Paſqualig. *Q. Moral Iurid.* 184. inuenitur etiam paſſim apud Canoniſtas, & præcipuè apud Lotter. *de re benef.lib.*2 *Qu.*40.*n* 69. & apud Rotam *in pluribus deciſ. coram Coccino, & coram Merlino, & coram Puteo.* Quod verò ſtylus Curiæ Romanæ faciat Ius, non eſt vertendum in dubium, cum id habeamus ſæpè in Iure Canonico, præſertim *in cap. Quam graui de crimine falſi, & in cap. Ex litteris de Conſtit. & ex Rota ſæpiſſimè corã Creſcent. & coram Verallo*; Ex quibus concluditur doctrinam, & opinionem, quæ eſt contra ſtylum Curiæ Romanæ eſſe contra Ius, & conſequenter contra rationem, & veritatem, nec poſſe ab Epiſcopis amplecti.

LEX LII.

Neque admittendus ab Epiſcopis vſus opinionis probabilis pro validanda aliqua diſpenſatione, cui deficiat qualitas, quæ ex ſtylo Curiæ Romanæ ſit exprimenda in ſupplicatione.

SVbuertit plerumque ne dum Prudentiam Epiſcopalem in agendo, ſed etiam doctrinæ veritatem probabilis opinio in certis caſibus, & in aliqua materia; non quia ſequens probabilem opinionem dicatur malè, vel irrationabiliter operari, ſed quia ipſa opinio probabilis, quæ verè talis eſt in pluribus caſibus, deſinit eſſe talis in aliquibus, in quibus certitudo bene operandi pendet à certa voluntate diſponentis de tali operatione; quorum vnus eſſet, ſi quis, dum ſibi conſtat de certa voluntate Pontificis, quæ ſemper declaratur, & conformatur ſtylo Curiæ Romanæ, vellet vti opinione, vel doctrina tollente talem certitudinem; quod eueniret, ſi defectui conditionis, vel qualitatis, quę erat neceſſario exprimenda in ſupplicatione Pontificis, iuxta ſtylum Curiæ, vellet ſupplere ſua opinione probabili, vel aliena; is enim agens contra talem ſtylum, ageret etiam contra voluntatem Papæ, quæ conformatur tali ſtylo, & ſic ſemper malè, & improbabiliter ageret, quia ageret contra certitudinem voluntatis Summi Pontificis, & ſic induceretur etiam inualiditas obtentæ diſpenſationis, cum illa diſpenſatio eſſet ſine voluntate concedentis, vt ſatis ex ſe patet, & demonſtratur etiam à Paſqualig. *Qu. Moral. Iurid.*184. veritas iſtius doctrinæ ex Iure Ciuili, vbi eandem ſequuntur plures Doctores ab ipſo citati. Ex qua doctrina colligitur primo quamlibet diſpenſationem, in qua non fiat mentio qualitatis exprimendæ ex ſtylo Curiæ Romanæ, ne dum nullam eſſe pro foro externo, ſed etiam pro foro interno Conſcientiæ, quod non admittit Henriquez *lib.*12. *cap.*3. *num.*7. cum enim nullitas proueniat ex defectu voluntatis Pontificis, quæ dat totum eſſe diſpenſationis, deficiente tali voluntate, corruit tota diſpenſatio, nam voluntas Pontificis intendit ſolummodo diſpenſare more ſolito, & ſtylo Curiæ Romanæ. Secundò deducitur, quod ſit nulla diſpenſatio licet ex ignorantia non ſit expreſſa qualitas, quæ erat exprimenda, nam ignorantia excuſat tan-

tum

tum à dolo, à peccato, & bona fides non ſufficit ad validandam rem de ſe inualidam, vt habemus *ex Gloſſ. Cap. Si motu proprio V. Taceatur. de Prebend. in 6.*

LEX LIII.

In conſultationibus amplectenda ab Epiſcopis doctrina Canonica, & Theologica pro rerum qualitate.

INter Theologos, & Canoniſtas magnum inde diſſidium exortum eſt, vnde ſumpſere ſcientiæ, artes, & doctrinæ de ſua ipſarum nobilitate, & præcellentia certamen; cum enim Canones ſint quædã vniuerſæ Theologiæ regulares leges, opinati ſunt plerique Canonicam doctrinam eſſe ſemper Theologiæ præferendam, tamquam ipſius regulam; ac propterea eò etiam deuentum eſt, vt aſſererent Epiſcopum Canoniſtam præferendum eſſe Epiſcopo Theologo in examine Epiſcoporum, de qua re diſputat Diana *p.7. tract.12. reſol.* 34. vbi Cardinalem de Lugo citat in fauorem Epiſcopi Theologi, qui ſanè dicendus eſt doctrinam altioris ordinis profiteri, quàm Epiſcopus Canoniſta; cum Theologia fundetur in principiis ſupernaturalibus fidei reuelatæ, & habeat pro obiecto Deum, quas qualitates non habet doctrina Canonica. Erit itaque optimè conſultum Prudentiæ Epiſcopali, ſi in rebus Theologicis, quæ ſpectant ad cognitionem rerum Diuinarum, & in ijs, quæ pertinent ad forum internum conſcientiæ, præferat doctrinam Theologicam doctrinę Canonicę, & verſa vice in ijs, quę ſpectant ad forum externum, pręferat doctrinam Canoniſtarum, ita vt vtranque pro rebus contingentibus in conſultationibus amplectetur. Si tamen daretur caſus, quod inter Conſultores aliquis eſſet non purus Canoniſta, ſed etiam Theologus, eſſetque in vtraque hac doctrina verſatus, iſtius doctrina erit ſemper ab Epiſcopo pręferenda doctrinę puri Canoniſtæ non Theologi, quia Theologus Canoniſta poteſt ſupra prima principia Canonum ratiocinari, & omnia ad hęc prima principia reducere, quod non poteſt facere purus Canoniſta, qui ſolum ſiſtit in intelligentia Canonum particulari, neque penetrat ad intelligentiam primorum principiorum, quę fundantur in cognitione vniuerſaliſſima Iuris Diuini, Iuris naturę, & Iuris Pontificij; ſcit enim vnuſquiſque Canoniſta eſſe ſoluendas decimas, neſcit verò ſine Theologia, an id ſpectet ad Ius Diuinum, vel ad Ius humanum; vnde concluditur, ſeruatis quibuſdam circumſtantijs, eſſe pręferendam Theologiam doctrinę Iuris Canonici; Vtrãque tamen eſſe ab Epiſcopis amplectendam pro qualitate caſuum contingentium.

LEX LIV.

Magis amplectenda ab Epiſcopis doctrina Typis impreſſa, quam non impreſſa.

DOctrina quęcumque ſit ſiue Theologica, ſiue Canonica, cum ex probabilitate dumtaxat ſit ab Epiſcopis amplectenda, & maiori ſemper probabilitate nitatur typis impreſſa, quàm non impreſſa, ea ſemper videtur in conſultationibus, aut etiam extra conſultationes à prudentia Epiſcopali pręferenda; eſt namque doctrina iam typis edita, non ſolum authoritate ipſius ſcriptoris probabilis, & probata verum etiam illorum authoritate, qui librum talis Doctoris adprobarunt; ad libros

namque

namque in lucem edendos, atque probandos eſt poſitum in more, vt deputentur viri doctiſſimi, omni exceptione maiores, & hi ſua authoritate magnam videntur afferre probabilitatem doctrinę in lucem expoſitę; tametſi non ſint ipſi in eadem doctrinę opinione; ſufficit enim quod verè iudicent talem doctrinàm ab omni errore eſſe immunem, & non eſſe improbabilem, quod iudicium ſufficit ad augendam probabilitatem ſaltem extrinſecam. Verũ tamen eſt, quod ſi libros, vel doctrinas adprobantes non eſſent viri docti, neque poſſent bonum iudicium, & Teſtimonium ferre in materia, quã adprobant, non deberent tale onus humeris ſuis demandatum ſuſcipere, cùm tutâ conſcientiâ nequeant ex imperitia, & inhabilitate tale munus impoſitum exercere, & ſi conſtaret Epiſcopis, aliiſque legentibus illos libros, vel doctrinas à viris indoctis fuiſſe adprobatas, in hoc caſu nec poſſent, nec deberent illis vti, aut illas ſequi, niſi conſtaret aliunde de ſumma ſcribentium peritia in tali materia.

LEX LV.

Gradus Epiſcopalis præferendus ab Epiſcopis cuicunque Religionis voto.

CVm Prudentia quęcunque ſit, ſit recta agendorum ratio in caſibus contingentibus pro quocunque perſonarum ſtatu, id edictabitur ab Epiſcopali Prudẽtię lege, quod erit rectiùs, & prudentiùs agendum. Quoniam verò plures admittit caſus, qui contingere poſſunt, propoſita Prudentiæ Lex, ideò non in vniuerſum, ſed in ſingulares euentus eſt examinanda; docent enim quamplurimi DD. apud Paſqual. *deciſ.* 434. concurrente Epiſcopatu cum voto Religionis nondum impleto, non poſſe aliquem Epiſcopatum acceptare, niſi prius impleat votum Religionis, ipſam Religionem ingrediendo, quę doctrina colligitur *ex cap. per tuos de voto*, vbi Innocentius III. cuidam Epiſcopo electo, qui antea erat ligatus voto Religionis, conſulit vt prius reddat Altiſſimo vota ſua, deinde Epiſcopatum ſuſcipiat, quo demonſtratur apertè votũ Religionis eſſe Epiſcopatui pręferendum, cum vita religioſa ſit ſemper ſtrictior, & perfectior vita Epiſcopali ratione votorum. His tamen non obſtantibus verior doctrina cenſenda eſt, atque ab Epiſcopis ſolummodo electis amplectenda, quæ tradit aliquem, etiã voto Religionis obſtrictũ poſſe aſſumere Epiſcopatũ abſq; Religionis ingreſſu, idq; ſine vllo cõſcientię ſcrupulo, cũ cẽſeatur lõge melius ſatisfacere Deo, & cõtractæ obligationi per votũ, per ſui exhibitionem in miniſterium altioris, & perfectioris ordinis, quale eſt illud Epiſcopatus ad maiorem Dei gloriam ordinatum; Epiſcopatus enim ratione ſuę altiſſimę perfectionis id habet ex ſe, quod poſſit ſemper ſoluere Religionis vota, tametſi ſint vota ſolemnia, ex eo quod vota Religionis, quęcunque ſint ſemper commutantur in melius; quod ex libito cuiuſcunque fieri poteſt; quemadmodum etiam ex libito vnuſquiſque poteſt de latiore Religione ad ſtrictiorem tranſire ratione ſtatus perfectioris, qui adquiritur in illo ſtatu, vt clarè habetur *ex cap. per tuos de voto, & ex cap. ſcriptura de voto, & ex cap. peruenit. de Iureiurando, & denique ex cap. licet de regul.* Quod verò ſtatus Epiſcopalis ſit magis perfectus quocunque ſtatu Regulari, puto iam eſſe extra controuerſiam; tum ex maiori vitę perfectione, quam profitentur Epiſcopi, tum ex maiori Charitate, ex qua dant Paſtores animam pro ouibus

ſuis

ſuis,tum ex maiori colligatione cum Deo, cui omnimodè ſe dicant Epiſcopi,tum ex maiori Eccleſię vtilitate,tum denique ex maiori ipſius Dei Gloria, quam promouent Epiſcopi. Alia plura omitto conſuetę conſulens breuitati.

LEX LVI.

Non ſine cauſa dimittendus Epiſcopatus, neque pro Religionis ingreſſu.

NEmini licere inconſulto Summo Pontifice Epiſcopatum dimittere, aut abſque illius beneplacito Apoſtolico ad alium ſtatum tranſire omnibus notum eſt. Prę cęteris de hac re doctiſſimè, vt ſui moris eſt, differit ſapientiſſimus Epiſcopus Sperellus *in lib. de Epiſcop.* vbi nonnullas refert cauſas, ex quibus poſſit Epiſcopatus dimitti, quibus exceptis, aſſerit poſſe neminem id ſine ſcrupulo agere, & quidem graui, cuius doctrinam, vt potè validiſſimis fundamentis innixam cenſeo ab omnibus Epiſcopis eſſe amplectendam; ea potiſſimum ratione, qua ſolet Epiſcopis ſuaderi Epiſcopatus dimiſſio ob maiorem vitę perfectionem adquirendam; cum verò ſatis conſtet ex dictis nullum Religionis ſtatum eſſe Epiſcopali perfectiorem, hac ſola de cauſa ſequitur nunquam eſſe dimittendum Epiſcopatum pro Religionis ingreſſu. Si tamen interueniant alię cauſę reddentes rationabilem dimiſſionem Epiſcopatus, his à Sede Apoſtolica perpenſis, & admiſſis, poterit admitti non pro ingręſſu ad Religionem, tamquam ad ſtatum perfectiorem, ſed pro aliquo alio motiuo, ex quo prę̨ciſè poſſit Epiſcopatus dimitti ſiue cum ingreſſu, ſiue ſine ingreſſu ad Religionem. Neque obſtat quod votum ſemper ſit de meliori bono, nec tamen poſſit quis emittere votum de Epiſcopatu, ſicut poteſt emittere de Religione, ex quo arguitur Religionem eſſe melius bonum, quàm Epiſcopatum; hæc enim oppoſitio nullam habet vim infirmandi traditam doctrinam, ideo namque non emittitur votum de Epiſcopatu, quia Epiſcopatus eſt res dependens ab aliena voluntate, nec quis poteſt vouere de re, quę eſt totaliter in poteſtate aliena; quod non verificatur de voto Religionis, quam ſemper quis vouere poteſt quantum ad ipſum ſpectat. Addo, quod poteſt quis etiam vouere de Epiſcopatu, hoc videlicet modo, vt voueat Deo de quærendo Epiſcopatu ad magis exaltandam Eccleſiam, ad Dei Gloriam augendam,& ad ſalutem Animarum feruentiùs promouendam, quæ omnia ab Epiſcopo poſſunt excellentioribus medijs,& operibus fieri, quàm à quocumque Religioſo.

LEX LVII.

Epiſcopis Regularibus non eſt vita ducenda ad formam propriæ Religionis.

EXtra orbitam Epiſcopalis Prudentiæ vagarentur Epiſcopi illi Regulares, atque inconſultè nimis agerent, ſi relicto Religionis ſtatu regularem tamen viuendi formam vellent in ſtatu Epiſcopali ſeruare; cum enim plura ſiant ex regulari obſeruantia in Religione, quæ omninò cum ſtatu Epiſcopali sũt incompoſſibilia, ſequitur quod ne dum illi prorſus ſubſint obligationi Epiſcopi Regulares ea ſeruandi, quæ in Religione ſeruabant, ſed neque vlla ducantur prudentiæ Lege, ſi eadem gratuitò ſeruare velint. Prudentia ſiquidem, quæ eſt rectæ rationis dictamen,non poteſt ea pro vno vitæ ſtatu

edictare; quæ nouit eſſe illi ſtatui omninò incongrua, ac ſtatus alieni ſolummodo propria, atque ab eodem prorſus indiuidua. Quod verò ſtatus Epiſcopalis ſit ſubſtantialiter diuerſus à Regulari ne dum colligitur *ex cap. ſtatutum* 18. *quæſt.* 1. Sed etiam ex diuerſis obligationibus, muneribus, præcellentijs, & id genus alijs pluribus, quæ ſecum affert ſtatus Epiſcopalis, nec poſſunt facere mutationem ſolummodo accidentalem, vt opinati ſunt plures cum Caiet., Sot., Suarez. *tom.* 4. *de Relig. l.* 3. *cap.* 17. Ex qua mutatione ſtatus ſubſtantiali inferunt Doctores plures in ipſis Epiſcopis Regularibus ceſſare omnia vota ſpecialia ſuæ Religionis, atque omnem obligationem ea ſeruandi, quatenus ſunt vota in Religione emiſſa, cum ſint emiſſa tantum iuxta regulam Religionis ad eius ſtatum ſeruandum, à cuius regulæ iugo liberatur quicunque Epiſcopus Regularis *ex cap. Statutum allato*. Nec video quomodo poſſint DD. in hac re inter ſe diſſentire, cum aliqui doceant Regulares Epiſcopos adhuc teneri voto Paupertatis, & Caſtitatis, quæ vota faciunt compoſſibilia cum ſtatu Epiſcopali, non verò voto Obedientiæ; dico enim hæc tria vota indiuiſibiliter conſtituere ſtatum Religionis, cum vno eorum deficiente non poſſit conſiſtere; ſi igitur perit omninò regularis ſtatus, adueniente ſtatu Epiſcopali, debēt etiā indiuiſibiliter omnia illa corruere, quæ ſunt de eſſentia talis ſtatus; & gratis dicitur eſſe ſeruanda illa vota, quæ sūt compoſſibilia cum ſtatu Epiſcopali, cum id nulla ratione demonſtretur; & licet obligatio voti ſit perſonalis, poteſt ex iuſta cauſa ceſſare, quando ceſſat ſtatus illius perſonæ; ſequitur obligatio voti perſonam, quando ea, in quibus fundatur talis obligatio, eamdem perſonam ſequuntur, non ſecus. Obligatio verò votorum, cum ſit aſſumpta, non in perſona ſimpliciter, ſed in perſona in tali ſtatu conſtituta; hinc fit quod corruente ſtatu perſonæ, corruat etiam omnis perſonalis obligatio. Scio tamen DD. ſupra ſexaginta cum D. Tho. 22. *qu.* 88. *art.* 11. velle Epiſcopos omnes Regulares adhuc teneri voto paupertatis, ſicuti alij plures idem ſuſtinent de voto obedientiæ, ac caſtitatis, ſed non eſt mei muneris hanc rem vlterius examinare; ea Prudentiæ lege contentus, quæ dictat vniuersè eſſe ducendam vitam ſecundum regulam proprij ſtatus, cuius etiā iuri, ac dignitati nemo cedere poteſt, licet poſſit cedere iuri perſonæ, atque adeo teneri Epiſcopos etiam regulares, ſaltem quo ad externam apparentiam Epiſcopatus decorem, ac conſpicuitatem ſuſtinere, abſque eo quod illis nota criminis, aut vanitatis inuratur. Quod non capiunt aliqui, qui in hac re minus ſapiunt, cùm tamen hæc ſit doctrina communis. Erit tamen Epiſcopis, tum Regularibus, tum Sæcularibus ſummoperè commendandū, ſi intra domeſticos lares à ſuperuacaneis ſemper abſtineant, & paucis contenti pompas omnes, aulæa atque peristromata, quæ ad ſtatus decorem non ſpectant, ſemper exhorreant, idq; adamuſſim obſeruent, quod conſtitutiones Apoſtolicæ præſcribere ſolent.

LEX LVIII.

Circa redditus Eccleſiæ idem Dominij, vel adminiſtrationis vſus ſeruandus tam ab Epiſcopis Regularibus, quam à Sæcularibus.

SIue bonorum, ac redditum Eccleſiæ ſint puri adminiſtratores Epiſcopi,

ſcopi, & diſpenſatores, ſiue ſint Domini, eſſe eodem modo vſum Dominij, vel adminiſtrationis præſcribendum omnibus Epiſcopis ſine diſcrimine ſanioris prudentiæ, ac doctrinæ lex præcipit ex lege Canonicâ; cùm enim in ratione ſtatus Epiſcopalis, & Sponſalitij cum Eccleſia nullum ſortiantur diſcrimen Epiſcopi Sæculares, & Regulares, quod in ipſis principale eſt, neque debent differre in eo, quod acceſſorium eſt. Quomodocunque autem admittatur in vtriſque libera adminiſtratio, ſiue libera circa redditus diſpenſatio, huiuſmodi libera diſpenſatio, ſeu adminiſtratio ſemper aliquod Dominij genus inuoluit, vt licitè aduertit Paſqualig. *Deciſ.* 267. *nu.* 12 *&* 13. cum ex eiuſmodi libertate poſſint facere de redditibus honeſtas donationes, pro libito Eleemoſynas, atque alios licitos ſumptus independenter à quocunque, & ſine iniuria alicuius, quod ſanè arguit verum Dominium, licet vocentur adminiſtratores, & diſpenſatores; hocque Dominium ipſiſ à iure competit ratione Sponſalitij cum Eccleſia, in cuius bonis veluti Sponſæ Sponſus ipſe communicat. Suppoſito igitur quod Epiſcopi Regulares, vt ſtatutum eſt in Lege ſupra poſita, ſint omninò à voto paupertatis abſoluti in eodem iure, & ſtatu conſtituendi ſunt, in quo conſtituuntur Epiſcopi Sæculares, quoad vſum Dominij, vel adminiſtrationis ſupra redditus Eccleſiæ, & ſic omnes indifferenter poterunt teſtari, & diſponere de bonis ſibi, non Eccleſiæ adquiſitis, eaque de vna Eccleſia ad aliam transferre, cum ſemper vtantur proprio iure Dominij, cuius verè etiam Epiſcopi Regulares per Epiſcopatum fiunt capaces, cum poſſint adire hæreditatem, ſi relinquantur hæredes; eo enim ipſo quod tranſeunt ad Eccleſiam, quæ eſt capax hæreditatis, ipſi quoque adquirunt ius ſuccedendi in hæreditatem, quod docent communiter Doctores apud Sanchez *l.* 7. *Decal. cap.* 32. *n.* 26. & Rodriquez *in Compend. quæſt. Regul. reſolut.* 60. *de Epiſcop.*, quæ etiam intelligenda ſunt ſi Epiſcopus Regularis deponeret Epiſcopatum, & rediret ad ſuam Religionem, adhuc enim maneret exemptus à votis propter dignitatem, & ſtatum Epiſcopalem, quem ſemper retinet, & conſequenter ſemper in ipſo durat Dominij capacitas, quidquid dicant multi Doctores in contrarium.

LEX LIX.

Ab Epiſcopis Regularibus non ſemper reſtituenda Religioni bona à Benefactoribus accepta etiam ante egreſſum à Religione.

Licet per omnium ora vagetur Canonicum illud effatum, quòd quidquid acquirit Monachus, acquirit Monaſterium, hæc tamen doctrina vulgaris non ſemper ex ſenſu vulgi intelligenda eſt; ſi enim daretur caſus, in quo Regularis non adhuc exemptus à iure Monaſterij poſſet aliquid accipere, & retinere non tamquam ſibi proprium, ſed quod ita acceptum adhuc eſſet ſub Dominio dantis, & bona illa conferentis, in hoc caſu, cum in ea bona nullum vnquam ius, aut Dominium adquirat Religio, aut Monaſterium, neque poteſt adeſſe aliqua obligatio reſtituendi; Pluribus autem Regularibus contingere poteſt, præſertim ſi ſint virtute præclari, ſic à Religionis Benefactoribus adamati, vt pluribus bonis, ac diuitijs cumulentur intuitu Epiſcopatus, quem ſperant illos certò ex merito conſecuturos; ita facta illorum

bono-

bonorum elargitione, vt ſemper intendant Epiſcopatus conſecutionem, ad quem poſſint pro impenſis deſeruire, nulla interim permiſſa eorum bonorum conſumptione in recipiente. Hoc poſito caſu Epiſcopos Regulares poſt egreſſum à Religione non teneri bona ſic accepta Religioni reſtituere, ſaniori prudentiæ lege ſtatuitur, cum illa bona ſemper remaneant alligata ex diſpoſitione donantis Epiſcopo, & Epiſcopatui, non Regulari, vel Religioni, quæ ex tali diſpoſitione nullum acquirit ius, vel Dominium, tamquam rei propriæ, atque adeò nunquam eſſent reſtituenda; ille enim qui donat ſemper dicitur diſponere de ſuo ob Epiſcopatum, & Regularis factus Epiſcopus tantum determinat vſum donationis iuxta facultatem ſibi factam à donante, vnde quidquid conuertit in proprios vſus adhûc manet ſub dominio donantis quo vſque Regularis factus Epiſcopus poſſit ſibi adquirere; tunc enim tranſit in dominium ipſius, quod dominium nunquam fuit apud Religionem, neque apud ipſum, quando erat in Religione, & licet ſit actus dominij in Regulari diſponere circa vſum donationis ſine licentia Superioris, dico quod in hoc caſu, vel adeſſet licentia ſaltem interpretatiua, quia ſuperior non poſſet illam rationabiliter negare; vel ſi non eſſet, neque eſſet neceſſaria, quia Regularis non facit illam diſpoſitionem, niſi ſaltem quando nominatus eſt Epiſcopus, & quando non eſt amplius ſuæ Religioni ſubditus. Videndus eſt Paſqualig. *Deciſ.* 133. *de Epiſ. Regul.* Atque ex his infertur falſam eſſe eorum doctrinam, qui dicunt Regularem aſſumendum vel iam aſſumptum ad Epiſcopatum ſemper adquirere ſuæ Religioni, & Monaſterio, donec vel fuerit conſecratus, & ſit verus Epiſcopus, vel donec in pręſentiali poſſeſſione ſuæ Eccleſiæ fuerit conſtitutus; deſinit enim ſtatim adquirere Monaſterio, ac à iure intelligitur exemptus Religionis, vel Monaſterij, cum tunc ius ipſius non ſit amplius ius Monaſterij; intelligitur verò exemptus à iure Monaſterij ſtatim ac transfertur ad ſtatum Epiſcopalem, quod fit facta nominatione, per confirmationem ad Epiſcopatum.

LEX LX.

Epiſcopi Regularis bona dimittentis Epiſcopatum in pia opera conuertenda.

QVamplures Iuriſprudentię Doctores in eam abiere ſententiã, quod bona quæcunque Epiſcopi Regularis ad eius proprietatem quoquomodo pertinentia, ſi dimittat Epiſcopatũ, eſſe Cameræ Apoſtolicæ adiudicãda, cum ipſi conſuetum ſit ſpolium facere, ſibique omnia bona Regularis Epiſcopi vindicare; ex quo inferunt neque in commodum Religionis eſſe conuertenda, cum ſit omninò abſolutus, & auulſus à Religione, neque in commodum Eccleſiæ titularis, ſi Epiſcopus Regularis eſſet tantum titularis, cum idem prorſus ſit de Epiſcopo dimittente Eccleſiam, ac de Epiſcopo titulari, verè Eccleſiam non habẽte, & hinc fortiùs adſtruunt bona illa ad ſummum Pontificem eſſe deuoluenda, cui immediatè ſubijcitur Epiſcopus quicunque, & cui fortaſſis reddendum eſt, quod ab ipſo acceptum eſt, ſaltem ex ipſius Epiſcopatus initio; addita etiam eorum Regularium paritate, qui de licentia Superiorũ degunt extra Clauſtra, quorum bona ex Conſtitutione Gregorij XIII. ſubiacent ſpolio Cameræ Apoſtolicæ, ſi extra Clauſtra vita decedant; eodem modo ſe habentibus

Regularibus Epiſcopis extra omnem Eccleſiam victitantibus. At quidquid ſit de eiuſmodi doctrina, quæ valdè probabilis cenſenda eſt, doctrina probabilior ea videtur, quæ tradit bona Epiſcoporum Regularium dimittentiũ Eccleſias eſſe in pia opera conuertenda; videtur namque hæc doctrina magis fauere pietati, ac Charitati, dummodo talia bona non ſint alijs ex iuſtitia applicanda. Hæc tamen intelligenda ſunt in ijs tantum caſibus, in quibus Regulares Epiſcopi dimittentes Eccleſias, aut Epiſcopi Regulares purè titulares de ſuis bonis non diſponerent, vel diſponere nequirent, habent enim ipſi facultatem, & dominium diſponendi ratione dignitatis acquiſitæ, quę ſecum trahit illud dominium, vt ſupradictum eſt; non de bonis proprijs ab ipſis diſpoſitis, nemini, quantumuis ſuperiori, remanet ius diſponendi, ſiue illa applicandi; ſupponitur namque quod Epiſcopi Regulares ſint Dominij capaces vt dictum eſt quemadmodum ſunt in quocunque ſtatu capaces hæreditatus.

LEX LXI.

Epiſcopis Regularibus abſtinendum ab vſu Priuilegiorum ſuæ Religionis.

QVamplures Regulares Epiſcopi putant ſe non imprudenter agere, tametſi extra Religionem poſiti, priuilegijs ſuæ Religionis vtantur; cum enim videantur aliquod ius ad priuilegia, & ad vſum priuilegiorum adquiſiuiſſe, quando erant in ſtatu Religionis, quod ius fuit perſonale, nimirum commune omnibus perſonis illius Religionis, & ius perſonale ſemper ſequatur perſonam, non eſt ita facile ſuadendum, vt ex prudentia ab vſu illorum priuilegiorum abſtineant; præſertim cum ex alio capite teneantur abſtinere vt docet Suarez. 4. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 38. ab omnibus priuilegijs realibus conceſſis communitati Religionis, vt cõmunitas eſt, quæ non poſſunt habere ſuum effectum, niſi in communitate ad differentiam priuilegiorum perſonalium, quæ poſſunt habere ſuum effectum in quacunque perſona, & cum hac diſtinctione opinatur Villalobos cum Paſqualig. *deciſ.* 134. poſſe, ac debere Epiſcopos Regulares vti priuilegijs ſuæ Religionis, quæ facta ſunt, velut propria perſonarum in particulari per ius iam adquiſitum, quando erant in Religione. Ego tamen cenſeo Epiſcopos Regulares longè prudentiùs acturos, ſi ab eiuſmodi vſu priuilegiorum abſtineant, cum enim iam ſint ſoluti ab omnibus oneribus, & votis ſuæ Religionis, congruum eſt etiam, vt non participent de priuilegijs, quæ licet ſint res fauorabiles, ſicut è contra vota ſint res oneroſæ, in hoc caſu fauores non ſunt ampliandi, ſed reſtringendi ad menſuram rerum onerantium, quia eiuſmodi rebus oneroſis deficientibus, deficit omninò ſtatus ille, cui fuerunt à SũmisPontificibus fauores conceſſi in priuilegijs, qui ſtatus eſt, ſtatus verè Religioſus habens perſonas verè religioſas; ſolutis autem votis neque permanet ſtatus Religionis, neque perſonæ religioſæ, quibus tantum conceſſum erat vti priuilegijs; vnde etiamſi priuilegia eſſent perſonalia, non poſſunt ſequi perſonam mutantem ſtatum, immò mutantem ipſam perſonam de religioſa in non religioſam; perſona namque religioſa, vt religioſa, ſiue regularis poteſt illis vti, cum huic tantum, & non alteri conceſſa ſint. Et hæc doctrina videtur apertè confirmari ex Decreto Sixti IV. apud Rodriguez *in compend. Qu. Regul. reſol.* 60. *de Epiſcop.* certũ enim eſt apud

omnes

omnes quod Priuilegia Pontificia conceduntur intuitu Religionis, & ſeparata re, ratione cuius conceditur priuilegium à perſona, non gaudet amplius perſona priuilegio; ceſſante enim cauſa conceſſionis priuilegij debet ceſſare priuilegium ex Gloſſ. *in cap. ita Deus Verb. Ceſſauerit, &c. & ex l. tria* §. *Vſura ff. de legatis.*

LEX LXII.

Abſtinendum Epiſcopis Regularibus ab vſu Priuilegiorum ſuæ Religionis, etiam in concernentibus forum Conſcientiæ.

SVperuacanea omninò eſſet Epiſcopis Regularibus hæc prudentię lex, niſi plerique Doctorum vſum priuilegiorum in concernentibus conſcientię forum diſcriminarentur ab vſu in reliquis ad religionem vniuersè ſpectantibus; ſupponunt namque quod priuilegia conceſſa Regularibus pro foro cõſcientiæ, vt potè fauentia animarum curæ, & ſaluti, quæ aliquid eſt, etiam extra ſtatum Religionis intentum, poſſint conſiſtere etiam in perſona relinquente ſtatum Religionis, cui poteſt demandari animarum cura, & ſalus, non inconueniens aſſerere ex hac diſpari ratione, quod ceſſent priuilegia quædam in Epiſcopis Regularibus ceſſante ſtatu regularitatis, & non ceſſent priuilegia pro foro conſcientię conceſſa; hæc enim tamdiù perdurare poſſunt etiam quo ad vſum, quandiù durat cauſa, ſeu motiuum conceſſionis, quæ eſt Eccleſiæ vtilitas,& animarum ſalus, quæ etiam perſonis non regularibus poteſt demandari; cum igitur non ceſſet hæc cauſa etiam in Epiſcopis relinquentibus religionem, quoad forum conſcientiæ, neque ceſſabunt priuilegia iuxta doctrinam Canonicam *ex cap. generaliter 16. Qu. 7. ex cap. Tuæ de cleric. non reſid. ex cap. Abbate in fine de verb. ſignificat.* cum nec etiam ceſſet priuilegium,cum ex pluribus cauſis ſaltem aliqua durat *ex l. ſi venti ex l. in bonis ff. de priuil. Credit. & alibi ſæpe ex iure ciuili.* His tamen non obſtantibus de vſu priuilegiorum in quocunque foro, & in quocunque actu ad Religionem, ſiue ad Epiſcopatum ſpectare, dico indifferenter eſſe loquendum, cum priuilegia quocunque modò ſumpta ſint conceſſa tantum Regularibus,& non alijs; Regulares verò facti Epiſcopi non ſunt amplius Regulares, cum ſatis ex dictis demonſtratum ſit in ipſis ceſſare omnimodè ſtatum Religionis per ceſſationem votorum; & licet priuilegia Regularium ſint conceſſa in ordine ad ſalutem animarum, & vtilitatem Eccleſiæ; perſonæ tamen, quæ dicuntur priuilegiatæ, ſemper debent eſſe Regulares, cum ſint vt tales terminus neceſſarius, ſiue ſubiectum, ad quod dicunt relationem priuilegia conceſſa, licet motiuum conceſſionis ſit bonum Eccleſiæ, & animarum, quod motiuum, & cauſa non ſufficit, quod duret, ſed debet durare in tali ſubiecto, nempè in religione, vel in Regulari, adhuc vt dicatur durare priuilegium, & miror quomodo Paſqualig. alioquin vir doctiſſimus hæc ſuo non diſtinguat ingenio in *deciſ.* 136.

LEX LXIII.

Non concedendæ ab Epiſcopis nouæ erectiones Monaſteriorum Regularibus ſine cauſa cognitione.

EX Bulla Clem. VIII. ſuperiùs memorata habetur diſpoſitio talis in hac materia, vt certè videatur inducere formã cuiuſcunque nouæ erectionis Mona-

Monaſteriorum, qua omiſſa ex doctrina Gratiani *lib. 3. diſcept. forenſ. cap. 527.* videtur induci nullitas erectionis, cum ſit de ſubſtantia, & adſit vis clauſulæ irritantis in tali Decreto, vt habemus etiam ex Rota *diuerſ. deciſ. 24. n. 5. p. 2.* & ex Gonzal. *ad regul. 8. Cancell. Gloſſ. 67. n. 12.* & alijs pleriſque Doctoribus; adeſt namque in Bulla, quod non concedatur licentia nouæ fundationis abſque cauſæ cognitione. An verò pro cauſæ cognitione neceſſarium ſit Epiſcopis audire Superiores, ſeu Procuratores aliorum Conuentuum in ordine ad conſenſum, non eſt ita certum apud Doctores, cum plerique doceant, ac præ cæteris Riccius *deciſ. 222. part. 4.* Nouar. *in ſum. Bullar. part. 1. tit. de Monaſt.* Peierin. *in addit. ad Conſtit. Vrbani VIII. cap. 2.* & alij ex Conſtit. Clem. VIII. abſolutè requiri ſuperiorum conuocationem, quæ cum ſit veluti forma in agendo præſcripta dicitur abſolutè ſeruanda. Alij tamen cum Paſqualig. *in addit.* ad Lauret. *Q. 4.* docent oppoſitum, ea innixi ratione, quod ex Conſtit. Gregorij XV. habeamus poſſe Ordinarios introducere nouas Religiones, vel obtento cõſenſu aliorũ Religioſorum, vel ali..s, dummodo tamen conſtet abſque præiudicio aliorum poſſe commodè ſubſtentari, vt patet ex verbis ipſius Bullæ; & hoc arbitrium conceſſum Epiſcopis non fuit reuocatum, per Bullam Vrbani VIII. immò fuit confirmatùm, quemadmodum etiam fuit confirmatum in hac materia ab Vrbano VIII. Decretum Clementis VIII. vt notat Paſqualig. ſupra citatus, qui refert expreſſa verba Conſtit. Vrbani confirmantis in hac materia vtraſque ſupradictas Conſtitutiones Clem. VIII. & Greg. XV. Cauſa igitur, quæ debet ab Epiſcopis cognoſci eſt, ne fiant nouæ erectiones Monaſteriorum, quæ afferant detrimentum alijs, & ſi ex hoc reclament aliæ Religiones, debent ab Epiſcopis audiri; deinde cauſæ cognitio ſe extendit etiam ad hoc, vt Epiſcopi cognoſcant an nouæ Religiones introducendæ poſſint verè, & commodè ſubſtentari, quod eſt iuxta mentem Conſtitut. Apoſtolicarum, id namque, ſi non cõſtaret Epiſcopis, nulla eſſet introductio, & graue adeſſet peccatum contra præcepta Pontificia, & ſemper Regulares cæteri poſſent reclamare, & opponere de nullitate, cum non fuerit ſeruata forma præſcripta. Hæc itaque doctrina, ne dum eſt intelligenda de quibuſcunque Regularium Conuentibus, Societatibus, & Congregationibus, vt conſtat ex Conſtit. Gregorij XV. ſed etiam de quibuſcunque Congregationibus Clericorum Sæcularium, cum in dict. Conſtit. exprimatur vniuersè omnis Congregatio, & Societas Regularium, & Religioſorum, & adſit identitas finis, & rationis, etiam pro Congregationibus Clericorum ſæcularium, vt patet ex ipſa lege Pontificia cauente, ne damnum cæteris Religioſis inferatur, vt commodè viuere poſſint.

LEX LXIV.

Pro noua erectione Monaſteriorum non requirendus ab Epiſcopis conſenſus Regularium, ſed neque extorquendus.

IAm dictum eſt ad noua introducenda Monaſteria non eſſe neceſſarium Regularium conſenſum, cum ex Decretis Pontificijs iſte conſenſus ab Epiſcopis obtinendus non requiratur, vt patet ex verbis Conſtit. Apoſtolicarum. At modo ſtatuendum eſt, q' od eò modo, quo non requirendus eſt iſte conſenſus, eodem prorſus modo non eſt

extorquendus; id enim eſſet in re graui facere iniuriam Regularibus, maximè ſi nollent conſentire ob præiudiciũ fundatum, quod ſibi ipſis extimeſcerent ex nouo aduentu aliorum Regularium, quod ſemper præ oculis Epiſcoporum eſſe debet, vt ſeruent formam præſcriptam in Bullis Pontificijs, quam nullo modo licet violare. Nec Regulares in hac re quoquomodo rogentur, vel compellantur ab Epiſcopis, debent præſtare conſenſum, ſi ex illorum conſenſu oriatur damnum commune, in quod non poſſunt conſentire ſine peccato, ad quod tollendum factę ſunt Conſtit. à Summ. Pontificibus. Ad hoc autem, vt introducantur nouę Religiones, vel noua Monaſteria ab Epiſcopis, debet illis conſtare, quod ſaltem duodecim Religioſi ibi commodè, & congruè viuere poſſint, & inhabitare; hæc enim fuit mens Summorum Pontificum expreſſa ſæpius in Decretis, & poſtremò etiam ab Innocentio X. licet poſtmodum Sac. Cong. ad ſex ſaltem eorum numerum reduxerit in paruis Monaſterijs; non enim ſufficit, quod poſſint viuere, ſed quod commodè, & congruè, vt patet ex verbis Bullæ Greg. XV. vbi notat Ventriglia *in praxi adnot.* 18. *n.*20. & cum ipſo Paſqualig. *in addit. ad Lauret. nu.*423. *&* 424. quod debent ſuppetere Regularibus, vbi fundantur Monaſteria, omnia neceſſaria pro victu, veſtitu, Eccleſia, Sacriſtia, fabrica, & huiuſmodi.

LEX LXV.

Haud facile permittenda Regularibus tranſlatio Conuentuum de loco ad locum.

CErtum eſt ex Conſtitutione Clementis VIII. quæ incipit *Quoniam, &c.* & ex Conſtitut. Gregorij XV. *Cum aliàs*, & ex Conſtit. Vrbani VIII. *Romanus Pontifex*, non poſſe Regulares Monaſteria erigere, ſeu fundare abſque licentia Epiſcoporum in illis locis, in quibus erectionem, ſeu fundationem pertentant; quæ prohibitio videtur ſecum trahere etiam illam mutandi, ſeu transferendi Monaſterium de vno loco ad alium, cum doceat Lauret. de Franchis *qu.*1. in hac materia eſſe æquiparāda hęc duo nimirum mutare Monaſterium, & de nouo conſtruere ob identitatem rationis, quæ videtur ſatis probari *ex textu in cap. de exceſſibus Prælat. in* 6. *& in Clement.* 3. *de pœnitent.* Non eſt tamen ita certum, non poſſe Regulares abſque licentia Epiſcopi Monaſterium iam in vno loco fundatum transferre ad alium locum, qui ſit illis vtilior, vel commodior, maximè ſi hæc translatio fieret in eodem loco, vel in eadem Ciuitate, & eſſet ſine pręiudicio aliorum Regularium, idque docent Lezana *in ſumma V. Monaſterium*, & Ceſpedes *de exempt. Regular. cap.*1. *dub.*7. Conueniunt tamen Doctores omnes, quod loquendo de Iure communi in omni erectione, mutatione, & translatione requiratur conſenſus Epiſcopi. Ita docet Paſqualig. *in addit. ad Lauret. qu.*1. Maior difficultas eſt, an Regulares indigeant eiuſmodi licentia Epiſcopali, quando in eo Oppido, vel in eadem Ciuitate volunt transferre Monaſterium de vno ad alium locum v. g. ſalubriorem, vel commodiorem, cum videantur habere hanc facultatem virtute Priuilegiorum à Summ. Pontif. nimirum à Clemente VIII. qui illud conceſſit Ordini Minorum; à Sixto IV. Ordini Prędicatorum, à Sixto V. Congregat. S. Benedicti Portugalliæ, quod notant Rodriguez *in ſuo Bullario Conſtit.* 11. Miranda *tom.*1. *Manual. qu.*33. Portel. *in dub. regular. V. Monaſterium*

ſterium Diana *p. 3. tract. 2. reſolut. 136.* Bordonus *deciſ. Miſcel.* 129. Antonel. *t.*7. Paſqualig. ſupracitatus, & alij, quapropter ego quoque exiſtimarem eiuſmodi mutationibus, & translationibus non eſſe ab Epiſcopis contradicēdum, maximè quia Decreta Clementis VIII. Gregorij XV. & Vrbani VIII. intelligenda ſunt tantummodo de noua erectione, per quam recipitur de nouo aliqua Religio in aliquem locum, vt conſtat ex fine talium Decretorum, *ne ſcilicet vna Religio inferat alijs præiudicium, quo ad ſubſtentationem*; ex quo fine iniungitur Ordinarijs locorum examen, & maturitas in talibus licentijs concedendis, & hic finis ceſſat in ſola mutatione Monaſterij in eodem loco. Neque obſtat Concil. Trid. *ſeſſ.*25. *cap. de reform.* nam ex hoc ſolum requiritur licentia Ordinarij ad erigenda noua Monaſteria, non ad illa commutanda, aut transferenda in eodem loco, vel in eadem Ciuitate. Seruanda eſt tamen ſemper requiſita diſtantia inter vnum, & aliud Monaſterium, & cauendum eſt, ne ex vicinitate vnum inferat alteri præiudicium, ſuper quo vigilandum eſt ab Epiſcopis, vt obſeruentur Decreta Pontificia, & Regularium Priuilegia, quę etiam ſemper conſideranda ſunt in ampliatione, & dilatatione Monaſteriorum.

LEX LXVI.

Non quacunque hoſpitia Regularibus permittenda.

IVxta Bullam Clementis VIII. in qua diſponitur non poſſe Ordinarios facultates, & licentias impertiri Regularibus ad nouos erigendos Conuentus, cuiuſcunque Ordinis ſint, etiam in locis propriæ iuriſdictionis, niſi vocatis, & auditis Superioribus aliarum Religionum in ijſdem locis exiſtentium; hæcque omnia cum eo fine prçcipiantur, ne vnus Ordo præiudicium inferat alteri, videtur etiam ſequi, non poſſe, nec debere Epiſcopos ita facilè hoſpitia Regularibus concedere, cum etiam ex aliquo hoſpitiorum genere poſſint alij Regulares detrimentum ſentire, & damnum pati; vt eſſent illa hoſpitia, in quibus Regulares haberent Campanas, & publicas Eccleſias, in quibus Miſſas celebrarent, & Sacramenta adminiſtrarent, & eleemoſynas quærerent; hæc namque certum eſt, quod poſſunt magnum præiudicium afferre, & talia hoſpitia pro Monaſterijs habenda ſunt, vt notant Lezana *V. Monaſterium n.*6. & Ceſpedes *de exempt. Regul. cap.* 1. *dub.*6. *n.*1. Verum tamen eſt, quod ſiſtendo in vera hoſpitij ſignificatione, quod importat habitationem per modum tranſitus, ex regula Iuris, talia hoſpitia ſunt Regularibus permittenda, nec pro ipſis eſt neceſſaria Epiſcoporum licentia, cum talia hoſpitia non habeant rationem Monaſterij, vt conſtat ex doctrina plurium Iuriſtarum apud Lauret. de Franchis *qu.*3. quidquid dicat in contrarium Panormit. *in cap. Monaſteria de vita, & honeſt. Cleric.* qui docet omnem Monachorum ſtationem appellari Monaſterium, quæ tamen doctrina eſt intelligenda tantum de firma Monachorum ſtatione, non de illa, quæ eſt per modum tranſitus, quod ſcitè aduertit etiam Riccius in ſua praxi *deciſ.*652. *fol.*699 & Paſqualig. *in addit. ad Lauret. de Franchis*, vbi citat alios DD. plures ita ſentientes de hoſpitijs.

LEX

LEX LXVII.

Ad publicas Proceſſiones vocandi, & etiam compellendi ab Epiſcopis tam Clerici Sæculares, quam Regulares exempti.

FAciunt diſcrimen plures Doctores inter exemptos, & priuilegiatos Clericos, ſiue Sæculares, ſiue Regulares, & ideo licet Trid. ſtatuat *cap.* 13. *de Regular. Seſſ.* 27. eſſe vocandos, & compellendos ab Epiſcopis omnes exemptos, etiam Monachos, volunt tamen excipi Priuilegiatos, & qui in ſtrictiori clauſura perpetuo viuunt. Præter eos, qui viuunt in ſtrictiori Clauſura, de quibus expreſsè loquitur Concilium Trid. excipiuntur omnes Priuilegiati Regulares, quos refert Bordon. *in Conſil. Regular. tom.* 1. & Nauar. *part.* 2. *vbi de proceſſionibus*. Nomine verò proceſſionum, quæ dicuntur publicæ, veniunt illæ tantum proceſſiones, quę fiunt ex cauſa publica, & quæ ſunt indictæ ob bonum publicum, quod tangat totam Ciuitatem, additis proceſſionibus Corporis Chriſti, Litaniarum, &c., quæ ex ſuo genere dicuntur publicæ ad differentiam illarum, quæ dicuntur priuatæ, & quæ fiunt ex cauſa priuata ad quas non poſſunt compelli Regulares, neque exempti. Notat tamen Campanil. *in rubric.* 12. *cap.* 13. *num.* 118. & cum ipſo Bordon. *in Conſil. Regular. Reſolut.* 7. *num.* 134. ad nullas proceſſiones poſſe cogi ab Epiſcopis eos Regulares, & exemptos, qui ex conſuetudine nō ſolent accedere, cum ſic fuerit declaratum à Sacra Rituum Congreg. Sic nec poſſe cogi Regulares ad proceſſiones, quæ fiunt Indulgentiarum intuitu, cum hæc non ſit cauſa publica, ſed priuata, honor nimirum Eccleſiæ, quod etiam intelligitur de proceſſionibus, quæ fiunt pro oratione Quadraginta horarum, & ſimilibus. Ad Proceſſiones igitur dumtaxat publicas modo explicato poſſunt ab Epiſcopis vocari, & cogi Regulares, & exempti, vt habemus in Trid. vbi ſupra. Si tamen Regulares vltra medium milliare diſtarent à Ciuitate, non poſſent compelli, quia non cenſetur Eccleſia cum tanto incommodo eos obligare, & verè nimis oneroius eſſet acceſſus, quod etiam referunt deciſum à S. C. Piaſec. Vgolin. Barboſ. Nauar. Ceſpeſ. & alij apud Laurer. de Franchis *in Controuerſ. inter Epiſcopos, & Regulares*. Tunc verò ſolum tenentur Regulares accedere ad proceſſiones publicas, quando Epiſcopus perſonaliter interuenit, vel ſaltem interuenire deberet, niſi eſſet aliquo impedimento præpeditus, hoc enim inducitur à Iure veteri, quod ſemper intelligitur declaratum, & confirmatum à Iure nouo Concil. Trid. niſi aliquid in contrarium conſtet expreſsè.

LEX LXVIII.

In Proceſſionibus publicis controuerſiæ omnes de præcedentia ab Epiſcopis dirimendæ omni amota appellatione.

AD remouenda in publicis proceſſionibus ſcandala, quę frequentiſſimè ſuſcitantur ex Præcedentia præſumpta, tum in Sæcularibus, tum in Regularibus, Concil. Trid. *cap.* 13. *de Regular. ſeſſ.* 27. tribuit Epiſcopis facultatem abſolutam ad eiuſmodi Præcedentiæ controuerſias omnino tollendas, vel componendas, ne in re tam ſacra, ac Religioſa ſuborianıur ſcandala, neque eſt neceſſe, vt actu ſcandala ſuſcitentur, ſed ſatis eſt, vt poſſint ſuſcitari, adſitque ſcandali periculum, ad

hoc, vt Epiſcopi vtantur facultate à Concilio conceſſa, quod ex Sententia multorum docet Paſqualigus *in addit. ad Lauret.*, ſtante autem Conſtitutione Gregorij XIII ſub die 15. Iulij Anno 1583. quæ incipit, *Expoſcit Paſtoralis*; debent illi Regulares præcedere, qui prius in loco, vbi degunt, ſua Monaſteria fundarunt, quod tamen intelligendum eſt tantum quoad Mendicantes; non quo ad alias Religiones, vt notauit Valenzuela *Conſil.* 1. *n.* 78., & ideo illa Conſtitutio non intelligitur cæteras Religiones afficere. Quoniam vero poſt memoratam Conſtit. Gregorij XIII. plures ſubortæ ſunt controuerſiæ de præcedentia inter Regulares, S. C. Epiſcop., & Regular. die 30. Ianuarij 1593. Summo etiam Pontifice adprobante, ſtatuit quod in futurum circa Præcedentias id adamuſſim ſeruaretur, quod ſeruatur in Vrbe Roma, ſic teſtante Lezana *V. Præcedentia num.* 6. vbi etiam affert ea, quæ obſeruantur Romę circa talem Præcedentiam. Poſt hæc tamen eadem Sacra Congr., non obſtante Bulla Gregorij XIII. ſtatuit quo ad Præcedentias eſſe ſeruandam conſuetudinem cuiuſcumque loci, nō obſtante quod contrarium ſeruetur in Vrbe Roma; in qua re cenſeo ego multa poſſe Prudentiam Epiſcoporum arbitrari, ſtante facultate ipſis à Concil. Trid. conceſſa.

LEX LXIX.

Puniendi ab Epiſcopis Regulares delinquentes extra Clauſtra.

ALtercantur in hac re de mente Concilij Trid. Doctores, quomodo ſint intelligenda illa verba *in cap.* 3. *de refor. ſeſſ.* 6., quibus exprimitur, Regularem degentem extra Monaſterium debere puniri ab Epiſcopo loci, tamquam à Delegato Sedis Apoſtolicæ, ſi deliquerit, volunt enim aliqui hanc Concilij Conſtitutionem eſſe de eo tantum intelligendam, qui habet extra Monaſterium habitationem permanentem, cum verbum *degere* ſignificet permanentiam; non verò de Regulari, qui tantum per aliquot dies recreationis cauſa, aut ex alio aliquo titulo extra Clauſtra moraretur; breui enim ad Clauſtrum reuerſurus nō cenſetur abeſſe iuxta *l. poſtliminium* §. *captiuis*, & *l. Nihil, ff. de Capt. & Poſtlimin. reuer.*, & etiam iuxta veterum Canonum doctrinam quam videtur probare idem Trid. *cap.* 1. *de refor. ſeſſ.* 23. admittens pro breui abſentia duos, vel tres menſes. Sic non dicuntur ſecundum aliquos permanenter degentes extra Monaſterium, qui moram diuturnam trahunt ob negotia Monaſterij, vel Religionis, nam iſti habendi ſunt pro intereſſentibus, *ex cap. Qui verò de Cleric. non reſid. in* 6. vbi ſtatuitur, quod abſentes pro Eccleſię ſuæ vtilitate habentur pro præſentibus in ordine ad percipiendas diſtributiones; quibus extra Monaſterium degentibus neque addi poſſunt illi, qui habitant in Grangijs, aut locis adnexis Monaſterio, nam hi quoque habentur pro præſentibus, ſecundum doctrinam multorum apud Ciarlin. *lib.* 1. *controuerſ. forenſ. cap.* 50. apud Riccium *Deciſ.* 131. *n.* 4. *parte* 4. & Barboſ. *de poteſtate Epiſcopi Alleg.* 105. *nu* 17. Adhærendo igitur doctrinis eiuſmodi videtur Epiſcopos non poſſe punire Regulares delinquentes extra Clauſtra, ſi non ſint de numero degentium, ſiue permanentium, vt explicat Concil. etiam Paſqualigus apud Lauret., qui docet nec obſtare Decretum Sacræ Congregat. datum ſub die 26. Nouemb. 1626. vbi dicitur eſſe

mentem

mentem Concilij, quod Epiſcopi poſſint punire omnes Regulares delinquentes extra Clauſtra, etiam eos qui permanendi habent à ſuis Superioribus legitimam facultatem. Hæc omnia, licet cum fundamento tradantur à Doctoribus, vſu tamen, & praxi inoleuit apud Epiſcopos omnes, quod pro Regularibus delinquentibus extra Clauſtra relaxentur capturæ in ordine ad talia delicta perpetrata, quod ſatis indicat Epiſcopos habere ius puniendi Regulares delinquentes extra Monaſterium, licet non degant permanenter, nam Regulares capturare eſt ſpecies punitionis in delinquentibus, & dicit iuriſdictionem in Epiſcopis capturantibus. Quænam verò conditiones requirantur ad exequendam integram punitionem ex dicendis in Lege ſequenti patebit.

LEX LXX.

Puniendi ab Epiſcopis Regulares delinquentes extra Clauſtra, non Iure abſoluto, ſed limitato.

Limitatur in hac re Epiſcoporum Ius in Regulares per quaſdam cōditiones, quæ exprimūtur in ipſo Concil. Trid. *de refor. cap.* 14. *ſeſſ. vltima de Regularibus*, ita quod non poſſint Epiſcopi Regulares delinquentes extra Clauſtra punire, niſi illis conditionibus interuenientibus, poſito etiam, quod degerent intra Clauſtra, intra quæ videntur non eſſe Epiſcopis ſubiecti; quarum prima eſt vt delictum fiat extra Monaſterium: Secunda, vt delictum ſit notorium: Tertia, vt generet ſcandalum: Quarta, vt præcedat inſtantia Epiſcopi apud Superiores, ad hoc, vt ipſi puniant delinquentes. Quinta, vt terminus punitionis ipſis Superioribus ab Epiſcopis præfigatur, quo termino elapſo, & effectu non ſecuto, veniant ipſi Epiſcopi ad punitionem, ita tamen, vt omnes iſtæ conditiones debeant copulatiuè concurrere, vt poſſit Epiſcopus ſuo Iure procedere, nam in illis omnibus copulatiuè ſumptis præſcribitur à Concilio forma ſeruanda, quæ conſiſtit in indiuiſibili, & ſi quid ex ipſa deficiat, tota corruit, & deficit, & ſic deficit etiam fundamentum Iuriſdictionis conceſſæ Epiſcopis: Non ſunt tamen cenſendi Regulares ſubiecti punitioni Epiſcoporum, ſi delinquant in Eccleſia propria, quia hæc, licet non dicatur Clauſtrum grāmaticaliter, dicitur tamen Clauſtrum formaliter, vt quid neceſſariò adnexum Clauſtro, nam Regularis ingrediens Eccleſiam non dicitur egredi Clauſtro, nec debet petere licentiam à Superiore, quemadmodum tenetur, quando egreditur è Clauſtro. Addo mentem Concilij eſſe, quod poſſint puniri ab Epiſcopis Regulares delinquentes extra locum exemptum, Eccleſia autem Regularium ita eſt exempta, ſicut Monaſterium, imò longè magis exempta. An verò debeat conſtare iuridicè Epiſcopo delictum Regularis eſſe notorium, & ſcandaloſum, hoc nondum ſtatutum eſt apud Doctores, nam aliqui negant, aliqui affirmant, & verior doctrina eſt ſufficere notorietatem extraiudicialem ipſius delicti, ob quam non poſſit delictum tergiuerſatione operiri, cum Epiſcopus non habeat iuriſdictionem ad capiendam iudicialem informationem de delicto Regularis, niſi poſt factam inſtantiam de punitione Superiori Regulari, quo negligente, tunc ſolum poteſt Epiſcopus iudicialiter ad punitionem deuenire, quod ſatis conſtat ex eodem Concilio.

LEX LXXI.

Regularibus à Religione eiectis non permittenda ab Epiſcopis viuendi libertas.

ATtentâ Bullâ Vrbani VIII. Regulares omnes per ſuos Superiores eiecti à Religione tenentur ſe præſentare coram Epiſcopo loci, ſeque ſubijcere illius obedientiæ, & viuere ad ipſius nutum; idque decretum eſt, ne liberam viuendi licentiam habeant ſine lege, & ſine Superiore, quæ doctrina habetur etiam apud Nauarr. *ex c. Non dicatur* 11. *qu* 4. *n.* 34. apud Innocent. *ex c. Cum dilectus* 2. *n.*4. *de Priuileg.* apud Hoſtienſ. *ex cap. Quod Dei de ſtatu Monachorum*, *&* apud Io. Andream *ex Clementin.* 1. *eodem titul.* Ratio eſt quia per eiectionem diſſoluitur quoquomodo contractus, per quem Regularis erat acceptatus tamquam filius Religionis, & tamquã pars, vel membrum eiuſdem, & ideo non intelligitur amplius Religioni ſubiectus, ſed vt Clericus Clericali habitu indutus intelligitur ſubiectus Epiſcopo, quod tamquam certum ſupponitur *ex illo Decreto S. C. de eiectis, & Apoſtatis* §. 7. vbi expreſsè eiecti à Religione obligantur ad deferendum habitum Clericalem, & ad ſe ſubijciendum Ordinario loci. Non conueniunt autẽ DD. in aſſignanda ratione, vnde proueniat hæc obligatio in eiectis ſe ſubijciendi Ordinarijs, aliqui enim volunt prouenire ex obedientiæ voto priùs emiſſo, alij vero ex puro præcepto Pontificis, vel S. Congr, quam opinionum varietatem nolo hic in examen adducere, cum de hac re nihil interſit, ſufficit enim quod ex aliquo motiuo teneantur Epiſcopis ſe ſubijcere, vt verè etiam eiecti à Religione ſint ſub aliquo Superiore. An verò eiecti ceſſent omninò à Regula Religionis, atque ab omni ipſius iuriſdictione eximantur tamquam membra omnino auulſa, & ſeparata: non auderem hanc omnimodam ſeparationem omninò admittere, cum potiùs ſit velut ſeparatio nón totalis thori, ſed ſolum quo ad cohabitationem, & hanc doctrinam ſequuntur multi DD. cum Paſqualig. *in addit. ad Lauret. qu.* 1. non enim eiecti per ſententiam expulſionis eximuntur omninò à Iure Religionis, quod habet, & retinet in eoſdem, cum *ex cap. fin. de Regular.* Gregor. IX. præcipiat expreſsè eiectos a Religione eſſe annuatim per Superiores monendos, vt redeant emẽdati ad Religionem, ſalua ordinis diſciplina, quod habetur etiam in Decreto ſupracit. de eiectis, & Apoſtatis & hoc non haberet locum. ſi eiecti eſſent totaliter à Religione exempti. Id etiam confirmatur ex communiori doctrina contra aliquos DD. oppoſitum opinantes, quã traditur eiectos tamquam incorrigibiles à Religione, teneri ſe corrigere, & emendare, & ſemper conniti, vt denuò in Religionem recipiantur, cum in ipſis non ceſſent votorum vincula, ex quibus, vt Religioſi, ſemper tenentur in ſtatu perfectionis proficere, & durantibus votis durat hæc obligatio proficiendi, ita ſentiente D. Thom, 2. 2. *qu.* 184. Nec obſtat, quod per eiectionem intelligantur iam extra communionem diſciplinæ Regularis; hoc enim eſt per accidens, & ſolum ad tempus, donec reſipiſcant, & ſe ex obligatione, quam gerunt in votis tandem corrigant, & ad vitam perfectam redeant, quam in Religione promiſerunt.

LEX LXXII.

Facta eiectione Regularium inquirenda ab Epiſcopis cauſa eiectionis.

AD præſcriptum Bullæ de eiectis cum debeat Ordinario loci ratificari ſententia expulſionis, certum eſt, quod non facta hac notificatione à Superioribus, ſi eiecti extra Religionem viuant, inquirendum eſt ab Epiſcopis, cur ita viuant, & conſequenter talis modi viuendi cauſa inquirenda eſt. Neque obſtat huic indagationi faciendæ ab Epiſcopis Regularium exemptio, quia in hoc Epiſcopi dicuntur vti Iure ſuo, cum ad ipſos ſpectet vigilantia ſuper omnem ſtatum Clericalem, quem tunc profitentur etiam eiecti, quidquid dicat in cõtrarium Paſqualig. *in Ad lit. contra Lauret. qu.* 3. poſſunt enim multi Regulares viuere extra Religionem ex dolo non tamquam eiecti, neque ſeruatis ſolitis circumſtantijs; vnde Epiſcopis remanet onus, ſaltem tamquam Delegati à Sede Apoſtolica, inquirendi ſupra tales Regulares degentes extra Clauſtra culpabiliter. Verum tamen eſt, quod non licet Epiſcopis examinare, & recognoſcere cauſas expulſionis iam examinatas, & cognitas à Superioribus Religionis, quia iſte actus verè importat iuriſdictionem, & ſuperioritatem ſupra Regulares, quam non habent Epiſcopi, niſi in certis caſibus, cum Regulares ſint exempti à Iuriſdictione Epiſcoporum. Si tamen agatur de Regularibus iam eiectis, & ſeparatis à Religione habitum Clericalem deferentibus, verè Epiſcopi ſupra ipſos Iuriſdictionem habent, cum ipſis ſubdantur per Conſtit. Pontificias, vt dictum eſt. Non poſſunt autem Epiſcopi obligare Regulares eiectos ad obſeruandam Religionis Regulam, cũ iam ſint ab illa ſeparati, & qui non ſentiunt commodum Religionis, neq; debent ſentire incommodum, præſertim cum intentio ſe obligandi ad obſeruantiam Regulæ fuerit in ipſis pro Religione tantum, non extra ipſam; licet aliqui DD. tradant poſſe Regulares obligari ad illam Regulæ obſeruantiam, quæ eſt compoſſibilis cum eorum ſtatu. De obligatione verò in Regularibus eiectis ad obſeruantiam votorum, & ad recitationem Officij, diuerſimodè opinantur DD. nam plerique docent tales eiectos eſſe obligatos, & poſſe ab Epiſcopis compelli ad vtrumque, ſuppoſito, quod non ſint in ſacris, & quod adhuc aliunde non teneantur. Alij verò plures volunt extra Religionem non eſſe obligatos, neque poſſe obligari, cum vota non obligent vltra intentionem vouentis; Regulares enim eiecti non intendunt ſe ad vota obligare, niſi pro Religione, & vt verè Religioſi, ſicut etiam intendunt ſe obligare ad Chorum, quamdiù ſunt in Religione, quæ Doctrina, licet ſit multorum, mihi non placet, cum verè Regulares eiecti non ſoluantur votis, nec vinculo profeſſionis ex parte ſui, ex qua tenentur horas Canonicas recitare.

LEX LXXIII.

Non cuicunque Regulari etiam præſentato, & idoneo concedenda ab Epiſcopis concionandi facultas.

VIdetur Trid. *ſeſſ.* 5. *cap. de reform.* legem Epiſcopis indicere, ne Regularem idoneum præſentatum à munere prædicationis repellant, aut ſine cauſa ſuſpendant, quod etiam ex decreto S. Congr. apud Gallemart. ſtatutum refertur,

refertur, vt teſtatur Paſqualig. *in addit. ad Lauret. qu.6.* qui etiam docet non poſſe Epiſcopos ſuſpendere Regulares Concionatores pro libito, & ſine cauſa, maximè ſi prædicent in proprijs Eccleſijs, pro quibus ſupponit ipſe non eſſe neceſſariam Epiſcopi licentiam, quæ tamen doctrina eſt contra plures alios DD. citatos ab ipſo Paſqualigo eodem loco. Quidquid ſit de hac controuerſia, quæ ex dictis à nobis in ſuperiori lege facile dirimitur; ſtatuendum eſt Epiſcopos non debere facultatem concionandi impertire nominatim ſuſpenſis, & interdictis, licet enim actus concionandi ſit actus diſparatus ab alijs exercitijs Sacramentorum, & conſequenter talis actus non dicatur contineri inter alios actus prohibitos per ſuſpenſionem, vel per interdictum, vt ſcitè notant aliqui DD. tamen valdè indecens eſſet publicè interdicto ſuſpenſo, vel excommunicato permittere officium concionandi, & ex hoc maximum ſcandalum poſſet oriri in Eccleſia. Neque ijs concedenda eſt ab Epiſcopis concionandi facultas, qui non docent neceſſaria, & conducentia ad ſalutem iuxta Trid. *ſeſſ.5. cap.2. de refor.* ex quo Concilij Decreto non videntur poſſe excuſari à mortali Concionatores illi, qui ſcurrilitatibus dediti ſunt; hi namque potius mimi ad riſum trahentes, atque ad comœdias, quã Oratores ſacri ad verbum Dei, & ad ſalutem prouocantes appellandi ſunt; neque ſatis eſt ſcurrilia ad ſeria conuertere, quia *nunquam ſunt facienda mala, vt eueniant bona*. Neque admittendi ſunt ab Epiſcopis Regulares ad concionandum, ſi degant extra Clauſtra, & extra obedientiam ſuorum Superiorum; hoc enim prohibetur Epiſcopis ex eodem Trid. *l. c.* ſi tamen Regulares manſerunt extra Clauſtra cum licentia ſuorum Superiorum ob aliquod Religionis negotium, iſti non comprehenduntur à Concilio; debent tamen Epiſcopis ſemper exhibere licentiam ſuorum Superiorum. Neque admittendi ſunt eiecti à Religione; id namque prohibetur Epiſcopis à Sixto Quinto in ſua Conſtit. quæ incipit, *Regimini vniuerſali Eccleſiæ*; eſſet enim valdè indecens, quod qui non corrigunt ſeipſos ad emendationem, permitterentur alios corrigere; atque ob id etiam in Conſtitut. Vrbani VIII. remanent ſuſpenſi, ne poſſint Miſſam celebrare.

LEX LXXIV.

Ab Epiſcopis non admittendi ad Conciones Regulares ſcandaloſi, aut exiſtentes notorie in peccato mortali.

EX Leone X. in Concil. Lateran. vt conſtat *ex Bulla 2 1. tom. 1. Bullar.* ſupponitur, quod Regulares concionantes abſque licentia ſuorum Superiorum peccent mortaliter, & etiam incurrant excommunicationem Papalem; vnde ſequitur eiuſmodi Regularibus non poſſe ab Epiſcopis concedi facultas concionandi; cum enim exercitium concionandi dependeat ab obedientia, ad quam tenentur Regulares, certum eſt, independenter à voluntate ſuorum Superiorum concionantes agere contra obedientiam debitam. An verò concionantes in ſtatu peccati mortalis peccent mortaliter, non eſt hic diſcutiendi locus, ſunt enim pro vtraque parte Doctores, qui tamen omnes conueniunt, peccare mortaliter, ſi adſit publicum ſcandalum, & contemptus; ex quo infertur Regulares, & alios publicè ſcandaloſos arcendos eſſe à munere prædicandi, cum in eorum ore ipſum Dei verbum red-

datur

datur contemptibile; tollenda enim omninò eſt ab Epiſcopis irreuerentia in hoc munere,& contemptus, & iniuria in ipſo verbo Dei, ex qua Doctrina ſequitur, neque infames, tam infamia facti,quam infamia iuris eſſe admittendos,idque ex Conſtit.10. Vrbani VIII. apud Peierin. *de Priuil. regular.* cum id ſit valdè indecens, quod etiam notatur *in cap. Presbyteros diſt.*50. vbi parificatur prædicare cum celebrare. Verum tamen eſt, quod ſi eſſet purificata infamia per publicam pœnitentiam peractam,docent communiter DD quod in hoc caſu poſſent admitti, quia tunc ſupponitur ſcandalum deficere,& contemptus verbi Dei; & hac obſeruatione procedendum eſt cum Apoſtatis, quibus,niſi exciderit memoria Apoſtaſiæ, ſi fuerit publica,non eſt concedenda facultas concionandi, tametſi pœnitentes actu ſint. Plura alia de hac materia Canonica extant apud Paſqualig. *in addit. ad Lauret. qu.*16.

LEX LXXV.

Non permittenda ab Epiſcopis facultas concionandi Regularibus etiam in proprijs Eccleſijs, abſque præuia præſentatione, & licentia obtenta.

EX Concilio Lateran. *ſeſſ.* 1. *cap.vlt.* & ex Trid. *ſeſſ.* 5. *cap*. 2. *& ſeſſ.* 24. *cap*.4. decernitur non eſſe admittendos ab Epiſcopis Regulares ad concionandum,niſi ſe præſentent coram Ordinarijs exhibita fide approbationis factà à ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia. Pro Ordinarijs autem loco rum non ſemper intelliguntur Epiſcopi,ſed illi etiam,qui in locis Iuriſdictionem habent quaſi Epiſcopalem, vt notant plures Doctores apud Paſqualig. *in addit. ad Lauret. qu.*1. Difficultas eſt an præter præſentationem requiratur licentia Ordinariorum, quæ difficultas oritur ex ipſo Tridentino,nam Concil. *ſeſſ.*5. *de reform.* videtur tantum requirere, quod Regulares in proprijs Eccleſijs concionaturi, ſe præſentent, & benedictionem petant, & nihil aliud ; ad differentiam Eccleſiarum alienarum, in quibus idem Concilium præter præſentationem, & benedictionem, vult inſuper, quod obtineant ab Epiſcopis concionandi licentiam; vt patet in eadem *ſeſſ.*5. *cap* 2. vnde deducunt multi DD. citati à Paſqualig. vbi ſupra, ſufficere Regularibus ad concionandum in proprijs Eccleſijs,vt benedictionem petant, etiamſi non obtineant,& contradicant Epiſcopi,neque aliam licentiam Ordinariorum requiri. Quæ tamen doctrina mihi nunquam placere potuit cum ex Trid. *ſeſſ.* 24. *cap* 4. *de reſor.* expreſsè habeamus, neminem poſſe ſiue ſæcularem, ſiue regularem in proprijs, vel alienis Eccleſijs prædicare Epiſcopo contradicente,cui concordat etiam Conſtit.Gregorij XV.in qua ſtatuitur, neque Regulares in ſuis Eccleſijs poſſe prædicare ſine licẽtia Epiſcopi,vt legẽti facile patere poteſt, quidquid in cõtrariũ dicant illi DD.præcit. cum Paſqualig. mordicus ſuſtinente,poſſe Regulares in proprijs Eccleſijs prædicare petita, & non obtenta licentia, imò etiam contradicente Epiſcopo, ſi de iure non contradicat, enumerans ibi caſus ex Concil. Later. & ex Trid. in quibus tantùm de iure poteſt Epiſcopus contradicere, qui ſunt, primò, Si prædicent miracula falſa, aut incerta. 2. Si euulgent Prophetias non contentas in ſacra Scriptura. 3.Si detrahant in concionibus Epiſcopis, aut alijs Prælatis. 4. Si doceant propoſitiones erroneas. 5. Si diſſeminent doctrinas ſcandaloſas. 6. Si diſſeminent hæreſes, vel pro-

propoſitiones hæreticales. Additur, ſi prędicet doctrinas prohibitas per Cōſt. Pontif. vel de Immaculata Cōceptione, vel de Prædeſtinatione, preſcientia, & gratia efficaci ipſius Dei, alij que huiuſmodi ad Diuina auxilia ſpectantibus: quod præter ſex caſus allatos à Concil. ſcitè adnotarunt Rodriguez *in compend. reſolut.* 123. *&* Portel. *in dub. Regul. V. Conceptio*. Ratio potiſſima, cur non poſſint prædicare Regulares, neque in proprijs Eccleſijs, petita ſolum, & non obtenta licentia, etiam contradicente Epiſcopo, eſt quia omnia Concilia, omnes Conſtitutiones Pontificię, & omnia Decreta S. C. in hac materia volunt, quod ſit neceſſaria præſentatio, & benedictio Epiſcopi, ergo clarè deducitur eſſe neceſſariam licentiam, & non contradictionem Epiſcopi, cum enim requirãtur à Concil. iſti actus indicantes ſubmiſſionem, & obedientiã erga Epiſcopos, eiuſmodi ſanè actus non poſſunt concipi, nec eſſe in eſſe ſuo, niſi beneplacitum, & conſenſum Epiſcopi contineant ſaltem implicitè, ideoque ex natura ſua excludunt contradictionem Epiſcopi, & ſemper tacitam licentiam, & ratihabitionē inuoluunt. Addunt Barboſa *Allegat.* 76. *n.* 28. *de poteſt. Epiſc.* Piaſec. *part.* 2. *prax. Epiſc. c.* 3. *n.* 41. Leo *part.* 1. *Theſaur. Eccl. c.* 8. *n.* 9. poſſe Epiſcopos ſemper interdicere Regularibus cōciones nulla reddita cauſa, ex quo arguitur poteſtas in Epiſcopis concedendi facultatem concionandi, & per conſequens facultatem non concedendi, inhibendi, & contradicendi, qua poſita in actu exercito nunquam licebit Regularibus concionari.

LEX LXXVI.

Exigenda ab Epiſcopis præſentatio Regularium toties, quoties erunt concionaturi, in diuerſis tamen locis, & temporibus.

DIſcrepant DD. in hac materia nam Diana *part.* 7. *tract.* 12. *reſolut.* 24. cum alijs docet Regulares teneri, quoties concionaturi ſunt, ſe præſentare Epiſcopo, & benedictionem petere, aut licentiam. Bordon. verò *in Conſil. Regul. reſolut.* 17. *n.* 15. cum alijs docet oppoſitum, idque probat ex conſuetudine, ex vi cuius, ait, teneri tantum ſe præſentare, & benedictionem petere ſolum in Quadrageſima, in Aduentu, & per annum concionaturos, & licet videatur hoc eſſe contrarium diſpoſitioni Trid. *ſeſſ.* 5. *de reform* cum tamen lex quæcunque accipiat interpretationem ab obſeruantia ſubſecuta, ſtandum eſt conſuetudini cuiuſcunque loci; maximè quia ex eodem Concilio Tridentino *ſeſſ.* 5. *de reform.* habeamus, quod Regulares habent talem obligationem antequam incipiant prędicare, quæ verba ſignificant tractum temporis ſucceſſiuum neque inferatur, quod teneantur ſingulis vicibus; id namque eſſet nimis oneroſum Epiſcopis ipſis, & Regularibus. An verò Regularis ſemel admiſſus ab Epiſcopo ad Conciones in tali Diœceſi, intelligatur ſemper admiſſus, neque requiratur, vt inſuper ſe præſentet Epiſcopo poſt primam preſentationem, & admiſſionem, non eſt vna Doctorum ſententia, nam nonnulli cum Miranda *Tom.* 2. *Manual. qu.* 40. *art.* 7. & Ceſpedes *de exempt Regul. dub* 101. *cap* 10. docent, ſatis eſſe, ſi ſemel ſe præſentet, & admittatur, cum Regulares habeant facultatem concio-

nandi

nandi à Sede Apoſtolica, quemadmodum etiam habent facultatem audiendi confeſſiones, vt patet *ex Clement. Dudum de Sepult.*, vnde inferunt, quod ſicut in ordine ad excipiendas confeſſiones ſufficit, quod ſit ſemel approbatus, ſic erit in ordine ad conciones. At cum alijs Doctoribus ſequentibus oppoſitam Doctrinam melius ſtatuẽdum eſt, non ſufficere Regularibus vna vice ſe Epiſcopis præſentare, vel licentiam obtinere, quod tamen intelligitur de varijs concionum curſibus per aliquod notabile tempus interruptis; vt ſi ſe præſentarent pro concionibus in Quadrageſima, vel in Aduentu, deinde iterum pro anno ſequenti, ſiue id contingat in propria, ſiue in aliena Eccleſia. Ratio eſt, quia illa petitio, vel præſentatio, vel benedictio, quæ fit pro vnico ſingulari actu, conſumatur etiam pro illo ſingulari actu, neque ſe extendit in alium, vnde ſemper erunt renouandæ petitiones, & præſentationes, ſicut renouantur actus concionandi, pro diuerſis tamen temporum tractibus, vt ſupra dixi, neque eſt eadem ratio de approbatione ad audiendas confeſſiones, quia approbatio ad confeſſiones fit ad dignoſcendam habilitatem, qua cognita non eſt neceſſarium aliud experimentum; fit enim abſolutè, & vniuerſaliter, non ſingulariter pro tali, & tali actu, pro tali, & tali loco, vt contingit in approbatione pro concionibus, quæ habetur per examen, vel per benedictionem, & licentiam conceſſam; & quod pro ſingulis annis, tàm pro Quadrageſima, quàm pro Aduentu, ſit petenda benedictio, declarauit Cardinalis Sancti Onuphrij Prouicarius Vrbis anno 1640. die 7. Februarij, idq; teſtatur Paſqual.g *loc. cit.* qui eo tempore Romæ commorabatur pluribus oneribus in Curia Romana inſignitus.

LEX LXXVII.

Ante Conciones Regularium non ſemper ab Epiſcopis exigenda fidei profeſſio.

IN Conſtit. Pij IV. quæ incipit *Iniunctum nobis, &c.* cauetur ne Epiſcopi quemquam admittant ad prædicationis munus, niſi prius emiſſa fidei profeſſione. Quidquid ſit an in dicta Conſtitutione id expreſsè præcipiatur, an verò tantum præſcribatur forma emittendi profeſſionem fidei, vt plerique opinantur; certum eſt à Concionatoribus Regularibus, & etiam ab alijs eſſe exigendam hanc fidei profeſſionem coram Ordinario faciendam, præſertim, quando ipſi Epiſcopi ita expedire iudicauerint; quod docent plures Doctores cum Squillant. *de priuileg. Epiſc. part.3. cap.19. n.18.* aſſerentes ita declaratum fuiſſe à Sacra Congreg. quæ declaratio habetur apud Gallemart. *in ſua Collect. ad cap.4. de reform. ſeſſ. 24. Concil. Trid.* Quoniam verò alij Doctores tradunt Epiſcopos, neque ex Trid., neque ex Bulla Pij V., neque ex alio Iure habere hanc authoritatem exigendi à Regularibus fidei profeſſionem ante conciones; & ex altera parte habeatur Sac. Congreg. declaraſſe Epiſcopos poſſe exigere fidei profeſſionem, etiam à Concionatoribus Regularibus, ſi ita expedire iudicauerint, puto in hac re mediam viam eſſe amplectendam, quod, ſcilicet, aliquando, non ſemper Epiſcopi talem profeſſionem exigere poſſint, tunc præſertim ſi adſit aliqua neceſſitas fidei conſeruandæ, vel in hac materia aliquod dubium ipſis ſuboriatur, tenentur enim ipſi Epiſcopi præ cæteris fidem illibatam ſeruare, & cum ex hac cauſa poſſint Epiſcopi etiam contra Regulares procedere, etiam poterunt

hunc actum Iuriſdictionis in ipſos exercere, cogendo ad profeſſionem fidei Regulares concionaturos, & in hoc ſenſu poſſunt intelligi Doctores omnes, qui tradunt poſſe Epiſcopos exigere profeſſionem fidei etiam à Regularibus concionaturis, quidquid dicat in contrarium Ceſpedes Doctor Hiſpanus *de exempt. Regular. dub.* 195. *cap.* 10. vbi mordicus ſuſtinet in hac re Epiſcopos nullam habere iuriſdictionem ſupra Regulares.

LEX LXXVIII.

A Regularibus non ſemper exigendum examen ante conciones.

ALtercantur Doctores, potiſſimum Sæculares cum Regularibus de hac materia; ſuſtinentes acriter Regulares Doctores, nec poſſe, nec deberi Concionatores Regulares ab Epiſcopis examinari, tum ex Conſtit. 15. Leonis X. edita in Concil. Lateran. quæ incipit *Superna Maieſtatis, &c.* tum ex Trid *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. *de reform.* vbi tantum præcipitur, quod debeant Regulares præſentari Epiſcopis examinati, & approbati à ſuis Superioribus ad hoc vt ab ipſis benedictionem, vel licentiam obtineant concionandi, & pro hac doctrina multas congerit rationes Paſqualig. *in Addit. ad Lauret. qu.* 3. contrà quam doctrinam pro veritate ſentiendum eſt, poſſe, ac debere Epiſcopos, quandoque concionatores Regulares examinare, & pro concionibus approbare, cum nomine Superiorum in hac materia veniant etiam Epiſcopi, quibus Regulares in hac re ſubmiſſionem, & obedientiam præſtant, petendo benedictionem, vel concionandi licentiam; imponitur enim maximum onus Epiſcopis inuigilandi ſupra conciones, etiam Regulariũ, quos ſemper poſſunt corrigere, punire, & à tali munere ſuſpendere, tamquam Apoſtolicæ Sedis delegati, ſi delinquant in tali officio, vnde ſignum eſt ad ipſos quoque ſpectare, tamquam Superiores Regulariũ in hac præciſa materia id omne agere, quod agunt cum ſubditis ſuis Superiores Regulares, & hæc doctrina traditur ab Henriquez *lib.* 10. *Sum. cap.* 33. à Rodriguez *in quæſt. Regul. tom.* 3. *qu.* 32. à Vener. *lib.* 6. *examin. Epiſcop. cap.* 9. à Barboſ. *de poteſt. Epiſc. Allegat.* 76. ab Antonell. *lib.* 7. *Regim. Eccleſiaſt.* à Lauret. *qu.* 3., & ab alijs pluribus. Verum tamen eſt, quod cum fiat examen in ordine ad dignoſcendam doctrinæ habilitatem, ſi conſtet Epiſcopis ſine examine de doctrina, & habilitate Regularium, qui ſunt concionaturi, poterunt eos tamquam viros inſignes, & iam probatos admittere ſine examine, quia tunc ceſſat finis examinis, quemadmodum etiam poſſunt ita probatos admittere concionaturos Superiores Regulares, abſque præuio examine; eſt enim eadem ratio, quo ad omnes Superiores concionatorum, quibus ſemper, vel per examen, vel ſine examine debet innoteſcere eorum habilitas, & doctrina.

LEX LXXIX.

Non ſemper permittenda ab Epiſcopis facultas abſoluendi à caſibus reſeruatis Regularibus exemptis in proprijs Eccleſijs.

MVnus eſt, & pars Epiſcopalis Prudentiæ aduertere diligenter, ne Regulares per præſumptam quamdam facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis Ordinarijs locorum, illam exerceant in preiudicium Epiſcopalis Iuriſdictionis; licèt enim Doctores quamplurimi doceant, & præſertim è recentioribus, quos affert Paſqualig. *q. Moral.*

nrid.

Trid. 56. quod poſſint Regulares de Iure ordinario independenter à quocumque priuilegio in proprijs Eccleſijs exemptis abſoluere à Reſeruatis, ſuppoſita illorum opinione, qui volunt in aliena Diœceſi quemlibet poſſe abſolui à reſeruatis in propria Diœceſi, cum Eccleſiæ Regularium exemptæ ſe habeant tamquam alienæ Diœceſes in ordine ad Confeſſionem, & poteſtatem abſoluendi, non enim videntur Epiſcopi poſſe extendere ſuam Iuriſdictionem ad loca iſta exempta, & conſequenter neque caſuum reſeruationem. Quidquid ſit tamen de eiuſmodi doctrina, non debent Epiſcopi permittere quod Regulares exerceant hanc ab ipſis præſumptam facultatem abſoluendi à reſeruatis, etiam in proprijs Eccleſijs exemptis; certum enim eſt quod nullus Confeſſarius poteſt abſoluere pœnitentem, niſi habeat in ipſum aliquam iuriſdictionem, vel ordinariam, vel ſubdelegatam, vt habetur ex Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *de Sacram. Pœnit.*, eo quod abſolutio ſit per modum iudicialis ſententiæ, quæ ſolum in ſubditos ferri poteſt. Regulares autem, quamuis exempti, & in loco exempto non habent iuriſdictionem in ſubditos Epiſcopi, quo ad caſus reſeruatos, nec tales ſubditi, vllo modo ſubijciuntur Regularibus, etiamſi ſint in proprijs Eccleſijs. Addo illam iuriſdictionem abſoluendi à reſeruatis in proprijs Eccleſijs, non poſſe prouenire, niſi ab Epiſcopo ſuperiore, qui verè illam nõ confert, vt ſupponitur, vel à Papa, qui dum approbat reſeruationes caſuum, quæ fiunt ab Ordinarijs locorum, non cenſetur illam cõcedere Regularibus, quibus etiam obſtat Trid. *d. cap.* 7. *de Pœniten. ſeſſ.* 14. & Bulla Clement. VIII. quę reuocat in hac materia omnia Regularium Priuilegia, vel conceſſa, vel præſumpta.

LEX LXXX.

Data omnimoda æquiparatione inter loca Regularium exempta, & loca extra Diœceſim, permittenda ab Epiſcopis facultas abſoluendi à reſeruatis.

FAuebit fortaſſe huic doctrinæ Epiſcopalis Prudentia, ſi in eam ſententiam abierit, vt ſupponat eodem modo differendum eſſe de locis extra Diœceſim, & de locis Regularium exemptis; poſita namque hac omnimoda æquiparatione, non video diſparitatem, cur extra Diœceſim fateantur omnes, poſſe habentes caſus reſeruatos in propria Diœceſi abſolui à quolibet ſimplici Confeſſario, & non poſſint itidem abſolui à Regularibus in ſuis Eccleſijs exemptis; vel enim non eſt admittenda omnimoda æquiparatio, vel ſi admittitur, ratio diſparitatis adimitur. Quod verò loca exempta Regularium ſint æquiparanda locis, & Eccleſijs extra Diœceſim, vbi Epiſcopi nullã habeant, vel exerceant iuriſdictionem, videtur colligi *ex cap. cum Epiſcopus de offic. Ordin. in* 6. *& ex Clement. Archiepiſcopo de Priuileg. & ex Gloſſ. in Clementin. quamuis de for. compet.* vbi plures alij DD. apud Suarez *diſp.* 1. *de leg.* quibus etiam videntur adhærere illi omnes DD. quos affert Paſqualig. *in qu. ſupracit.* Ego tamen nunquam ſentirem loca exempta in Diœceſi eſſe omninò comparanda cum locis extra Diœceſim, quia loca exempta intra Diœceſim, vtpotè verè exiſtentia in Diœceſi propria Epiſcopi ſemper dicant aliquam ſubiectionem, quia Epiſcopus poteſt in illis aliquam exercere iuriſdictionem; vnde Epiſcopi in Eccleſijs, quantumuis exemptis, Regularium, poteſt punire quæ-

dam delicta, ſi ibi contingerent, & poteſt etiam Baldachinum erigere ad exercenda Pontificalia, quod denotat aliqualem iuriſdictionem.

LEX LXXXI.

Nulla ab Epiſcopis permittenda facultas Regularibus in cauſis, quæ ſpectant ad Tribunal Sanctæ Inquiſitionis.

EX Bulla Pauli V. conſtat ſatis prohibitio facta Regularibus non procedendi contra ſuos Subditos in cauſis Sanctæ Inquiſitionis, conceſſa hac facultate dumtaxat Epiſcopis, & Inquiſitoribus; quapropter Epiſcopi tenentur potiſſimum eiuſmodi cauſis ſedulam attentionem præſtare, ne aliquid permittant Superioribus Regularium in præiudicium Tribunalis Sanctæ Inquiſitionis. Cauſæ verò ad hoc Tribunal pertinentes, de quibus prohibentur Superiores Regulares per dictā Pauli V. Conſtitutionem, ſunt in primis cauſæ hæreſis, ſeu quocumque modo ad hæreſim ſpectantes, cum ſit hoc Tribunal erectum principaliter contra illa omnia delicta, quæ quoquomodo hæreſim continent, vel hæreſim concernunt, vt ſunt delicta fautorum, receptorum, defenſorum Hæreticorum, vt Magiæ, Sacrilegia, Superſtitiones, blaſphemiæ hæreticales, Apoſtaſiæ à Fide, Schiſmata, & id genus alia, quæ omnia, vel ſapiunt hæreſim, vel dicunt relationem ad hæreſim. Cauſæ quoque Religioſorum contrahentium Matrimonium, ſiue publicè, ſiue in abſcondito, cum contineant ſuſpicionem de hæreſi, ſpectanr ad Epiſcopos, & Inquiſitores, quemadmodum etiam illorum cauſæ, qui non ordinati celebrant Miſſam, vel audiunt confeſſiones, vel ſollicitant in confeſſione pro ſe, vel pro alijs; idque ſtatutum eſt per Conſtitutiones Summorū Pontif. Gregor. XIII Clem. VIII. & Gregorij XV. Iuſtiſſimè autem huiuſmodi cauſarum cognitio abdicatur à Superioribus Regularium, & ad ſolos Epiſcopos, & Inquiſitores defertur cū in eorum Tribunalibus magis iuridicè, & ſeuerè res tractentur, & ob frequens experimentum in his caſibus diligentiùs conſtruuntur proceſſus, cum in eorum Curijs meliùs intelligatur modus, & ordo interrogandi, examinandi, & conueniendi Reos, quàm apud Regulares, quod ſcitè aduertit Pegna *in Direct. Inquiſit. part. 3. comment. 77.* Additque Paſqualig. *in addit. ad Laurer. qu. 1.* hanc fuiſſe cauſam finalem in Conſtit. Pontif. vt patet ex verbis illius. [Intereſt namque plurimum Chriſtianę Reipublicæ, vt fides pura, & illibata ſeruetur, vnde maxima fuit neceſſitas ſtatuendi, vt cauſæ omnes quomodolibet ad fidem ſpectantes, ſedulò examinarentur, & cum maxima cura tractarentur, ne aliquod præiudicium fidei ſuboriretur.] Excipit tamen Carena *de offic. Inquiſit. part. 2. tit. 14. §. 10.* Superiores Regulares habentes in loco Iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, quos docet poſſe in cauſis Inquiſitionis procedere contra Regulares ſuos ſubditos, ita tamen, vt non poſſint per ſe ſolos exercere illos actus, quos neque Epiſcopi poſſunt ſine Inquiſitoribus, cum teneantur eumdem modum ſeruare, quem ſeruant Epiſcopi; quemadmodum enim ratione Iuriſdictionis quaſi Epiſcopalis habent authoritatem in Tribunali Inquiſitionis, procedere contra reliquos, ſic etiam poterunt contra proprios ſubditos.

LEX

LEX LXXXII.

In Cauſis Sanctæ Inquiſitionis non ſemper ab Epiſcopis procedendum vnà cum Inquiſitoribus.

EX *Clement. in cap. multorum de hæret.* plura recenſentur,quæ poteſt facere Epiſcopus ſine Inquiſitore, & vice verſa Inquiſitor ſine Epiſcopo, quæ nō operæ pretium eſt hoc loco recenſere, cum facilè legentibus textum poſſint occurrere. Tota difficultas eſt de proceſſu, quo ad ſententiam definitiuam pro Reis, vel condemnandis, vel abſoluendis, communis namque doctrina Canoniſtarum eſt, tum *ex Clementin. allata, tum ex c. pro hoc de hæret. lib. 6.* non poſſe vnum ſine altero ad ſententiam deuenire, quod ſi deueniunt, factum ipſo facto, & iure ſit irritum. In qua re puto eſſe diſtinguendum de ſententia, cum alia ſit ſententia condemnatoria, alia abſolutoria, de prima certum eſt neutrum ſeorſim ab alio poſſe ad illam deuenire, cum hoc ſit ſtatutum in fauorem Rei ad vitandum grauamen, quod ab vno tantum poſſet inferri, quæ tamen ratio finalis ceſſat, quando ſententia eſt abſolutoria; vnde ſequitur, quod ad hanc vterque, vnus nempè ſine alio poſſet deuenire, quod tradunt Pegna in Direct. *nu.* 53. *p.* 3. Clarus §. *hæreſis num.* 5. Souſa *in Aphoriſm. Inquiſit. lib.* 2. *cap.* 37. Molin. *de Iuſt. & Iur. tract.* 5 *diſp.* 28. Palaus *tract.* 4. *oper. mor. diſp.* 8. *punct.* 13. *nu.* 20. Carena *de officio Inquiſit. part.* 1. *tit.* 4. quibus adhæret etiam Farinac. Roiàs. Azor. & alij apud Lauret. *quæſt.* 2. Licet oppoſitam doctrinam tutiorem appellent. Quo ad ſententiam etiam cōdemnatoriam definitiuam nonnulli cū Paſqualig. *in addit. ad Lauret.* Limitant ſuprapoſitam doctrinam, ex eo quod ſi Epiſcopus abeſſet à Diœceſi, & non poſſet cum Inquiſitore conuenire, vel nollet, neque per ſe, neque per alium, tunc poſſet ſolus Inquiſitor ad illam ſententiam procedere, cum propter abſentiam vnius Iudicis non debeat curſus cauſarum ſpectantium ad hoc Tribunal impediri, vbi ſumma cum æquitate ſemper procedendum eſt, cū hac tamen conditione, vt expectetur terminus à Iure præfixus, iuxta quem compiletur proceſſus, & inuicem cōmunicetur, antequam deueniatur ad torturam, vel ad ſententiam definitiuam, docent tamen Pegna, Carena, & alij ex vi Cōſtit. Alexādri VI. poſſe Inquiſitores ſolos ſine Epiſcopis procedere in cauſis Lamiarum.

LEX LXXXIII.

Non admittendæ ab Epiſcopis tamquam validæ renunciationes factæ à Regularibus ante profeſſionem, niſi obtentâ ab ipſis licentiâ, vel ab ipſorum Vicarijs.

LEx iſta, quam indicit Trid. Regularibus omnibus *cap.* 16. *ſeſſ.* 25. intelligenda eſt tantum de renunciationibus ab ipſis factis poſt ſuſceptum habitum Religionis in ordine ad Nouitiatum, non verò de factis ante ſuſceptionem habitus, data etiam cogitatione præcedenti de ingreſſu Religionis, ſic declarauit S. C. Concilij, & habetur ex Rota apud Duran. *deciſ.* 121. *nu.* 33. vt aduertit Paſqualig. *in addit. ad Lauret.* qui affert in hac re communem Doctorum ſententiam. Debent igitur Nouitij Regulares, vt validas faciant ſuas renunciationes obtinere licentiam ab Epiſcopis locorum, vbi sūt profeſſuri, eaſque facere intra duos menſes pro-

ximos

ximos ante profeſſionem, quæ non intelliguntur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione ex Decreto eiuſdem Concilij Trid. *l. c.* Difficultas eſt de renunciationibus, quas faciunt Moniales ante profeſſionem, an ſcilicet cenſendæ ſint validæ, ſi fiant cum ſola licentia Vicarij Monialium, cum Concilium requirat vel licentiam Epiſcopi, vel licentiam Vicarij. Quidam negant, cum nomine Vicarij apud Concilium, & alias Conſtitutiones Pontificias ſemper veniat Vicarius Generalis, qui ſolus verè gerit vicem Epiſcopi. Alij tamen affirmant, quia cum Vicarijs Monialium cōmiſſa ſint omnia negotia Monialium ab Epiſcopo, & in ipſis Vicarij etiam Monialium gerant vices Epiſcopi, poſſunt etiam in renunciationibus admitti eorum licentiæ, tamquam validæ; ac ſi eſſent ipſi Vicarij Generales in rebus concernentibus Moniales, & ita refert ſeruatum in praxi Paſqualig. *l. c.* Neapoli ſub Archiepiſcopis Cardinali Caraffa, & Cardinali Boncompagno. Sic etiam validatis Regularium renunciationibus per licentiam Epiſcopi, vel Vicarij, liberum tamen erit Nouitijs eas vſque ad extremum diem profeſſionis reuocare, quod notauit Menochius *Conſil.* 388. *num.* 34., quia Concilium decernit nullam renunciationem ſortiri ſuum effectum, niſi ſequta profeſſione, ex quo videtur omnis renunciatio induere naturam teſtamenti, quod ideo ſemper reuocabile eſt, quia non ſortitur ſuum effectum niſi ſequuta morte. Erunt autem ſemper validæ renunciationes, tametſi contingat differri profeſſionem vltra annum profeſſionis per plures menſes, dummodo ſint factæ intra duos menſes proximos profeſſionis tempori regulariter, quod declaratum eſt à S. Congr. *Ann.* 1594. *die* 17. *Octobris, vt habetur in collect. Declarat ex Bellar.* Eſſet hic agitanda quæſtio, an ſubſiſtant renunciationes Regularium, quando aſſumuntur ad Epiſcopatum, an verò reſcindi poſſint, ſed quia hoc alibi fusè agendum eſt, pro nunc tantum dico poſſe reſcindi, quod refert Aldan. *in Compend. Canon reſolut. lib.* 17. iam fuiſſe deciſum, & confirmat etiam Molleſ. *Conſil.* 1.

LEX LXXXIV.

Reclamationes Regularium pro irritanda profeſſione ab Epiſcopis audiendæ ſi fiant intra quinquennium à die profeſſionis.

CVm certum ſit ex Trid. *cap.* 19. *ſeſſ. vlt. de Regular.* cauſam nullitatis profeſſionis eſſe agitandam coram Superiore profeſſi Regularis, & etiam coram Ordinario, dubitatur apud Doctores de quo Superiore, & de quo Ordinario ſit intelligendū Concilium, & communior doctrina ea eſt, quam etiam S. C. Concilij approbauit die 1. Decembr. Ann. 1593. quod ſit intra quinquennium deducenda cauſa nullitatis profeſſionis coniunctim, & corā Superiore Regulari illius Monaſterij, in quo profeſſionem emiſit, & coram Ordinario illius loci, vbi exiſtit Monaſterium, in quo Regularis profeſſus eſt; quæ doctrina habet locum etiam quo ad Moniales, nam dictio (quicumque Regularis) quæ ponitur in Trid. eſt vniuerſalis, & debet comprehendere omnes perſonas Regulares *ex cap. ſolitæ de maior. & obed.* vt cōſtat etiam ex praxi, & hic ſumus in caſu, in quo maſculinum comprehendit etiam fœmininum iuxta *Gloſſ. in c. ſi quis Suadente* 17. *qu.* 4. eadem igitur facultas reclamandi ſuper nullitate profeſſionis, quę com-

competit Regularibus nulliter profeſſis intra quinquennium, eadem prorſus competit Religioni, quæ non debet eſſe inferioris conditionis in contractu profeſſionis, cum Religio, & Religioſus ſint correlatiua, nec poſſit cogi Religio, vt ſtet contractui inualido in ſui detrimentum, maximè cum Religio in certis caſibus poſſit etiam eijcere validè profeſſum, vt habemus in praxi, & adeſt Decretum S. Congr. ſub die 5. Ianuar. 1636. iuſſu Vrbani VIII., quod refert Paſqualig. *in addit. ad Lauret.*, ex quo aperte colligitur, poſſe Superiores eijcere nulliter profeſſos; tenor autem totius Decreti eſt apud Paſqualig. *l. c.* quod incipit, *Sanctiſſimus Dominus Noſter Vrbanus, &c.* Si verò quæratur quinam ſint Iudices competentes pro Religione reclamante, Reſponſio eſt, eſſe S. C. Concilij priuatiuè quo ad omnes, ſi nullitas præſumatur, quia Regulares nõ ſint recepti, aut profeſſi in locis deſignatis; pro nullitate autem ex alijs capitibus eſſe eoſdem Iudices, qui deputantur à Concilio pro reclamatione Regularis profeſſi, quod not. Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. Allegat.* 104. *num.* 11. cum alijs pluribus, &c.

LEX LXXXV.

Compellendi ab Epiſcopis Regulares ad Lectionem Sacræ Scripturæ faciendam in ſuis Monaſterijs.

SVpponuntur Epiſcopi omnes Sedis Apoſtolicæ Delegati in ordine ad cogendum Regulares, vt in ſuis Monaſterijs Lectionem exerceant Scripturæ Sacræ; habetur namque *in cap.* 1. *de Reſor. ſeſſ.* 5. quod Epiſcopi opportunis remedijs compellant, vt Lectio Sacræ Scripturę habeatur in Monaſterijs Monachorum, vbi commodè fieri poteſt, addita clauſula, ſi tamẽ in hoc eorum Abbates negligentes fuerint. Difficultas eſt, an ex diſpoſitione Concil. Trid. intelligantur in hoc Regulares omnes comprehenſi, & ſubiecti Epiſcopis, an verò ſolum Monachi, & Abbates Monachorum. Plerique Doctorum volunt Regulares omnes comprehendi ſub Decreto Trident. ex fine, quem habuit Trid. ad condendam talem Legem, qui ſe extendit ad omnes, ne ſcilicet ſint Regulares ignari Sacræ Scripturæ. Alij verò volunt Monachos ſolummodo eſſe comprehenſos, cum de illis tantum fiat expreſſa mentiò per verba Tridentini; præſertim, quia etiam in alijs rebus non eſt eadem diſpoſitio Concilij in ordine ad Monachos, & in ordine ad alios Regulares, quod præ cæteris notat Paſqualig. apud Lauret. de Franchis, alios citans Doctores pro hac Sententia, quæ quidem verior cenſenda eſt. Quin ea tantum Monaſteria Monachorum debent intelligi comprehenſa, quæ commodè alere poſſint Scholaſticos, & Doctores, & in quibus copia Lectorum, & Studentium poſſit facilè ſubſtentari. Remedia verò, quibus Epiſcopi compellere poſſũt Regulares ad Lectionem Sacræ Scripturæ, non ſunt cenſuræ, vel Excommunicationes, quæ ſolent adhiberi in Iuris, & Iuriſdictionis Epiſcopalis ſubſidium, ſed alia quædam remedia ſuauiora, quæ maximè conferunt ad obtinendum finem diſpoſitionis Concilij, in quibus ſemper habet locum Ordinarij arbitrium: non conceditur autem facultas Epiſcopis adhibendi fortiora remedia, quia, cum hæc ſint ſpeciali nota digna, indigent etiam ſpeciali expreſſione, quæ non habetur in Concilio; nunquam enim generalis diſpoſitio comprehendit ea, quæ indigent ſpeciali diſpoſitione, & expreſſione, vt habe-

habemus *in Lege Ius obligatione generali ff. de Pignoribus, & ex cap. fin. de Off. Vicar. in 6.*

LEX LXXXVI.

Compellendi ab Epiſcopis ad prædicationem Regulares, alijque quomodocumque exempti, habentes curam Animarum.

CVram Animarum habentes, etiam quauis ratione exemptos, Epiſcopus compellere poteſt, immò debet ex Trid. *cap. 8 de refor. ſeſſ. 5.* idque cum ſit Chriſtianæ Reipublicę neceſſarium, ad ſalutem populorum promouēdam, tenentur Ordinarij locorum, tamquam Eccleſiarum ſummi directores, non negligere, nulla perſonarum, quamuis exemptarum, exceptione; vnde Regulares ipſi ab hac ſubiectione Epiſcoporum non eximuntur, ſi curam gerant animarum. Quapropter ijdem Epiſcopi attentè conſiderare debent ſuper qualitatibus eorum, qui ſunt admittendi, ne dum ad gerendam curā animarum, ſed etiam ad prædicationis munus exercendum; nam ſi contingat (quod Deus auertat) aliquos ex ignorantia, vel malitia eſſe errorum diſſeminatores in populum, tenentur ſtatim illis prædicationem interdicere, & etiam contra eos ſecundum Iuris diſpoſitionem, & loci conſuetudinem procedere, tametſi Prædicatores ſe eſſe omninò exemptos præſumant. Cæteri vero Regulares non habentes curam Animarum in hoc tantum dicuntur Epiſcopis ſubiecti, quod neque in Eccleſijs ſui Ordinis poſſunt concionari, niſi benedictionem petant ab Epiſcopis locorum Ordinarijs; an vero neceſſarium ſit, vt nedum licentiam petant, ſed etiam obtineant, hoc eſt controuerſum apud Doctores, videtur nāque Concilium, id tantum Regularibus imponere, vt ſe perſonaliter præſentent coram Epiſcopis, atque ab illis benedictionem petant, antequam incipiant prædicare, non verò iniungit, quod licentiam obtineant, ex quo plures inferunt ſolum petita, & non obtenta licentia, poſſe Regulares in Eccleſijs ſui Ordinis prædicare; quod videtur apertè conſtare ex ſequenti ipſius Concilij diſpoſitione, vbi concionaturos in Eccleſijs, quæ non ſunt ſui Ordinis præcipit expreſsè ad obtinendam licentiam ab Epiſcopis. Additur Conſtitutio Vrbani VIII. in forma Breuis, quam affert Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſc.* qua declaratur ad concionandum in Eccleſijs ſui Ordinis ſufficere Regularibus, quod petant benedictionem ab Epiſcopis, licet non obtineant; quæ Conſtitutio licet videatur facta ab Vrbano pro ſola Diœceſi Gienenſi, cum tamen quo ad hanc partem ſit declaratiua Iuris communis, debet habere eamdem extenſionem, quam habet Ius commune declaratum, cum declaratio non inducat nouum ius, ſed tantum illud idem clariùs dilucidet; quod habetur ex doctrina communi Iuriſtarum *in l. Aſſe toto ff. de hered. inſtitut. & in l. Heredes palam ff de teſtam.* § *ſi quid poſt*, & etiam Canoniſtarum cum *Gloſſ. in cap. cum te, & in cap. per suas*, in quibus terminis volunt plures eſſe accipiendam etiam Conſtitutionem Gregorij XV., quæ incipit, *Inſcrutabilis.*

LEX

LEX LXXXVII.

Cenſura, & Interdicta etiam in Eccleſijs Regularium ab Epiſcopis promulganda.

QVoſdam Regulares decipit quædam mentis halucinatio, vt in eam abeant ſententiam, non poſſe in eorum Eccleſijs, vt omninò exemptis, cenſuras, & interdicta promulgari ab Epiſcopis, ea nimirum, quæ ab ipſis locorum Ordinarijs ſolent emanare; ſed ad ſummum eſſe ſeruanda, & publicanda illa, quę immediatè emanant à Sede Apoſtolica, quæ poſſunt Epiſcopi præcipere, vt publicentur, & ſeruentur tamquam Delegati eiuſdem Sedis Apoſtolicæ. At poſt Trid. neminem puto hoc errore deceptum, ſiquidem in *cap.* 10. *ſeſſ.* 25. *de Regularibus*, *habemus*, quod Cenſuræ, & Interdicta, ne dum à Sede Apoſtolica emanata; ſed ab Ordinarijs locorum promulgata, mandante Epiſcopo à Regularibus in eorum Eccleſijs publicentur, atque ſeruentur, quæ Concilij verba adeò expreſſa, & aperta ſunt, vt nulla indigeant declaratione. Difficultas eſt, an ſtantibus huiuſmodi Interdictis adhuc Regulares poſſint diuina Officia celebrare ijs diebus, quibus id ipſis indulgetur per Priuilegia *ex cap. Cum & plantare, ex cap. Vt priuilegia de Priuileg.*, *ex cap. fin. de Priuileg. in* 6. *& ex cap. Alma Mater de Sent. Excom in* 6., vbi Doctores videntur ſatis ambigui ſuper hac re, cum aliqui putent Concilium non derogare Priuilegijs, alij verò opinentur per Concilium auferri, & aboleri quæcumque Priuilegia in illa materia. Ego tamen cum illis libenter eſſem, qui ſuſtinent per Concilium, non auferri Priuilegia, nam Concilium ſolum præcipit obſeruari interdicta, non autè aufert priuilegia, cùm de illis nullam mentionem faciat, nec eſt veriſimile, quod Concilium velit ſtrictiori modo eſſe obſeruanda interdicta Ordinarij, quàm interdicta Sedis Apoſtolicæ, quę diebus priuilegiatis communiter non obſeruantur, & hæc doctrina colligitur ex Henriquez *lib.* 13 *cap.* 48. ex Mirand. *tom.* 2. *Man. qu.* 17. Rodriguez *tom.* 2. *qu. Regul. qu.* 112. ex Homob. *tract.* 11. *exam. Eccleſ. cap.* 2. ex Io. à Coma *lib* 2. *de ſtat. Relig. cap.* 7. ex Sayr. *lib.* 5. *de Cenſur.* quibus additur Paſqualig. *in addit ad Lauret.* cum Peyer. Lezan. Gauant. Ceſpedes, & alijs pluribus hanc Sententiam tuentibus.

LEX LXXXVIII.

Etiam exempti omnes, & Regulares obligandi ab Epiſcopis ad ſeruandos dies feſtos, qui ab ipſis præcipiuntur in propria Diœceſi.

ESſe in Epiſcopis poteſtatem legiſlatiuam ad præcipiendos dies feſtos in quacumque propria Diœceſi, nemini dubium eſt, ac propterea omnes quoſcumque Diœceſanos, quomodocumque exemptos, etiam Regulares ad illorum obſeruantiam teneri, eſt extra omnem controuerſiam apud Doctores; quod tamen pro Regularibus intelligitur, tantum quo ad ſanctificationem dierum, & ceſſationem ab operibus ſeruilibus iuxta præſcriptum de alijs feſtis diebus, qui etiam ab ipſis ſeruantur in Eccleſia, non verò quoad ritus, & Officia Diuina, nam Regulares omnes poterunt ſemper, tám priuatè, quàm publicè recitare Officium Diuinum, & Miſſas celebrare iuxta proprium ritum; neque in hac re tenentur obedire Epiſcopis aliter præcipientibus, quod habetur in declaratione

tione S. Congr. apud Quarant. *in Sum. Bull V. Priuilegia Regul.*, & apud Bellacin. ad præſens ca, ut Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* vbi ſtatuitur ſeruandos eſſe dies feſtos à quibuſcumque exemptis, etiam Regularibus, qui præcipiuntur ab Epiſcopo in propria Diœceſi; non verò eſſe innouandos ritus, & officia. quod etiam tradunt Vgolin. *de offic. Epiſc. cap.* 20. Piaſec. *part.* 2. *praxis Epiſcopal.* Tanbur. *tom.* 3. *de Iure Abbat. diſp.* 15. *qu.* 11. Peyer. *de Priuileg. ad Conſtitut.* 28. *Leonis X.* Barboſ. *Alleg.* 105. *de poteſt. Epiſc.* Ceſpedes *de exemp. Regular. cap.* 20. & alij plures. Maior difficultas eſt, an exempti omnes, & Regulares ſint obligandi ab Epiſcopis ad ſeruanda feſta votiua populi, nimirum feſta liberè ex voto à populis ſuſcepta, nam ex doctrina Sanchez *lib.* 4. *Sum. cap.* 15. & etiam Vaſquez 102. *diſp.* 167. debent etiam quicumque exempti ad huiuſmodi feſta votiua ſeruanda obligari, cum ipſi quoque veniant ſub appellatione populi vouentis, &c. At non eſſe obligãdos Regulares, & alios exemptos ad talia feſta votiua ſeruanda, docent probabiliùs Bordon. *in Conſil. Regular. reſolut.* 18. Homob. *p.* 3. *exam. Eccleſ. cap.* 8. Philipp. à Conce *tract. de Decim.* Pelliz. *tom.* 1. *Manual.* & alij plures, cum Paſqualig. *in addit. ad Lauret.* & ratio eſt, quia Trid. vt patet ex verbis, non loquitur de feſtis votiuis, ſed tantum de illis feſtis, quæ Epiſcopi ſeruari mandant, qualia non ſunt votiua, quæ originem habent à voluntate vouentium, non à Religione Epiſcoporum præcipientium, quæ mandant illa ſeruari poteſtate quadam legiſlatiua; Regulares enim, & alij exempti non poſſunt nominari appellatione populi vouentis, cum nullo modo eorum voluntates, vt populo non ſubiectæ, poſſint contineri in voluntate eiuſdem populi vouentis, cum ſint alterius ordinis, & digniorem per ſe conſtituant communitatem.

LEX LXXXIX.

Cogendi Regulares ab Epiſcopis ad erigendum Baldachinum in proprijs Eccleſijs ipſis renuentibus.

EX Decreto Clementis VIII. quod extat apud plures Doctores, conſtat apertè, ne dum poſſe Epiſcopos vti Baldachino in Eccleſijs Regularium exemptis; verum etiam eoſdem Regulares cenſuit compelli poſſe ad illud erigendum, ſi renuerent; maxime quando ab Epiſcopis Pontificalia ſunt exercenda, eſt namque etiam de Iure antiquo, quod acceſſorium ſequatur principale. Hoc tamen priuilegium ſoli Epiſcopali dignitati conceſſum, non debet extendi ad Vicarios Generales, ſic enim declarauit S. Rituum Congreg. die 10. Iulij 1621. Neque, vt ab Epiſcopis Baldachinum erigatur in Eccleſijs Regularium, agendum eſt cum Superioribus pro obtinendo conſenſu; quidquid ſit, an id eſſet agendum de Iure antiquo, vt notat Cardin. Zabarella *in Clement.* 9. § *fin.*, nam hæc doctrina nõ habet locum poſt dictum Decretum; vbi enim datur poteſtas Epiſcopis compellendi Regulares per cenſuras, non eſt neceſſe conſenſum illorum obtinere; quod intelligendum eſt etiam de ipſis Monaſterijs exemptis Regularium, vbi poſſunt Epiſcopi pro libito Baldachinum erigere, iuxta doctrinam Paſqualigi, *in addit. ad Lauret. de Franchis qu.* 1, vbi refert plures DD. idem ſentientes; quamuis dicat non poſſe cogi cenſuris Regulares ad erigendum Baldachinum in Monaſterijs, cum Decretum Apoſtolicum loquatur tantum

tantum de Eccleſijs, quod tamen dubitanter aſſerit. Ego autem ſine dubio dicerem, quod facultas conceſſa Epiſcopis compellendi Regulares etiam per cenſuras, cum ſit Iuris ſubſidium, quod habent ad vſum Baldachini in locis exemptorum, & inſuper data ſit ad tuendum honorem ſtatus Epiſcopalis, vt conſtat ex Decreto, ſe extendat etiam ad Monaſteria, ad quæ ſe extendit ipſum Ius Baldachini, maximè quia etiam Monaſteria poſſunt intelligi ſub nomine Eccleſiarum.

LEX XC.

Compellendi Regulares ad erigendum Baldachinum in proprijs Eccleſijs exemptis etiam pro exteris Epiſcopis.

NOn pauci Doctores cum Ceſpedes *de exempt. Regular. cap. 13. dub. 222.* probabile putant exteros Epiſcopos, etiam de conſenſu Diœceſani, nō poſſe erigere Baldachinum in Eccleſijs Regularium, ipſis inuitis, & renuentibus, cum doceant, hoc priuilegium erigendi Baldachinum eſſe perſonale, nec poſſe alteri communicari. Alij tamen putant cum Nauar. *part. 1. Summ. Bullar. tit. de Baldachino*, cum Squillant. *part. 3. de Priuileg. Epiſcop.*, & cum Paſqualig. *in addit. ad Laures. qu. 4.* poſſe compelli Regulares ad erigēdum Baldachinum in proprijs Eccleſijs, etiam pro Epiſcopis exteris, ſi delegentur ab Epiſcopo Diœceſano ad exercenda Pontificalia. Ratio eſt, quia de Iure communi, poteſt quilibet Epiſcopus Diœceſanus exercere Pontificalia in omnibus Eccleſijs Regularium, etiam exemptis *ex Clementin. 2. de Priuileg.* Ergo etiam de Iure communi, poterit quemcumque Epiſcopum delegare in quibuſcumque Eccleſijs ad illa eadem exercenda, & poſito, quod delegetur ad hæc Epiſcopus exterus, poterit, & debebit vti Baldachino, vt debitus deferatur honor Epiſcopo Pontificalia exercenti; atque ad hoc ex Decreto Clement. VIII. poterunt compelli Regulares, cum ſit par ratio in hoc de Epiſcopis Diœceſanis, & Epiſcopis exteris, quibus æquè eſt deferendus honor in Pontificali munere obeundo, iuxta Decretum. Aduertendum tamen nō eſſe ab Epiſcopis impediendos Abbates in vſu Baldachini, quando ipſis contingit in proprijs Eccleſijs exercere Pontificalia; Priuilegium enim Abbatum, vtpotè magis ſpeciale, quàm illud Epiſcoporum, cum ſit coarctatū ad tres tantum vices in anno, non debet impediri per priuilegium Epiſcoporum, quod eſt magis amplum, & cui poteſt per ſpecialius derogari, tum ex Iure Ciuili, tum etiam ex Iure Canonico, &c.

LEX XCI.

Non permittendus ab Epiſcopis Abbatibus Regularibus exceſſus circa vſum Baldachini.

SAcra Rituum Congregatio per Decretum emanatum ſub die 27. Septembris 1659. & authoritate Sanctiſſimi publicatum die 3. Februar. 1660. legem fecit Epiſcopali Prudentiæ de modo tenendo cum Abbatibus Regularibus, dato quod agerent vltra præſcripta à Iure nouo Canonico circa vſum Baldachini; datur enim facultas Ordinarijs contra Ius antiquum, vt contrauenientes etiam per Cenſuras compellant ad obſeruantiam Decretorum, quæ ſuper hanc rem toties emanarunt; idque agant tamquam Delegati Sedis Apoſtolicę. Decreta autem,

quæ afferuntur pro Iure antiquo obſeruando à Paſqualig. *qu. Moral. Iurid.* 109. nunc temporis nullius ſunt roboris, vt ipſe fatetur, vnde ſtandum Iuri nouo. Quæ autem poſſint facere Epiſcopi circa vſum Baldachini in Eccleſijs Regularium exemptis refert Quarant. *in ſumma Bullary*, vbi etiam habetur, quod Abbates obſtare volentes Epiſcopis etiam in proprijs Eccleſijs, ne in certis caſibus erigant Baldachinum, puniri poſſunt cenſuris, & pœnis à Sacra Rituum Congregatione præſcriptis, quæ ibi videri poſſunt. Ex quibus ſatis conſtat ad tollendos errores Tamburini *de Iure Abbatum*, Epiſcopos in certis caſibus, vt Delegatos Sedis Apoſtolicæ, habere Iuriſdictionem etiam in Abbates Regulares, & Eccleſias exemptas, haſque non perinde eſſe, ac ſi eſſent extra Diœceſim ratione loci exempti, vt ipſe malè opinatus eſt.

LEX XCII.

Abbatibus Regularibus non permittendus ab Epiſcopis vſus Baldachini in Exequijs Defunctorum.

CVm ex ſupradictis ſit extra difficultatem, & dubium, poſſe Epiſcopos tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatos Abbates Regulares etiam cenſuris afficere ſi excedant in vſu Baldachini, aut vltra tres vices conceſſas celebrandi Pontificaliter in tribus Feſtiuitatibus, aut vltra apparatum præſcriptum à S. Rituum Congregatione, videtur etiam conſequens eſſe non poſſe Epiſcopos illis permittere vſum Baldachini, neque ſolemnem celebrationem in Exequijs Defunctorum; nam conceſſio ipſis facta per Conſtitutiones Pontificias, & per Decretum S. Cong. Rituũ eſt ad ſumũ pro tribus anni Feſtiuitatibus, vt conſtat ex verbis ipſius Decreti; cum igitur eiuſmodi conceſſio ſit coarctata ad feſtiuitates, non poteſt extendi ad exequias defunctorum, quæ non poſſunt intelligi ſub nomine feſtiuitatis; docente etiam toto iure Ciuili, vt notant DD. quod conceſſiones non habent locum, niſi quatenus verba conceſſionum adaptari poſſunt *iuxta l. quod conſtitutum de Teſtam. Milit. & cap. Si Pater de teſtam. in* 6. In qua re adeſt etiam regula generalis, quod limitata conceſſio non poteſt extendere effectum vltra terminos ſuæ limitationis; vnde cum cõceſſio ſit limitata tantum ad feſtiuitates, non poteſt extendere ſuum effectum ad exequias, quod etiam habetur ex Iure Ciuili pluribus in locis, & ex Rota coram Manrica *deciſ.* 232. *& deciſ.* 690 *par.* 1. *recent.* Si ergò in hoc Pontificalium, & Baldachini vſu innoteſcit exceſſus contra præſcripta à Iure Pontificio; ſemper eſt ab Epiſcopis corrigendus, & non permittendus.

LEX XCIII.

Non admittenda ab Epiſcopis Priuilegia Regularium abſoluendi a caſibus reſeruatis ipſis Epiſcopis, tamquam inſerta in corpore Iuris.

LAtere non debet Prudentiam Epiſcopalem illa apud Canoniſtas communiſſima doctrina; quod ſcilicet Priuilegia inſerta in corpore Iuris, & conceſſa, nunquam intelliguntur reuocata, niſi ſpecialis mentio de ipſis fiat, ex qua etiam intelligatur ſpecialis derogatio; cum autem Priuilegia conceſſa Regularibus abſoluendi à reſeruatis Epiſcopo ſupponantur à Leandro *de Cenſuris tractat. ſecundo, diſp.* 17. & à Quintanaduent. *tom.* 1. *ſingular. tract.* 3. *diſp.* 16. *num.* 5. ſupponantur,

tur, inquam, inſerta in corpore Iuris, nimirum *in Clementin. Dudum, & in Extrauagant. Inter cunctas*, non poſſunt intelligi vllo modo reuocata, niſi facta ipſorum ſpeciali mentione. Hic tamen non agitur de reuocatione, quia agemus in ſequenti; ſed quærimus tantum, an Epiſcopi debeant ſupponere ex dictis, quod talia Priuilegia ſint inſerta in corpore Iuris; quod ſanè ab ipſis nunquam erit admittendum, vt apertè demonſtrat contra cit. Doctores Paſqualig. *Q. Moral. Iurid.* 177. cum in illis textibus allatis ſint potius inſertæ prohibitiones factæ Regularibus de non abſoluendo à caſibus reſeruatis Epiſcopo, quàm facultates, & priuilegia abſoluendi. Verba autem expreſſa tum illius Clementinæ citatæ, tum illius Extrauagantis, referuntur à Paſqualigo, qui etiam in hac re, vt ſui moris eſt, acuratiſſimus, ac propterea dicit Leandrum, & Quintanaduenam in hac re nimis oſcitantes fuiſſe. Additur quod dato, & non conceſſo, quod illa Regularium Priuilegia fuiſſent inſerta in corpore Iuris intelliguntur ſpecialiter, & ſufficienter reuocata per ſpeciales derogationes, & mentiones factas à Clemente VIII. & ab Vrbano VIII. & nouiſſimè à Clemente X. per quoddã Breue conceſſum Regularibus cincturatis, vbi expreſsè prohibet abſolutionem à reſeruatis Epiſcopo, licet ampliſſimè alias abſolutiones concedat.

LEX XCIV.

Non permittendus ab Epiſcopis Regularibus vſus Priuilegii, ſiue facultatis abſoluendi à reſeruatis Ordinario.

VT tenebras inijciant lumini Prudentiæ Epiſcopalis, conantur non pauci Doctores, & Theologi, maximè ex Regularibus, qui rem ſuam agunt; ſed luce meridiana clarior eſt prohibitio abſoluendi à reſeruatis facta Regularibus, & reuocatio quo ad hoc quorumcunque Priuilegiorum vt conſtat ex Decreto Sac. Congr. Epiſcoporum, & Regularium, ex mandato Clemẽtis VIII. & ex Decreto Vrbani VIII. & aliorum Pontificum, quæ in Bull. videri poſſunt. Qui verò non obſtantibus eiuſmodi Decretis Apoſtolicis, & Pontificijs putant Regulares poſſe abſoluere virtute ſuorum priuilegiorum à reſeruatis Ordinario, nominantur potiſſimum Baunius *part. 1. Theol. Moral. tract. 4.* Brunus *de priuileg. tract. 5.* Quintanaduenas *tom. 1. ſingul.* & Leander *de cenſ. tract. 2.* At in re tam graui, tutior doctrina ab Epiſcopis amplectenda eſt, quæ poſt Decreta Pontificia emanata penè innumeros Sectatores habet, & licet non conſtet illa Priuilegia Regularium non fuiſſe reuocata per Concil. Trid. ſufficit, quod fuerint reuocata per expreſſa illa Decreta Pontificia, vt optimè docet Paſqualig. *loc. cit.* Nec valet in oppoſitum, quod illæ reuocationes Priuilegiorum non fuerint ſatis promulgatæ Regularibus; hoc enim gratis aſſeritur, ſufficit enim, quod lex Apoſtolica in Alma Vrbe, & in Curia Apoſtolica promulgetur, vt dicatur ſufficienter promulgata, quinimò talis lex, nempè Decreta illa Pontificia miſſa fuere in omnes Dioeceſes ad Epiſcopos, quod ſufficit, vt eſt in praxi de omnibus alijs Legibus, & Decretis Pontificijs.

LEX

LEX XCV.

Nullo Priuilegij prætextu ad ſacros ordines admittendi Regulares ante legitimam ætatem.

POſt Concilium Trident. in quo ſtatutum eſt *cap.12. de reform. ſeſſ.27.* neminem etiam Regularem ad Subdiaconatus Ordinem ante annum ætatis ſuæ vigeſimum ſecundum, ad Diaconatus ante vigeſimum tertium, ad Præsbyteratus ante vigeſimum quintum eſſe promouendum, occurrit dubium apud pleroſque Doctores, an vi alicuius priuilegij, quod habeat vigorem etiam poſt reuocationem omniū Priuilegiorum, quoad ordines ſuſcipiendos poſſint Regulares ante ſtatutam à Concilio legitimam ætatem ordines Sacros ſuſcipere; quod dubium cum reſolui nequeat, niſi conſtet de confirmatione Priuilegij facta poſt Trident., quæ quidem confirmatio fuerit facta ex certa ſcientia cum præuio examine Priuilegiorum, dicendum eſt neminem regulariter loquendo prætextu cuiuſcumque Priuilegij poſſe ad Ordines Sacros promoueri ab Epiſcopis ante legitimam ætatem. Ratio eſt, quia vbi non conſtat de cōfirmatione cum omnibus requiſitis ad illam pertinentibus, quæ in tali caſu haberet vim nouę conceſſionis *ex Gloſſ. in cap. Quia diuerſitas de conceſſ. præbend. & in cap.1. de Tranſact.* debet ſuſtineri diſpoſitio Concilij, quæ hoc prohibet, ac per ipſum Concilium omnibus priuilegijs cenſetur derogatum, niſi per nouam confirmationem in certa forma reuiuiſcant. Pro ætate verò legitima à Concilio pręſcripta ſufficit annus inceptus pro quocunque Ordine, & ita ſeruatur in praxi ex communi Doctorum ſententia cum Concilium prohibeat ſuſceptionem Ordinum ſolum ante annum, non verò ijs, qui iam ſunt in anno, vnde ſufficit, quod annus ſit inceptus per horam, aut etiam per quadrantem ex doctrina Sanchez *lib.7.Conſil.Moral.cap.1.dub.33.* Dianæ *part.5. tract.5. reſolut.17.* Paſqualig. *in controuerſ. apud Lauret. & aliorum.* Verum tamen eſt, quod ordinatus Subdiaconus in Temporibus Quadrageſimæ non poteſt anno ſubſequenti ordinari Diaconus ijſdem Temporibus, ſi Quadrageſima anticipet, vt aſſolet contingere, quia licet ſit expletus annus Eccleſiaſticus, non eſt expletus annus Solaris, qui ſolus facit expletam ætatem requiſitam à Concilio, vnde ſecundum multos, neque dies ſuperadditus menſi Februario in anno biſſextili ſufficit ad complendum annum ætatis requiſitæ à Concilio, cum ſit attendendus annus ſecundum curſum ordinarium ſolarem, probabile tamen eſt illum diem ſuperadditum Februario menſi ſufficere ad implendum annum legitimæ ætatis, quod docet Paſqualig. vbi ſupra contra multos citatos à Marchin. *de Ord. tract.5 cap.4.nu.23.* Suſcipientibus autem Ordines ante legitimam ætatem, imponitur pœna ſuſpenſionis ab ordinis ſuſcepti miniſterio, & etiam Irregularitas ſi ſtante ſuſpenſione aliquis miniſtrauerit in ordine, idque ex Conſtitut. Pij II. *Cum ex Sacrorum, &c.* Volunt tamen aliqui, Sacerdotes fieri Irregulares tantum celebrādo, non in alijs miniſtrando, inter quos ſunt Rodriguez, Bellet. Riccius, & alij. A quibus pœnis excuſantur omnes bona fide miniſtrantes ex communi Doctorum apud Paſqualig. *l.c.* An verò ordinati debeant annum integrum miniſtrare in ordine ſuſcepto, antequā promoueantur ad alium, hoc certum eſt ex Trid. *ſeſſ.27. cap.13. & 14.* niſi aliud Epiſcopo expedire videatur, qui

ſolum

ſolum poteſt diſpenſare ſuper Interſtitijs ex cauſa, ſcilicet ex neceſſitate, vel vtilitate Eccleſiæ.

LEX XCVI.

Nullo priuilegij prætextu ad Ordines admittendi Regulares ſine examine.

ERant antiquitùs aliquibus Regularibus quædam Priuilegia conceſſa, vt cum ſolis Prælatorum ſuorum Dimiſſorijs exhibitis Ordinarijs locorum poſſent ab ipſis ordinari abſque alio examine, quæ tamen priuilegia, nedum per Concilium Trid. *ſeſſ.*23. *de reform. cap.* 10. videntur aboleri, ſed etiam per Bullam Sixti V. quæ incipit *Sanctum & ſalutare*, editam anno 1588. vt conſtat ex Bulla 91. expreſsè reuocaris ſtatuitur enim tum in Concilio, tum in Bulla memorata eſſe Regulares omnes præuio diligenti examine admittẽdos ad ordines ab Epiſcopis, quibuſcumque priuilegijs quoad hoc penitus reiectis, & excluſis. At in hac re inſurgit dubitatio apud Doctores, num ſufficere poſſit Epiſcopis atteſtatio Prælatorum pro Regularibus, quo ad idoneitatem abſque alio examine, & plerique docent ſufficere cum Peierin. *de Subd. & Prælat. qu.*3. *ca*. 7. Thom. Hurtad. *tract.*10. *var. reſol. reſolut.* 53. Paſqualig. ad Lauret. *num.*14. & alijs cum hac tamen limitatione, vt Epiſcopi æſtiment Prælatos Regulares tamquam examinatores, & poſſint de eorum iudicio confidere, tamquam de iudicio examinatorum. Ego tamen clariùs dicerem poſſe Epiſcopos admittere ad Ordines quoſcumque examinatos quomodocumque, dum cõſtet de examine, quod ſolum debet Epiſcopis conſtare ad probandam idoneitatem, dum modo tamen id non admittant Epiſcopi ſub prætextu priuilegiorum, quæ vult Concilium omninò reiecta, & excluſa, vt patet ex verbis, &c. Verum tamen eſt quod docet Diana *tract.*16. *reſolut.*24. *part.*2. *& part.*3. *tract.*2. *reſolut.*7. in Regularibus minorem ſcientiam requiri, quàm in alijs, quæ doctrina, licet faueat Regularibus, non eſt facilè admittenda, cum pro eodem ordine eadem idoneitas requiratur in omnibus, neque in hac admittendam cenſeo diſtinctionem, ſiue acceptionem perſonarum, cum vna ſit Eccleſia, & vna eademque pro omnibus obligatio ab ipſa impoſita.

LEX XCVII.

Regulares non ordinandi ab Epiſcopis cum ex induſtria ſubterfugiunt Epiſcopum Diœceſanum.

EXtat Decretum S.C. Concilij emanatum ſub Clemente VIII. quo prohibentur Superiores Regulares cõcedere litteras dimiſſoriales ſuis Subditis in ordine ad recipiendos Ordines ab alienis Epiſcopis pręter Diœceſanos, ſi hi non ſint abſentes, vel ſi ordinationes non ſint habituri, cuius Decreti tenor refertur à Lauret. de Frãchis in hac materia; Vnde præter eiuſmodi caſus videtur dicendum Regulares ab alienis Epiſcopis non eſſe ordinandos, cum ſupponantur ex induſtria propriũ Epiſcopum ſubterfugere, & fraudẽ ſubeſſe; Cenſuit enim S.C. Concilij citata poſſe ſuperiores Regulares concedere ſuis Subditis Regularibus litteras dimiſſoriales ad Epiſcopũ tantũ Diœceſanum, & ſolum in caſu, in quo iſte abeſſet, vel non eſſet ordinationes habiturus, quod etiam exprimendum eſt in litteris ad alios Epiſcopos; ex quo colligitur nõ eſſe ex induſtria à Regularibus

quæ-

quærendas cauſas ſubterfugij, vt eueniret ſi Superiores ad hoc mutarent Monaſteria ſuis Subditis, timentes reprobationem iuſtam à Diœceſano ex ignorantia ordinandorum, aut ſi data opera expectarēt abſentiam Diœceſani pro Dimiſſorijs ad alios Epiſcopos concedendis, quidquid dicat in contrarium Paſqualig. *in addit. ad Lauret.* qui docet licere Superioribus commutare Monaſteria ſuis Subditis, ad hoc ſolum, vt recipiant Ordines ab Epiſcopo, quem ſibi magis amicum putent, magiſque in examine mitem, cum ſic ſemper ſaluetur Decretum, quod Dimiſſoriæ fiant ad Epiſcopum Diœceſanum illius Monaſterij, in quo de nouo collocantur. Sed Paſqualigus in ſuis doctrinis ſemper ſubtilis, & Metaphyſicus non videtur in hac re ſibi conſtans, cum paulò infra *num.* 250. neget poſſe Superiores Regulares expectare abſentiam Epiſcopi Diœceſani ex induſtria, vt dent litteras dimiſſoriales pro Epiſcopo alieno, cum fiat cum fraude, & fiat indirectè, quod directè prohibetur, quod nunquam licitum eſt *ex l. Seius, & Angerius ff. ad l. falcid. & ex cap. cum quid de Regul. Iur. in* 6. dico enim in vtroque caſu militare eandem rationem fraudis, cum ſemper ex induſtria quæratur ſubterfugium ab Epiſcopo Diœceſano, quod eſt expreſsè contra Decretum S. C. quod neque inuiolatum poteſt ſuſtineri, ſi fierent dimiſſoriæ ad alienum Epiſcopum, ex eo quod proprius nollet ordinare propter præſumpta priuilegia, quæ ipſe non velit admittere; non enim ex hoc poteſt intelligi caſus poſitus in Decreto, quod Epiſcopus non habeat ordinationes, cum non ſit ſimpliciter, & vniuerſaliter verum, ſed tantum ſit verum in ordine ad illos Regulares quos non vult ordinare; vnde Dimiſſoriæ ſic datæ nunquam erunt validæ, neque alienus Epiſcopus poteſt illas admittere.

LEX XCVIII.

Non admittendi ad Ordines Regulares ab Epiſcopis cum ſola diſpenſatione Interſtitiorum facta à ſuis Superioribus.

Conſuetum eſt Regularibus accedentibus ad Ordines Dimiſſorias afferre à ſuis Superioribus, quandoque cum Interſtitiorum diſpenſatione, quę diſpenſatio, an ſufficiat, hic reſoluendū eſt. Videtur namque eſſe ſatis reſolutum hoc dubium à S.C.Concilij, quam refert Lauret. de Franchis *de Regular. Ordination. qu.* 2. vbi decernit Superiores Regulares non poſſe diſpenſare ſuper Interſtitijs ordinandorum, ſed id ſpectare ad Epiſcopos ordinantes, qui tamen quo ad cauſam diſpenſationis formare debent iudicium ex atteſtatione Superiorum Regularium. Sed Paſqualig. *in addit. ad Lauret.* putans ſuſpectam hanc declarationem, & aliam afferens in cōtrarium relatam à Pialec. *in prax. p.* 1. *c.* 1. *num.* 11. docet ſufficere diſpenſationem factam à Superioribus Regularibus, neque talem diſpenſationem ſpectare ad Epiſcopos; cum ipſe afferat, hanc diſpenſationem ſpectare ad Superiorem ordinandi, ad quem etiam ſpectat concedere Dimiſſorias, & pro hac doctrina affert Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 4. Sanchez *l.* 3. *Conſil. Moral.. cap.* 11. & alios. Ego tamen tutiorem puto illam doctrinam, quæ facultatem diſpenſandi ſuper Interſtitijs tribuit ſolis Epiſcopis, cum Interſtitia ſint res quædam eſſentialiter connexæ cum Ordinibus, quorum collatio ſpectat ad ſolos Epiſcopos; nec Superiores Regulares in materia Ordinum habent aliam facultatem, quàm

faciendi

faciendi atteſtationes ſuper qualitatibus Subditorum, quas quidem debent attendere Epiſcopi, tamquam cauſam ſufficientem pro diſpenſandis Interſtitijs; quemadmodum igitur in Superioribus Regularibus nulla eſt facultas, quoad collationem Ordinum, ita etiam quoad res eſſentialiter connexas cum Ordinibus. Addo quod ſicut Interſtitium eſt temporis interuallum inter vnum Ordinem, & alium, quod tenentur ſeruare Epiſcopi, niſi habeant cauſam non ſeruandi, ſic iſtius interualli diſpenſatio non poteſt pertinere, niſi ad Epiſcopos, ſuper quos tantum cadit obligatio illud ſeruandi, quæ ſanè obligatio nuſquam legitur in Concilijs cadere ſupra Superiores Regulares. Addo inſuper ex Declaratione S. C. Concilij edita anno 1597. die 7. Septemb. teneri Superiores Regulares in litteris dimiſſorialibus petere ab Epiſcopis diſpenſationem pro ſuis ſubditis ordinandis, attenta neceſſitate, vel vtilitate Eccleſiæ, ſeu Religionis, quod eſſet ſupervacaneum, ſi Superiores Regularium poſſent ipſi diſpenſare, ita Sorb. *ex conſil. apud Laures. l. c.*

LEX XCIX.

Regulares eiecti ad Superiores Ordines nequaquam promouendi.

TAmetſi olim Regulares eiecti, aliquo iam Ordine inſigniti, poſſent etiam ab Epiſcopis ad Ordines ſuperiores promoueri, vt clarè apud Laurer. *qu. 7.* docent Nauar. *lib. 3. Conſil. 4. de ſtatu Monach.* & Rodriquez *Qu. Regul. tom. 1. qu. 38.* nunc temporis tamen vigore Decretorum S. Cong. videtur non poſſe, cum ex ipſis omnes eiecti remaneant ab Exercitio ordinum ſuſpenſi, conſtat enim ex ipſis Decreti vltimi verbis §. 9. quod eiecti extra Religionem degentes ſint perpetuó ſuſpenſi ab exercitio ordinum, ſublata Ordinarijs locorum facultate dictam ſuſpenſionē relaxandi, aut moderandi, neque ab hac ſuſpenſione poſſunt diſpenſari à ſuis Prçlatis, neque ad Ordines promoueri, niſi ſint prorſus emendati, & redeant ad Religionem, quia durante eiectione ratione incorrigibilitatis, quæ ſupponit grauia delicta, ſunt Irregulares ex delicto, cum habeant infamiam Iuris, & etiam infamiam facti, ex qua oritur, quod non poſſint ad ordines promoueri, vt inhabiles ex impedimēto Irregularitatis, inhabiles namque ad exercendos ordines, dicuntur etiam inhabiles ad eoſdem ordines ſuſcipiendos. Aliqui tamen DD. volunt Regulares eiectos ex vi Decretorum Sacræ Congregationis eſſe tantum ſuſpenſos ab ordinibus, quos habent, ſi habeant, non verò id habere, quod non poſſint ad alios promoueri, ſi nullum aliud habeant impedimentum, cum à diſparatis non poſſit fieri illatio, vnde puto doctrinam illorum magis ſtringere in hac re, qui dicunt etiam ſecluſo quocunque decreto, non poſſe ratione incorrigibilitatis, quæ illos reddit infames, vt ſupradictum, vt bene notauit Paſqualig. *l. c.* cum Lapo, Friderico de Senis, Nauarr. Bordon. & alijs, certum enim eſt, quod debent prius obtinere diſpenſationem à Sum. Pontif. quidquid dicanr aliqui ſuper tali Irregularitate poſſe ab Epiſcopis ipſis diſpenſari *ex cap. At ſi Clerici* §. *de Adulterijs*, nam ex illo c. ad ſummum datur facultas Epiſcopis diſpenſandi ſuppoſita reſipiſcentia, & emendatione, qua ſuppoſita debent ad ſuam Religionem redire, & admitti, & tunc à ſuis Prçlatis Regularibus, tamquam omnino emendati, & non vltrà in ſua incorrigibilitate per-

P ma-

manentes poterunt diſpenſari, quod in ſpecie conceſſit Pius V. Monachis S. Benedicti Idibus Iunij 1571. *Conſtit* 129. *tom.2. Bullar.* Suſpenſio verò ab Ordinibus ceſſat ipſo facto, quando reuertuntur ad Religionem, vt notat Donat. *in prax. Regular part.2. tract.8.q.*40. cum ſuſpēſio ex Decreto Pontificio limitetur tantum ad tempus, in quo Regulares permanent incorrigibiles extra Religionem.

LEX C.

Regulares eiecti ſub aliquo titulo ad Ordines promouendi, ſuppoſita Apoſtolica diſpenſatione.

EX Trid. nemo cuiuſcumque Ordinis, & conditionis ſit, poteſt ad ſacros Ordines promoueri ſine titulo, vnde ſequitur etiam Regulares eiectos ſub aliquo titulo eſſe ad Ordines Sacros promouendos. Difficultas eſt, quinam debeat eſſe titulus iſte in Regularibus eiectis, cum non poſſit eſſe titulus Religionis, quæ ipſos tamquam eiectos, & ſeparatos per ſententiam definitiuam alere non tenetur; neque poſſit eſſe titulus Patrimonij, quia ſtante voto paupertatis ſunt incapaces Patrimonij, neque poſſit eſſe titulus beneficij quia vt Religioſi, & voto paupertatis obſtricti, neque ſunt capaces beneficij, idque ex Trid. *ſeſſ.*14. *de refor. cap.*10. *ex Clement. de ſupplend. neglig. Prælat. & ex cap. cum de beneficijs in* 6. Titulus igitur ſufficiens pro ſuſcipiendis Ordinibus in Regularibus eiectis erit aliquid aſſignabile æquiualens Patrimonio, vel beneficio quoad congruam ſubſtentationē, ad hanc enim præcipuè requiruntur tituli Patrimonij, & beneficij ne Clericus ordine Sacro inſignitus cum ſui ſtatus indecentia cogatus mendicare; redditus tamen, ſiue prouentus aſſignandi Regularibus eiectis, debent ſemper manere ſecundum proprietatem apud Eccleſiam, cum apud ipſos Regulares non debeat remanere, niſi vſus ſine dominio, & proprietate, vt habetur ex doctrina communi, & quamuis hoc non ſit ſecundum formā Concilij Trid. quod vult, vel Patrimonium, vel beneficium debere eſſe in proprietate ipſius ordinandi, tamen cum agatur hic de caſu excepto in Regularibus eiectis, qui ratione voti paupertatis ſunt incapaces proprietatis, ſatis erit ſi habuerint aliquod æquiualens pro ſubſtentatione ſine aliqua proprietate. Epiſcopus verò, qui illos debet ad Ordines promouere in, ſententia multorum debet eſſe Epiſcopus originis, cum non habeant Epiſcopum domicilij, eo quod ex ſtatu ſuo ſint veluti vagi, volunt tamen iſti debere Epiſcopum originis, antequam eos promoueat ad ordines, ſumere informationem ab Epiſcopo loci, vbi habitant eiecti, qui ſupponitur de eorum moribus, & vita habere notitiam. Alij tamen melius volunt eſſe ordinandos ab Epiſcopo loci, vbi habitant, cum ipſi tantum fiant verè ſubditi actualiter per obedientiam, quam illi præſtare debent, vt dictum eſt, & ad ipſum ſpectat ſuper illos inuigilare, & de actionibus eorum perſcrutari. Addo ratione habitationis cum animo permanendi in illo loco etiam Regulares eiectos, quemadmodum alios Clericos, adquirere quoquomodo domicilium. Hæc tamen dicta ſunt, ſuppoſita diſpenſatione ad ordines obtenta à Summo Pontifice, vt ſupra.

LEX CI.

Ad Epiſcopis Ordinantibus inquirendum eſt de origine, & domicilio ordinandorum.

EX Trid. *Seſſ.* 23. *cap.* 17. *de refor.* habetur, quod Epiſcopi ordinantes tenentur inquirere, inueſtigare, & examinare circa ordinandos de genere, perſona, ætate, inſtitutione, moribus, doctrina, & ipſorum fide, in quibus comprehenditur examen originis, & domicilij, cum non poſſint ordinare niſi ſuos Subditos, qui ſi non ſint ſubditi ratione beneficij, debent eſſe tales ſaltem ratione originis, vel domicilij, cum titulus Patrimonij non ſufficiat ad faciendum ſubditum. Non cenſeo tamen probandam in hac materia doctrinam nonnullorum, inter quos eſt Zerola *in prax. Epiſcop. V. Dimiſſoriæ*, Quaranta *in Sum. Bullar. V. Ordo*, & Piaſecius *in prax. part.* 1. *c.* 1. qui volunt, non poſſe Epiſcopum domicilij illum ordinare, qui ab Epiſcopo originis eſt promotus ad titulum beneficij requirentis reſidentiam, vel ad titulum Patrimonij cum adſcriptione alicui Eccleſiæ, niſi in tali caſu habeat dimiſſorias ab Epiſcopo originis, nam vt ſcitè tradunt Campanil. *in diuerſor. iur. Rubric. cap* 8 *n.*25. & Barboſ. *de poteſtate Epiſcop. alleg.*4. *n.* 41., ſufficit, quod Epiſcopus domicilij habeat notitiam morum, & aliorum qualitatum, quæ pro ordinandis neceſſariæ ſunt, cum ad ſummum Epiſcopus originis poſſit punire Clericos recedentes adſcriptos Eccleſiæ, vel obſtrictos reſidentiæ beneficij per ſuſpenſionem interdicendo exercitium, iuxta diſpoſitionem Trid. *Seſſ.* 23. *cap.* 16. *de refor.* vt verò ab Epiſcopis benè inquiratur de origine, & domicilio ordinandorum, non ſufficit cuicumq; coniecturæ, vel teſtimonio fidem præbere, cum de vtraque debeat authenticè conſtare, iuxta Sacros Canones, & Concilia; & conditiones inquirendæ de domicilio plures ſunt, cum pluribus modis poſſit domicilium contrahi per Iuriſtas, & Canoniſtas; debet autem principaliter cõſiderari, ſi ad tranſlationem bonorum, familiæ, ſupellectilis, & habitationis accedat animus permanendi in illo loco, hæcque omnia fiant ex libertate, non ex aliqua aduerſante neceſſitate, quæ cogat mutare locum ex aliquo metu damni, ex quo habeatur indicium fieri mutationem non ex animo permanendi; & licet quis ex Iure Ciuili, & Canonico poſſit habere plura domicilia in diuerſis locis, debet tamen in illis per aliqua ſigna demonſtrare ſe habere animum in illis perpetuò permanendi ſaltem per aliquam anni partem, vt habemus *ex cap. cum nullus de temp. ord. in* 6. & ex Rota *deciſ.*150. *part.*7. *recent. nu.*6. quod notant etiam Abbas. Nauar. Socin. Maiol. &c. & ſic habens plura domicilia in diuerſis locis poterit ab Epiſcopis illorum locorum, tamquam ſubditus ad ordines promoueri. Sic etiam poterunt ordinari ab Epiſcopo loci filij officialium, quando primò perueniunt ad locum, vbi officiales ipſi debent exercere officium perpetuũ, talis enim perpetuitas officij arguit animum ibi perpetuò permanendi, quod ſufficit ad contrahendum domicilium, vt notant cum Barboſ. *de poteſt. Epiſc. alleg.*4. Rebuff. Campanil. &c. De Relegatis exilio perpetuo in aliquo loco, eſt aliqua difficultas, cum ibi cenſeatur animus inuitus ad permanentiam, & non planè liber; tamen ex *l. Filij libertorum* §. *Relegatus ff. de municip.* & ipſi dicuntur contrahere domicilium, retinentes etiam primum domicilium. Sic denique

que Barones, & eorum filij dicuntur contrahere domicilium in ſuis feudis, quamuis ibi non habitent, quod habetur ex Rota Cæſarauguſtana Penſionis 9. Martij 1598. coram Orano, & etiam ex Barboſ. *l. c. n.* 32. & ratio eſt, quia ſtante dominio loci habent ibi habitationem in habitu, licet non in actu, & exercendo iuriſdictionē dicuntur ſemper ibi præſentes animo, & effectu, ex quo conſurgit habitatio quædam virtualis, æquiualens materiali, cum ibi reſideat tamquam caput illius regiminis, & communitatis. Ego tamen dicerem hanc rationem eſſe potius metaphyſicam, & parum conducere ad domicilium reale, & perſonale, quod requiritur cum animo permanendi, vt dictum eſt.

LEX CII.

Pro Patritijs rerum publicarum non adprobandum ab Epiſcopis domicilium in quacunque ſubdita Ciuitate, vel ſubiecto loco ratione ſolius dominij.

PAx Iordanus *tom.* 1. *variar. lucubrat. lib.* 3 *titul.* 6. *nu* 66. expreſſè loquendo de Venetis docet Nobiles omnes Rerumpublic. Patritios, apud quos eſt Regimen totius Reipub. habere domicilium in quocumque loco, & Ciuitate dominij, & conſequenter poſſe ad ordines promoueri à quocumq; Epiſcopo talis dominij, cum ſint verè Domini omnium locorum in tali Dominio, & dicantur verè habitatores permanentes in illo toto dominio, & hęc doctrina fortaſſis cohæret cum ſupradicta de Baronibus feudorum, quibus ratione dominij, & iuriſdictionis tributum eſt domicilium in omni loco, vbi talem iuriſdictionem, & dominium exercent; cuius tamen doctrinæ diſcrimen facilè adduci poteſt, cum dominium, & iuriſdictio Baronum, & Principum feudatorum ſit aliquid perſonale, & poſſit inducere effectus perſonales in ipſis, qualis eſt adquiſitio domicilij; dominium verò Rerumpublicarum ſupra Ciuitates, & oppida, cum non ſit perſonale, neque ſequatur perſonas, ſed ſit tantum reale penes communitatem, neque inhæreat perſonis, vti ſingulis, hinc eſt quod in ipſis, vti ſingulis non poſſit inducere effectus perſonales, inter quos eſt contractio domicilij; tale namque dominium Rerumpub. eſt collegiale, neque reſidet, niſi in Collegio perſonarum, quod facit vt nulla perſona, vti ſingularis, dicatur domina, vnde ceſſat omnimodè ratio allata ratione dominij, cum ſit tantum in communitate, non in ſingularibus, quę quidem ratio non militat in Baronibus, qui habent tale dominium, vt ſingulares perſonæ Principatum obtinentes, ex quo inferunt aliqui DD. Principes, & Barones plura feuda, & plures ditiones obtinentes in diuerſis Diœceſibus habere etiam plura domicilia, tot, quot ſunt feuda, & ideo poſſe tamquam ſubditos à pluribus Epiſcopis ordinari, quod etiam volunt alij de ipſis Patritijs Rerumpublicarum ratione dominij, quod habent in pluribus Diœceſibus, & Ciuitatibus. Verum quidquid ſit de eiuſmodi doctrinis, & rationum paritatibus melius eſt in perſonis, cuiuſcumque generis ſint, & conditionis, veras domicilij rationes attendere, & inueſtigare; cum enim agatur de Sacramento Ordinis non multum eſt fidendum probabilitate doctrinarum, & opinionum, quæ vim non habent conualidandi Sacramenta, ſi deficiant conditiones requiſitæ in miniſtrante vel in recipiente, & in eiuſmodi rebus ſemper tutior pars

eſt

eſt eligenda, quin immò etiam ſpeculatiuè loquendo, videtur non poſſe intelligi domicilium ſine habitatione cũ animo permanendi. Principes autem, Barones, & Patritij Rerumpub. non dicuntur in quolibet loco ſui dominij habitare, neque habere animum ibi permanendi, vnde ceſſat vera ratio domicilij, ſicque ruit tota doctrina ſuperius allata de ipſorum domicilio.

LEX CIII.

Illegitimi non admittendi ab Epiſcopis ad ordines, ad beneficia, ad dignitates ſine diſpenſatione.

ID ſcitum eſſe debet Epiſcopali Prudentiæ, quod licet vna ſit illegitimitas in prole ſpuria, multas tamen poteſt inhabilitates inducere, & impedimenta; cum reddat hominem inhabilem ad plura inter ſe valdè diuerſa, nimirum ad ordines, ad beneficia, & ad dignitates, vnde cum ſint plures inhabilitates ex eodem fonte manantes, plures etiam requirunt diſpenſationes, vt præter Iuriſtas, & Canoniſtas habemus etiam ex Rota coram Puteo *deciſ.* 109. *in fin. lib.* 1. & coram Ludouiſ. *deciſ.* 87. *nu.* 6. & in Zerulenſi Penſionis 2. Iunij 1597. coram Pennia, & etiam *ex cap. Tuarum de auctor. & vſu Pal.*, & *ex cap. Paſtoralis de Priuileg.* Cum igitur id apud omnes certum ſit, illegitimos abſque diſpenſatione eſſe omninò incapaces rerum ſupradictarum, non debent ad vllam earum admittere Epiſcopi, niſi prius diſpenſationem obtinuerint. An verò illegitimus diſpenſatus ad ordines, ſit intelligendus ex vi talis diſpenſationis diſpenſatus etiam ad reliqua, non eſt hac lege definiendum, ſed ſequenti, cum ſit vtrinque opinio Doctorum, quorum doctrinæ erunt à nobis accuratè examinandæ; non enim ordines ita connexi cenſendi ſunt cum beneficijs, & dignitatibus, vt ad illos diſpenſatus, cenſeatur etiam diſpenſatus ad alia, cum ſatis conſtet ex Iure Canonico beneficia, & dignitates non eſſe inſeparabiliter connexa cum ordinibus, quia poteſt quis ordinari ad titulum Patrimonij, & ad titulum Penſionis, abſque eo quod ordinetur ad titulum beneficij, & quamuis ordo concedatur ad titulum Patrimonij quaſi diſpenſatiuè ex Concil. Trid. *Seſſ.* 21. *cap. de refor.* nimirum ob ſolam neceſſitatem, & vtilitatem Eccleſiæ, attamen verè ab Epiſcopis paſſim conceditur, quod ſufficit ad demonſtrandum beneficia, & dignitates non eſſe inſeparabiliter connexas cum ordinibus, neque vna diſpenſationem pro ipſis ſatis eſſe ad dignitates, & beneficia obtinenda.

LEX CIV.

Illegitimus diſpenſatus ad Ordines non intelligendus diſpenſatus etiam ad beneficia.

PRomptâ nimis doctrinâ ſuaſere plures poſſe Epiſcopos ad beneficia admittere abſque alia diſpenſatione illegitimos iam diſpenſatos ad ordines, ea præſertim ratione, quod ordines, & beneficia ſint res quædam quaſi inſeparabiliter connexæ, & quod idcircò non poſſit ad Ordines diſpenſari, niſi etiam diſpenſetur ad beneficia; quæ tamen doctrina facilè ex dictis refellitur, cum nulla ſit connexio inſeparabilis Ordinis, & beneficij, immò res ſint omninò ſeparabiles, vt ſatis perſpicuũ eſt. Additur Datariæ Stylus, qui declarat mentem Pontificis, & ex quo diſpenſatio ad Ordines non extenditur ad beneficia, ad quæ eſt neceſſaria ſpecialis

cialis diſpenſatio; neque eſt probabilis doctrina oppoſita, licet ſit multorũ Doctorum, quia Stylus Datariæ, qui eſt interpres mentis Pontificis, facit aliam opinionem certam, neque Doctores ignorantes Stylum Datariæ in hac re poſsũt facere aliam opinionem probabilem ex ſola authoritate, quia prævalet ſemper authoritas, & Stylus Datariæ, quem tetigiſſent Doctores oppoſitæ opinionis, ſi illum non ignoraſſent. Stylus verò Datariæ habet maximum fundamentum in Iure communi, quia diſpenſatio tamquam vulneratiua legis eſt ſtrictè interpretanda, & ideò ſi eſt ad ordines, non poteſt extendi etiam ad beneficia; & hanc doctrinã præter Iuriſtas, tradunt etiam communiter Canoniſtæ *in cap. de multa, & in cap. de Præbendis* cum Rota *in varijs deciſ. coram Pennia*, vbi habetur diſpenſationes non poſſe extendi vltra verborum ſignificationem, & conſequenter diſpenſationem ad Ordines non poſſe extendi ad diſpenſationem pro beneficijs; habemus enim ex eadem Rota coram Pennia *deciſ.* 619 *nu.* 3. diſpenſationem ad vnum effectum expreſſum, non eſſe diſpenſationem ad alium non expreſſum, quod tradit etiã Io. And. *in cap. fin. de fil. Presbyt. in* 6. ad ſummum enim diſpenſatio extenditur ad ea, quæ ſunt inſeparabiliter connexa, vt docet Corrad. *in praxi diſpenſ. cap.* 5. *nu.* 18. *lib.* 1. cum alijs, cuiuſmodi, vt dictum eſt, non eſt ordo, & beneficium.

LEX CV.

Ad Ordines non admittendi ab Epiſcopis amentes, & inſani.

Error eſſet pluſquam palmaris Prudentiæ Epiſcopalis, ſi patientes furorem, & inſaniam ad Ordines promouerentur, niſi longo temporis interuallo comprobata ſanitate; quæ tamen diuturna ſanitatis probatio, neque ſufficeret, ſi furor, vel inſania prouenirent ex læſione organorum, quæ ſolet inhabilitatem ex irregularitate præſeferre, & dicitur inhabilitas habitualis, quemadmodũ furor, vel amentia, quæ oritur ex aliqua humoris prauitate actualiter tantum prædominante, cum ſit per modum morbi tranſeuntis, & nõn permanentis, non habet vim ponendi inhabilitatem habitualem, cum tantum adſtruat actualem, ratione cuius poteſt amens ad ordines promoueri, cum non ſit morbus in radice, vnde tranſacto morbo, quilibet poteſt eſſe ordinis capax, ita ſentientibus Suarez, Bonacina, Palao, Giballin. alijſque pluribus apud Paſqualig. *quæſt. moral. Iurid*, 75. cum enim inhabilitas ſit menſuranda ad menſuram furoris, & amentiæ, quatenus priuant vſu rationis, ex qua priuatione oritur inhabilitas, ceſſante furore, & amentia, debet ceſſare proportionaliter inhabilitas; vnde ſi furor, & amentia totaliter ceſſet etiam in radice, ceſſat totaliter inhabilitas; ſi verò ceſſet tantum actualiter, ceſſat actualiter tantum inhabilitas; inhabilitas autem debet ſemper ab Epiſcopis conſiderari in ordine ad ipſos Ordines exercendos, qui quotieſcumque poſſunt exerceri, vti par eſt, ſupponenda eſt habilitas, & capacitas.

LEX

LEX CVI.

Patientes furorem, & inſaniam non promouendi ad Ordines ab Epiſcopis, ſine iudicio, & conſilio peritorum.

IN hac re, quæ quidem ſummi ponderis eſt, ab Epiſcopali Prudentia capiendum eſt conſilium à peritis in arte, ne ipſa capiatur, aut decipiatur errore; cum enim, vt ſupra dictum eſt, queat ortum habere furor, & inſania, aut ex organorum læſione, quæ ſolet morbi perſeuerantiam afferre ratione radicis infectæ, aut ex actuali mali humoris prædominio; hæc ſanè diſtinguere non ſpectat, niſi ad artis medicæ peritiam, cuius iudicio ſi ducantur Epiſcopi, benè iudicabunt de promouendis ad Ordines. Periti namque æquiparantur Iudicibus ex Bald. *in l. 2. n. 4. ff. de fer.* Bartol. *in l. 1. §. fin. n. 2. ff. de verb. obligat.* Alex. *nu.* 2. Alberic. *nu.* 5. Felin. *in cap. propoſuiſti num. 9. de probat.* Corne. *conſil.* 43. Pacian. *l. 2. de probat. cap.* 47. Couuar. *par. 2. de matrim. cap.* 4. & alijs pluribus, quibus addũtur etiam Canoniſtæ plures aſſerentes, quod habito ab Epiſcopis iudicio Peritorum, poterunt abſque vllo ſcrupulo illud ſequi, nõ ſecus ac ſi proſequerentur ſententiam à Iudice prolatam; ſat enim erit ſemper pro Epiſcoporum cõſcientia noſſe ex Medicorum iudicio, an furor, & amentia ſit habitualis, & ex radice infecta, an verò ſit tantum actualis, ſcilicet facilè tranſiens, & curabilis, ex hac enim ſcientia facili negotio poterunt Epiſcopi proprium iudicium benè dirigere, vt conſtat ex dictis.

LEX CVII.

Ante ſuſceptam Confirmationem nemo admittendus ad Ordines, neque ad Tonſuram.

HAnc Legem indicit Epiſcopis Trid. *ſeſſ. 23. cap. 4. de Refor.* at nullam imponit pœnam accedentibus ad Ordines, & Tonſuram ſine Confirmatione; an verò peccent Epiſcopi ordinantes, vel ordinandi accedentes ſine confirmatione, adhuc verſantur in ancipiti Doctores, cum plures apud Lauret. de Franchis *quæſt. 15. de Regul. ordinat.* velint vtroſque peccare mortaliter, cum non obſeruent præceptum Concilij in materia graui, qualis eſt illa Sacramentorum; alij verò nolint; aſſerentes Concilium id non præcipere Epiſcopis, vel ordinandis, ſed tantum ordinem ſeruandum præſcribere in ſuſceptione Sacramentorum, cum præſcribat eſſe primum ſuſcipiendam Cõfirmationem, antequam ſuſcipiatur Tonſura cum alijs Ordinibus; quam doctrinam tradit Paſqualigus *in addit. ad Lauret.* vbi ſupra. Ego tamen dicerem nullum eſſe indictum præceptum à Concilio, neque pro Epiſcopis, neque pro ordinandis; ſi enim eſſet indictum Epiſcopis, vt putat Paſqualigus, non video cur eodem præcepto, cum ſit in re graui, non ligentur etiam ordinandi, quod ipſe negat, cum vtrobique militet ratio materiæ grauis. Addo quod ſi daretur præceptum Epiſcopis à Concilio, ne aliquem initiarent Tonſura, ante Confirmationem, vel ad Ordines minores promouerent, id eſſet, quia irrogaretur iniuria ſtatui Clericali, qui habetur initiatiuè per Tonſuram, vel Sacramentis, qualia ſunt Ordines etiam minores, quæ iniuria inducerẽtur, tàm à conferente, quàm

quàm à ſuſcipiente, & ideo vterque deberet peccare mortaliter, quod tamen non eſt dicendum, niſi fieret ex contemptu, quidquid dicant Tolet. *lib.* 2. *Sum. cap.* 71. Fornar. *de Ord. cap.* 3. Nugn. 3. *part. qu.* 23. Maiol. *de Irregul. lib.* 4. *cap.* 12. Bonac. *diſp.* 8. *de Sacram. qu. unic. pun.* 5. & alij. Neque dicendum eſt cum eodem Toleto, & Maiol. præter peccatum mortale ſuſcipientes Tonſuram ante Confirmationem incurrere Irregularitatem, nō enim hæc pœna inuenitur alicubi impoſita à Iure, vt benè notant Auila, Suarez, Henriquez, Nauar., Sotus, & alij apud Paſqualig. *l. c.*

LEX CVIII.

Ante præſcriptam ætatem nemò admittendus ad Tonſuram, vel ad Ordines.

PRo Tonſura, & pro Ordinibus ſuſcipiendis variæ præſcriptæ fuere ætates pro temporum varietate. Tonſura enim, vt plurimum in ſeptennio collata eſt *ex cap. Nullus de Temp. Ordinat. in* 6., qui annus debet eſſe completus *ex cap. In ſingul. diſt* 77. Reliquorum Ordinum variæ præſcriptæ ſunt ætates in diuerſis Concilijs, præſertim in Viennenſ. & *Clementin. Generalem de ætate, & qualitat.* at in Cōncil. Trid. *Seſſ.* 23. *cap.* 12. Subdiaconatum permittit exiſtenti in anno vigeſimoſecundo, Diaconatum in anno vigeſimotertio, Presbyteratum in vigeſimoquinto; liberum tempus permittens Ordinibus minoribus poſt Tonſuram, pro quibus maior attentio habenda eſt ad litteras, & mores, quàm ad ætatem. Puto autem, vt etiam alibi dixi, ſufficere pro quolibet Ordine, quod ſit annus inceptus, non completus, quidquid dicant in cōtrarium Nauar. *Conſil.* 9. *de Temp. Ordinat.* Villalobos *tom.* 1. *Summ. Tract.* 11. Paſqualig. *in addit. ad Lauret. qu.* 16. *de Regul. Ordinat.*, & alij plures; Sufficit enim, quod ſuſcipientes Ordines ordinentur in annis præfixis à Concilio, neque exprimitur, quod anni debeant eſſe completi. Illi verò, qui ex malitia, non ex ignorantia, ante legitimam ætatem ſuſcipiunt Ordines remanent ipſo facto, & iure ſuſpenſi, quæ ſuſpenſio, licet ante Bullam Pij II. *Ex Sacrorum*, duraret tantum vſque ad legitimam ætatem, nunc tamen intelligitur perpetuò durare, ſiquidem ſuſpenſio ipſo iure, quæ ponitur in dicta Bulla, perpetuitatem indicat, cum latæ Sententiæ habeant vim Canonis, vt explicant plures Iuriſtæ, & Canoniſtæ apud Lauret. de Franch. *l. c.* vnde ſic ſuſpenſi, dicuntur indigere diſpenſatione Apoſtolica, quod cōfirmant Rebuff. *in prax. titul. de malè promotis*, & Nauar. *Conſil.* 30. *in fine*. Si tamen ſuſciperentur Ordines cum ignorantia inculpabili ſuſcipientium, hæc ſufficeret ad eos excuſandos à pœna ſuſpenſionis, cum ſit doctrina communis, nullam cenſuram incurrere, qui cenſuram, vel prohibitionem ſub cenſura inculpabiliter ignorat, ſicut enim ignorata lege non violatur lex, nec violans fit reus transgreſſionis, ita ignorata cenſura appoſita nemo fit reus cenſuræ.

LEX CIX.

Prima Tonſura ſuis ſubditis ab Epiſcopis vbique locorum conferenda.

QVolibet tempore, & quolibet loco poſſe ab Epiſcopis Tonſuram conferri certum eſt ex communi Doctorū ſententia, nec opus eſt de hac re Canones, & Concilia referre. At id, quod

quod vertitur in dubium eſt, an poſſint Epiſcopi illam extra propriam Diœceſim conferre ſuis ſubditis; licet enim plures Doctores id reducant ad exercitium voluntariæ Iuriſdictionis, alij tamen volunt collationem Tonſuræ, quemadmodum etiam aliorum Ordinum ſpectare ad exercitium Pontificalium, quod extra propriam Diœceſim haberi non poteſt ſine licentia illius Ordinarij iuxta Trid. *ſeſſ.6. cap.5. de Reform.* Quod verò verè poſſint Epiſcopi Tonſuram conferre ſuis ſubditis etiam extra Diœceſim exiſtentibus, videtur ſatis probari ex generali conſuetudine, & praxi, nuſquam Eccleſia reclamante, quod ſufficit ad probabilitatem, & quaſi certitudinem illius doctrinæ, quā non tolleraret Eccleſia, ſi eſſet contra Canones; hancque doctrinam tuentur duodecim claſſici Doctores, & Canoniſtæ, quos citat Paſqualig. *in addit. ad Laurer. qu. 17. de Regular. Ordinat.* vbi tamen plures alios affert contrariè ſentientes; Miror tamen ego quomodo Paſqualigus horum ſententiam putet probabiliorem, ex eo quod ipſe dicat collationem Tonſuræ ad munus Pontificale ſpectare, cuius exercitium extra Diœceſim non poteſt haberi; nam dato, quod in collatione Tonſuræ exerceretur aliquod munus Pontificale, adhuc probandum remanet, quod prohibeatur omne munus, ſeu exercitium Pontificalium extra propriam Diœceſim, in qua prohibitione tantum poteſt fundari improbabilitas oppoſitæ ſententiæ, de qua ſanè non conſtat. Addo non ita facilè audiri in Eccleſia, quod conferre Tonſuram ſit Pontificalia exercere. Quod inſuper docet Paſqualigus poſſe excuſari à pœna ſuſpenſionis illum Epiſcopum, qui conferret ſubdito Tonſuram extra Diœceſim, ex eo quod ſequeretur opinionem probabilem, non eſt conſonum Doctrinæ Canonicæ, nam ſi collatio Tonſuræ ſubeſt prohibitioni ex eo, quod ſit de numero actuum Pontificalium, qui non poſſunt exerceri extra propriam Diœceſim, ſequitur clarè, quod etiam ſemper ſubijciatur impoſitæ pęnæ ſuſpenſionis, ſicuti ſubijciuntur cœteri actus Pontificales prohibiti, neque opinio probabilis tollit prohibitionem, & conſequenter neque pœnam adnexam.

LEX CX.

Ad Ordines Minores in quolibet loco, & quolibet die non feriato Epiſcoporum ſubditi promouendi.

DEcentiùs agitur ab Epiſcopis, ſi Ordines omnes, qui ſunt Sacramenta, in loco ſacro conferantur; Verè in quolibet loco poſſe conferri, & eſſe conferendos, ſi aliqua vrgeat neceſſitas, vt quidam volunt, ſed nulla vrgente neceſſitate, vt alij, communiter aſſeritur, idque præ cæteris docet Laurer. de Franchis *qu.18. de Regularium Ordinatione,* qui ait Epiſcopum, vbi ſibi videbitur, poſſe Minores Ordines conferre; ego tamen adderem, vbi ſit loci decentia, & honeſtas; quapropter notant Henriquez *in ſum. l.10. c.11.* Ricc. *in praxi aurea reſolut.* 274. Squillant. *de oblig. & priuileg. Epiſc. p.3. c.1.* & alij cum ipſis Epiſcopalem domum eſſe locum opportuniſſimũ, quemadmodum docent Campanil. *in diuerſ. Iur. Canon. rub. 6. c.1.* Syluester *in ſum. V. Ordo*, Maiol. *l. 3. de Irregul. cap. 23.* & Marchin. *de Ord. tract. 1. p.7. c.7.* poſſe etiam Epiſcopos in qualibet alia Domo, quę non ſit Epiſcopalis Minores Ordines conferre, ad differentiam Ordinum Sacrorum, qui ex præſcripto Tridentini *ſeſſ.*

23. *cap.* 8. *de Refor.* debent conferri quoad fieri poteſt, in Eccleſia Cathedrali, præſentibus Canonicis, & vbi conſuetudo inualuit, vt Ordinationes habeant in quauis Eccleſia Diœceſis, poterunt conferri etiam in alia Eccleſia, quæ tamen ſit inter digniores præſente toto Clero illius Eccleſiæ, licet plerique velint cum Paſqualig. Henriquez, Barboſa, Campanil. & alijs iam citatis, etiam Sacras Ordinationes ad libitum Epiſcopi in qualibet Eccleſia ſine diſcrimine poſſe celabrari, ita tamen, vt ſemper interueniant Canonici, ſaltem miniſtrantes. Circa tempus conferendi Ordines Minores extra Tempora, in quibus habentur Ordinationes publicę ſtatis diebus feſtis de præcepto, ſed etiã omnibus diebus, adeſt doctrina nũc ferè communiter recepta, quod poſſint conferri, ne dum omnibus diebus feſtiuis in Eccleſia, hoc eſt, in quibus celebretur officium duplex de Sanctis, de qua re ſunt variæ Doctorum ſententiæ ſatis probabiles; quemadmodum etiam de Sacris Ordinibus, quos teſtatur Paſqualig. *in addit. ad Lauret. qu.* 18. *de Regular. Ordinat.* ſæpius ſe vidiſſe collatos Romæ à Viceſgerente in Sacello S. Andreæ de Valle extra Tempora quibuſdam feſtis diebus; Concilium namq; Trid. videtur præſcribere tantum pro publicis Ordinationibus.

LEX CXI.

Nullo Priuilegij prætextu duo Sacri Ordines eodem die ab Epiſcopis conferendi.

Apud veteres Canoniſtas, quidam inſurgebat dubitandi locus in hac materia, ex eo, quod olim in Eccleſia Subdiaconatus non reputabatur inter Ordines Sacros; affert enim Io. Cabaſſutius in ſua Teoria, & praxi Iuris Canonici edita Lugduni 1675. Concilium 4. Cartaginenſe, in quo apertè declaratur, neque Ordines Minores, neque Subdiaconatum conferri per manuũ impoſitionem, ex eo, quod non ſint de Sacris Ordinibus, neque Sacramenta, ex quo videtur ſequi, quod ſicut plures Minores Ordines eodem die conferri poſſunt, ita poſſint Subdiaconatus, & Diaconatus, cum Subdiaconatus in hac ſententia non ſit Ordo Sacer, quæ videtur etiam confirmari ex *Can. Nullus in Epiſcopum diſt.* 60. & ex Synodo Ancirana *can.* 13. & ex Synodo Antiochena *Can.* 10. & denique ex Innocent. III. *Cap. A multis*, vbi habetur Ordinẽ Subdiaconatus eſſe Sacrum, non ex Diuina, ſed ex Eccleſiaſtica tantum inſtitutione, & propterea ſequi ex Indulto, vel priuilegio poſſe ſimul cum Diaconatu ſuſcipi eodem die. Quibus tamen non obſtantibus communior doctrina in hac re ab Epiſcopis eſt amplectenda, ex qua habemus Subdiaconatum, licet non æquali excellentia, vt eſt Diaconatus, & Præsbyteratus, eſſe Ordinem Sacrum, & verè Sacramentum, cui etiam antiquiſſimo iure adnexus eſt cælibatus, vt patet ex Concilio Eliberino occidentali *Can.* 33. & ex Agathenſi *Can.* 28. ex Turonenſ. 2. *Can.* 20. & ex Epiphanio contra hæreſim Catharorũ 59. qui docet eſſe omnino illicitũ Subdiaconis Vxorem habere, vel ducere. Vnde cũ ſatis cõſtet Subdiaconatum eſſe verè ordinẽ Sacrum habentem adnexam obligationem Caſtitatis, ex qua, ſiue ſit votum, ſiue non, Anima dicitur Deo conſecrari, atque adeò non poſſe vno, eodemque die conferri ab Epiſcopo cum alio Ordine Sacro; quæ doctrina clariùs definitur in Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 12. *de reform.* vbi prohibetur Epiſcopis collatio duorum Ordinum Sacrorum eodem die, non obſtante conceſſione cuiuſcunque priuilegij, vel

Indulti

Indulti facta etiam Regularibus, impoſita conferentibus pœna ſuſpenſionis à collatione ordinum, & ſuſcipientibus ab exercitio, vt eſt etiam *in cap. per literas de temp. Ordin.* & alibi in Iure Canonico.

LEX CXII.

Promotus ad vnum Ordinem non promouendus ab Epiſcopis ad alium, niſi ſeruato vnius anni interſtitio, vel facta ex cauſa diſpenſatione.

Certum eſt in Ordinum collatione ab Epiſcopis ſeruanda eſſe interſtitia, nempe vnius anni mediationem inter vnum, & alterum Ordinem, niſi adſit aliqua cauſa, quæ inducat ad illorum diſpenſationem; id enim à Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 13. *&* 14. relinquitur arbitrio Epiſcopi, qui tamen nunquam poterit interſtitia diſpenſare, ſine cauſa, quæ debet eſſe vel neceſſitas, vel vtilitas Eccleſiæ, quæ cauſæ in cæteris Ordinibus intelligendæ ſunt disiunctiuè, in interſtitijs verò inter Subdiaconatum, & Diaconatum ſunt accipiendæ copulatiuè, idque notauit Paſqualig. *in addit. ad Lauret. ex Rota deciſ.* 167. *part.* 5. *recent.* Quænam ſit neceſſitas, & vtilitas ſufficiens iudicandum erit ad arbitrium Epiſcopi, & hoc eſt, quod intelligit Concilium *cap.* 14. *ſeſſ. allata*, quando relinquit arbitrio Epiſcopi aliquem promouere ad ordinem ſuperiorem non ſeruato interſtitio vnius anni, non quod Epiſcopus id poſſit facere pro libito ſine cauſa, ſed quod cauſa ſufficiẽs iudicanda ſit ad arbitrium Epiſcopi; & vbi de cauſis neceſſarijs ad diſpenſationem Concilium loquitur disiunctiuè, cauſæ ipſæ disiunctæ accipiendæ ſunt, vbi verò loquitur copulatiuè, coniunctæ ſunt accipiendæ, vt eſt inter ordines ſuperiores, & Presbyteratum, ita tamen vt iudicium ſufficientiæ cauſarum ſit ſemper pænes iudicium, & arbitrium Epiſcopi; arbitrium enim intelligendum eſt prout de iure in quacunque re, vt habemus ex Rota *deciſ.* 189. coram Ludouiſio; de iure autem habemus, quod omnis diſpenſatio debet fieri ex cauſa; vnde Epiſcopus ſi diſpenſaret ſuper interſtitijs ſine cauſa, diſpenſatio eſſet nulla, poteſt tamen Epiſcopus diſpenſare ex quacunque rationabili cauſa, quæ ipſi videatur ſufficiens.

LEX CXIII.

Ab Epiſcopis ordinandi etiam non Subditi, ſi ipſis præſententur ad beneficia à Patronis beneficiorum.

Non erit inutilis, aut ſuperuacanea hæc doctrina tradenda Prudẽtiæ Epiſcopali, licet videatur clarè ex ſuprapoſitis deducta; cum enim iam dictum ſit non ſubditum ex vi præſentationis quoquomodo Subditum fieri; videtur non eſſe quæſtioni locus de non ſubditis, nam quicumque ordinandi ſunt, debent intelligi iam ſubditi, & tamquam ſubditi ordinari. Nihilo tamen minus etiam ordinandi ab Epiſcopis ex ſola præſentatione, poſſũt vocari non ſubditi in comparatione ſubditorum, qui etiam ex alio capite, quàm ex præſentatione ad beneficium dicuntur ſubditi; & ſufficit, quod habeant titulum ſubiectionis, quando recipiunt ordines, non in tempore antecedenti. Habemus enim ex Iure Ciuil. *l.* 2. *§. proximum ff. de ſuis, & l. tutelas initio, & l. ſic vſufruct.* & alibi, vt notant communiter Doctores, quod quando pro actu requiritur qualitas aliqua fundamentalis, ſufficit, ſi adſit tempore, in quo actus perducitur ad effectum, & non requiritur, quod præcedat; quæ

regula vniuerſalis in Iure Ciuili applicanda eſt etiam in caſu noſtro; ex qua docet Alphonſus de Leone *de offic. Capellan. qu.4.* quod tonſurandus ab Epiſcopo, ad hoc, vt euadat ſubditus, ſufficit, quod ſit præſentatus ad beneficiū ab aliquo Patrono beneficij, quia ratione talis præſentationis, vt ſæpe dictum eſt, verè ſit ſubditus, cum adquirat ius ad inſtitutionem in beneficio, quo iure poſito ſtatim poteſt tonſurari, vel ordinari tamquam ſubditus.

LEX CXIV.

Etiam abſolutè non ſubditi ordinandi ab Epiſcopis, ſi habeant triennalem familiaritatem, & conferatur beneficium.

EX Decreto Concil. Trid. *ſeſſ.23. cap. 9 de refor.* videtur maximè torqueri Epiſcopalis Prudentia, ſi vti velit doctrinis ſupradictis, nimirum, quod poſſint ad ordines & tonſuram promoueri etiam non ſubditi ratione ſolius beneficij; cum enim Concilium propter collationem beneficij exigat in ordinandis non ſubditis triennium familiaritatis, & commorationis cum Epiſcopo, videtur exigere aliam temporaneam ſubiectionem præter allatam ſolius ratione beneficij, ſine qua nemo poſſit ordinari; ſi verò ſufficeret beneficium, fruſtrà à Concilio requireretur familiaritas triennalis. Hoc tamen non obſtante pro certo habendum eſt ex Concil. Trid. etiam non ſubditos habentes triennalem familiaritatem, ſi conferatur Beneficium, poſſe ordinari à quocumque Epiſcopo, & decretum Concilij videtur titulo beneficii, intuitu cuius poteſt ordo conferri, velle addere titulum domicilij per triennalem familiaritatem; ita vt poſſit Epiſcopus ordines conferre non ſubditis etiam titulo familiaritatis, nō tamen ſine beneficio; quemadmodum è contra poteſt conferre ordines titulo beneficij etiam non ſubdito, ſine familiaritate, & hæc diſtinctio maximè aduertenda eſt, ne videatur doctrina ſupradicta eſſe contraria Concilio Tridentino. Clarius autem dilucidatur hæc doctrina per declarationem S. Congr. Concil. apud Garziam *de beneficijs in addit. ad 2. partem cap.4. n.1.* & apud Barboſam *addictum cap.9. Concil.* & apud alios plures, quos refert Paſqualig. *Qu. Moral. Iurid.27. n.15.*

LEX CXV.

Quandoque ab Epiſcopis promouendi ad ordinem Sacerdotalem etiam Clerici omninò cæci ad ſolum effectum audiendi confeſſiones.

NOn patietur criminis, vel imprudentiæ notam Epiſcopalis Prudentia, cum ſuppoſita Summi Pontificis diſpenſatione ſupra irregularitatem ex cæcitate contractam, quam verè Summi Pontifices poſſunt diſpenſare, cum ſit purum impedimentum Canonicum à lege poſitiua conſtitutum, ſi aliquando cæci, licet impotentes ad celebrationem Miſſæ, ordinentur ad ſolum effectum audiendi confeſſiones; poteſt namque contingere caſus, vt inueniantur Clerici, licet cæcitate laborantes, tantæ tamen probitatis, ſapientiæ, & Prudentiæ, vt in maximam cadat animarum vtilitatem, ſi ad hoc tantum promoueantur ad Sacerdotium, vt audiant confeſſiones, licet nequeant Miſſam celebrare; ſunt enim duo actus Sacerdotales, Miſſam celebrare, & confeſſiones audire, vnde ſufficit, quod vnus poſſit exerceri, ad hoc vt poſſit quis ad Sacerdotium promoueri; habemus

bemus enim illam Doctrinam Ciuilem, & Canonicam apud plures Iuriſconſultos, & etiam apud Rotam *Deciſ. 587. nu.7. p.1. Recent. & Deciſ.733. nu.8. p.2. Recent* quod ſcilicet, quando aliquod introductum eſt ob plures fines, non deſinit habere locum, quando vnus ex ipſis ſubſiſtit, vt eſt in caſu noſtro, enimuerò ordinatio Sacerdotalis introducta eſt propter duos actus tamquam propter duos fines, qui ſunt Miſſam celebrare, & confeſſiones audire, iuxta duplicem poteſtatem, quam accipit Sacerdos, quarum altera dicitur poteſtas ordinis,altera poteſtas clauiũ; vnde ſubſiſtente vno actu, & vno fine, poteſt ſubſiſtere Sacerdotium. Addo quod ſicut Summus Pontifex poteſt diſpenſare cæcum,vt celebret Miſſam, quo pacto teſtatur Sotus *in 4. Diſt.13. Qu.1. art.2. ad 3.* ſe vidiſſe cæcum, qui ex diſpenſatione celebrabat,multò magis poſſunt Epiſcopi ordinare cæcos ad hoc tantum, vt audiant confeſſiones, ſupponitur enim ad exercendum hunc actum nullum eſſe impedimentum in cæcos;ex quo tamen non ſequitur poſſe Epiſcopos ad illum actum exercendum, cæcos ad Sacerdotium promouere abſque diſpenſatione Papæ,quia ſemper adeſt impedimentum Irregularitatis in radice pro ordinatione Sacerdotali, quod indiget diſpenſatione, vt patet ex Iure Canonico pluribus in locis, vbi etiam habemus, quod iam ordinatus Sacerdos, ſi incidat in cæcitatem, poſſit adhuc illas Sacerdotales functiones exercere, quæ non indigent viſu. Falluntur igitur illi, qui docent contra Suarez *De Cenſur.Diſput.51.ſect.1. num.12.* contra Sot. Henriquez, Gibalin.& alios cæcum ita eſſe irregularem, & inhabilem ad exercendos actus Sacerdotales, vt nec poſſit Pontifex illum diſpenſare; licet enim cæcus verè ſit irregularis ex defectu viſus, non eſt tamen omninò inhabilis ad celebrandum, quia poteſt memoriter integram Miſſam tenere; poteſt etiam tactu, & odoratu præſentiam materiæ conſecrandæ percipere, & quo ad reliqua, poteſt ab alio Sacerdote aſſiſtente adiuuari.

LEX CXVI.

Nunquam ad ſolas audiendas confeſſiones Clerici cæcitate laborantes ab Epiſcopis promouendi ad Sacerdotium abſque diſpenſatione Papæ.

EOrum doctrina ſemper malè conſultum eſt Epiſcopali Prudentiæ, qui audent docere, poſſe Epiſcopos ad ordinem Sacerdotalem ex propria ordinaria authoritate abſque alia Summi Pontificis diſpenſatione, Clericos omninò laborantes cæcitate promouere; dummodo id faciant ad eum dumtaxat effectum,vt ex aliqua vrgenti neceſſitate confeſſiones audiant, & proſint animarum ſaluti; interdicta tamen Miſſæ celebratione; licet enim cæci non dicantur inhabiles ad exercendum actum audiendi confeſſiones, qui eſt actus forſan æquè principalis in Sacerdote, ac Miſſam celebrare, quia tamen actus iſte ſupponit habilitatem celebrandi, quæ verè deficit, & ideò inducitur irregularitas à ſolo Papa diſpenſabilis, ſequitur clarè, quod ſuppoſita inhabilitate ad celebrandum per cæcitatem, quæ eſt actus, vt ita dicam, primarius, ſupponatur etiam inhabilitas ad exercendum alium actum, cum Clericus cæcus dicatur abſolutè inhabilis ad Sacerdotium, immò incapax Sacerdotij nomine irregularitatis contractæ per cæcitatem, quod Sacerdotium indiuiſibiliter conſtituitur per-

habi-

habilitatem, & potentiam ad exercendum vtrumque actum. Quod verò cæcus ſit abſolutè irregularis, & incapax ordinis Sacerdotalis, niſi diſpenſetur à Papa, demonſtrant Canoniſtæ omnes *ex cap.* 1. *Diſt.* 49. & *Canon.* 77. *Apoſt.* vbi inter canonica impedimenta recenſetur cæcitas in Clerico, quod impedimentum non poteſt tolli, niſi per Pontificiam diſpenſationem ex vi cuius, vt ſupradictum eſt, poteſt etiam cæcus, ne dum ordinati, ad audiendas confeſſiones, ſed etiam ad Miſſam celebrandam. Neque valet dicere Clericum cæcum nullum habere impedimentum pro exercitio actus Sacerdotalis, qui conſiſtit in ſola auditione confeſſionum,& ideo poſſe ab Epiſcopo abſque alia diſpenſatione ordinari ad hunc effectum; falſum enim eſt, quod ſupponitur, quia ſatis eſt, quod verè ſit impeditus cæcus ad exercendum abſolutè Sacerdotium, licet non ſit impeditus ad omnem actum Sacerdotij, & ex illo impedimento ſemper dicendus eſt abſolutè irregularis, & ſolum diſpenſandus à Papa. Diſtinctio verò, quæ fit de diuerſis actibus Sacerdotij, eſt potiùs metaphyſica, quàm moralis, quàm Canonica; & ideo in hoc loco nullo pacto admittenda.

LEX CXVII.

Ab Epiſcopis non ordinandi Clerici cogniti non idonei quo ad Scientiam, & mores.

EXamen Scientiæ, & morum probiſans faciẽdum ab Epiſcopis iuxta Canones,& Concilia, id potiſſimum eſt, vnde Clerici idoneitas ad Ordines innoteſcit, & hanc tenentur Epiſcopi exquirere in ordinandis, ne peccent, & pœnis ſubijciantur; terribile enim eſt exemplum S. Leonis Papæ, qui dũ precaretur à Deo veniam ſuorum peccatorum, habuit reſponſum, omnia peccata ei fuiſſe dimiſſa præter peccatum manuum impoſitionis, pro quo maior ipſi agenda erat pœnitentia; & habetur etiam in Canone, *in cap. Si qui Epiſcopi*; quem volunt DD. conditum eſſe ab eodem D. Leone Papa in Epiſt. 85. quam ſcripſit ad Epiſcopos Aphricæ. Nimis tamen rigida eſt in hac materia illa Doctrina, quã tradit Lauret. *quæſt.* 37. *de Regul. Ordinat.* nimirum, quod Epiſcopus ordinans nõ idoneos ſine examine, debeat deponi; hæc enim pœna non inuenitur impoſita, ſed ad ſummum, vt aliqui volunt, cum Gloſſ. *V. Ordinat.* imponitur priuatio Iuris ordinandi, quæ priuatio, vt notat Paſqualig. ibi, extenditur tantũ ad illum Ordinem,quem Epiſcopi conferunt indignis; non enim pœna debet magis extendi, quàm extendatur delictum, vt habetur in Iure Ciuili, & Canonico. Ratio verò cur Epiſcopi debeant cautiſſimè procedere in Ordinationibus, deſumitur ex malis, quæ oriuntur Eccleſiæ, ſi ordinentur indigni; ex hoc enim hæreſes ſæpè ortas eſſe tradit Alphonſ. *de Caſt. & Iuſt. & hæret. punit. lib.* 5. *cap.* 5. & præſertim hinc initium habuiſſe Huſſitarum hæreſim refert Æneas SylUius *lib. de origine Bohemor. cap.* 5. ac proptereà S. Ludouicus Epiſcopus Toloſanus non niſi probatos; & ab ipſomet examinatos ad Ordines admittebat, quod agebat etiã S. Carolus noſter Mediolanenſis Archiepiſcopus. Vnde id præſertim Epiſcopis cauendum eſt, ne initient ad Ordines, quos nouerint id agere ad declinandum forum ſæculare, nam Trid. *Seſſ.* 23. *cap.* 4. *de refor.* ad hoc potiſſimum prohibet initiari prima Tonſura, qui Clericatum aſſumunt in fraudem Iudicij Sæcularis, non vt Deo inſeruiant.

LEX

LEX CXVIII.

Ab Epiſcopis non ordinandi non habentes titulum pro Ordinatione.

IVre Canonico ſatis cautum eſt, ne quis admittatur ad Ordines ſine titulo, vnde non ſolum peccarent Epiſcopi ſic ordinantes, ſed etiam tenerentur de proprio illos alere, quod tamen intelligendum eſt, quando Epiſcopi ordinant ſubditos ſuos, non quando alienos cum Dimiſſorijs, quia tunc ſpectat ad concedentes Dimiſſorias inquirere de Titulo, & reliquas obligationes implere. Neque peccarent Epiſcopi, aut obligarentur ad alendos ordinatos ſine titulo, ſi circà hoc examen alias perſonas graues deputarent, quia tunc ipſi Epiſcopi cenſentur bona fide procedere alienæ atteſtationi innixi; & nulla eſſet ipſorum obligatio, nullumque peccatum. Cum verò non ſufficiat Titulus pro ordinatione, ſed requiratur etiam dignitas ordinandi cognita ab Epiſcopo, non poterunt ordinari illi, qui cognoſcuntur indigni abſolutè, etiam datâ quacumque penuria Clericorum, cum *ex cap. Tales diſt.* 23. ſemper ſanctiùs ſit ordinare paucos bonos, quàm multos malos, quemadmodum etiam *ex cap. Nullus de Temp. Ordinat. in* 6. Epiſcopis ordinantibus omninò illiteratos imponitur ſuſpenſio à collatione Ordinum per annum. Verum tamen eſt, quod ordinatio ijſdem regulis menſuranda eſt, quibus menſurari ſolet electio, in qua ſicut nunquam licet eligere indignum abſolutè, cum hoc ſit intrinſecè malū ex D. Th. *Quodlib.* 6. *art.* 9. ita nec vnquam licebit ad Ordines aſſumere indignos abſolutè. Quod verò ſtante penuria Clericorum poſſint ordinari minus digni, ſi digniores nō adeſſent, docent multi Doctores cum Paſqualig. *queſt.* 39. *de Regul. ordinat. in addit. ad Lanret.*; nam obligatio ordinandi digniores ſtat attenta tantum poſſibilitate.

LEX CXIX.

In ordinatione Sacerdotum vnienda verba Conſecrationis prolata ab Epiſcopo ordinante cum iiſdem verbis conſecrationis prolatis ab ordinatis.

ESſe id præceptum Eccleſiæ ex eiuſdem inſtitutione, quotieſcumque Sacerdotalis ordo confertur, nō debet eſſe nouum Epiſcopali Prudentiæ, quin id quoque compertum eſſe debet, Epiſcopum ordinantem eſſe principale agens in conſecratione, cuius motum ſequi tenentur alij Sacerdotes conſecrantes, vt concauſæ ſubordinatæ, & coniunctæ, quę concurrūt ad eumdem effectum conſecrationis dependenter ab actione conſecratiua Epiſcopi; cum igitur ratione iſtius ſubordinationis, & dependentiæ, quam habent alij conſecrantes ab Epiſcopo, velut primo cōſecrante, ex illis, & Epiſcopo fiat quodammodo vna cauſa adæquata moralis conſecratiua, hinc fit, quod ſingulis concurrentibus per modum vnius ad eumdem effectum ſupra eamdem materiam conſecrandam, debeat neceſſariò fieri vnio verborum conſecrationis Epiſcopi cum verbis aliorum Sacerdotum. quæ tamen vnio non debet eſſe phyſica, ſed moralis; ita vt etiamſi Epiſcopus, vel alter è Sacerdotibus compleant verba conſecrationis paulò ante, vel paulò poſt, adhuc intelliguntur æquè concurrere ad eumdem effectum; vnde non eſt admittenda in hac re illorum doctrina, qui volunt, non eſſe vlterius proferenda verba conſe-

conſecrationis à Sacerdotibus, qui ordinantur, ſuppoſito, quod iam Epiſcopus illa proferre compleuerit, eò quod habeatur iam totus effectus conſecrationis per vnam conſecrationem; ſemper enim illi omnes conſecrantes, tenentur implere, quod intendit, & præcipit Eccleſia; intendit verò, & præcipit, quod omnes conſecrent per integram prolationem verborum; quam nemo ex libito ſuſpendere poteſt ſine peccato, cum teneatur agere iuxta præceptum, & intentionem Eccleſiæ; quidquid ſit, an intelligatur materia iam conſecrata per vnicam tantum anticipatam prolationem verborum, ſiue ſit Epiſcopus, qui illam anticipet, ſiue alter Sacerdos; non enim opus eſt hanc rem hic Theologicè examinare; ſerior namque Doctrina in hac quæſtione, ſi eſſet agitanda, illa eſſet, quæ tradit haberi materiam conſecratam ſtatim completa conſecratione Epiſcopi, qui eſt conſecrans principalis, à quo determinantur morali modo ad producendum effectum verba aliorum conſecrantium, quæ verba moraliter ſemper intelliguntur vnita, verbis prolatis à principali cauſa, licet non ſint phyſicè omnia præſentia, & vnita. Fuit hæc difficultas publicè agitata in Collegio Romano Societatis Ieſu, & ex tunc plerique Doctores de ea diſputauerunt.

LEX CXX.

Monendi ab Epiſcopo, vel ab eius miniſtris Sacerdotes, qui ordinantur, vt habeant intentionem conſecrandi.

ERror quorumdam inualuit aſſerentium ſatis eſſe in ordinatione Sacerdotum, ſi Sacerdotes ipſi, qui ordinantur, proferant cum Epiſcopo verba conſecrationis, ſolum recitatiuè, non ſignificatiuè, vel ſolummodo habeant intentionem conſecrandi cum Epiſcopo conditionatam, non abſolutam; ita quod ſi Epiſcopus prior ipſis verba conſecrationis proferat, ipſi ſtatim ſuſpendant intentionem conſecrandi, cũ iam per conſecrationem Epiſcopi habeatur Corpus, & Sanguis Chriſti. Hoc ſuppoſito erit munus Prudentiæ Epiſcopalis Sacerdotes ordinãdos monitos reddere, vt ſemper habeant intentionem conſecrandi cum Epiſcopo abſolutam, & non conditionatam, ſemper integra verba conſecrationis proferant, ſine mutilatione, & ſine intentionis ſuſpenſione; eſt enim complenda ab ipſis integrè actio conſecratiua, quam agunt in Perſona Chriſti, quæ actio compleri non poteſt, niſi poſita intentione, & integra verborum prolatione; debent enim Sacerdotes proferre illa verba ſignificatiuè, vt docent Theologi omnes, non purè materialiter, & recitatiuè, quod indicat eſſe ſemper proferenda cum intentione ſignificationis, quam habent ex inſtitutione Chriſti; neque ſequeretur verba conſecrationis poſſe plerumque ſuo effectu carere, aut fruſtrari; quia iam dictum eſt, ſemper ſortiri ſuum effectum, vt vnita moraliter verbis prolatis ab Epiſcopo conſecrante. Quemadmodum igitur Eccleſia monet ordinandos Sacerdotes, vt current verba conſecrationis ſimul cum ipſo proferant ſic pariter ijdem Sacerdotes ordinandi ab Epiſcopo monendi ſunt, vt veram, & abſolutam habeant conſecrandi intentionem, ac ſi ſoli eſſent, ne peccent contra inſtitutionem Chriſti, & intentionem Eccleſiæ. De hac re videri poteſt Suarez 3. *p. tom.*4. *diſp.* 61. *ſect.* 3. Victoria *de Sacram.* Diana *p.* 5. *tract.* 14. *reſol.* 32. & Paſqualig. *Deciſ.* 422. *&* 423.

LEX CXXI.

Malè ad Ordines promoti non ſemper ab Epiſcopis cenſendi incapaces beneficij.

CՕntingit, & non rarò Epiſcopis, quòd habeant Clericos malè ordinatos, vel quia ſint ordinati abſque Dimiſſorijs requiſitis, vel quia ſint ante legitimam ætatem ad Ordines promoti, vel ex alijs cauſis, & ideò Epiſcopalis Prudentia ſolet in ancipiti verſari, neſciens quid agat in materia beneficiorum, an ſcilicet cenſendi ſint malè ordinati beneficiorum incapaces, nec ne. Supponunt autem communiter DD. cum Alphonſ. de Leone *quæſt.4.* eos omnes, qui malè ordinantur eſſe incapaces beneficiorum, quia ſicut ratione ſuſpenſionis remanet impedita exequutio Ordinis, ſic dicuntur impediti reliqui effectus, qui Ordini ſunt adnexi de iure poſitiuo, inter quos eſt beneficij capacitas. Doctrina tamen ferè apud oēs recepta eſt, quod ſi promouendi ad Ordines bona fide malè ordinētur, ſicut dicuntur excuſabiles, & non ſuſpenſi, ita dicendi ſunt etiam beneficiorum capaces, vbi enim non habet locum ſuſpenſio, neque impeditur exequutio Ordinis, neque reſultat incapacitas ad beneficia; niſi aliunde adſit aliquod aliud impedimentum, & hæc doctrina colligitur ex Rota in Aquenſi Irregularitatis 14. Maij 1607. coram Cauallero, quam etiam ſequuntur Graf., Rodriguez, Sanchez, Suarez, Vgolin., Miranda, Pariſ. Mandos, & alij quos citat, & ſequitur Paſqualig. *quæſt.30. Moral. Iurid.*

LEX CXXII.

Admittendi ab Epiſcopis ad beneficia, tamquam capaces, omnes ſuſpenſi ab Ordine, ſi proprius Epiſcopus, cuius pro ordinatione licentia defecit, ratam habeat ipſam ordinationem.

EO dictamine in hac re dirigenda eſt Epiſcopalis Prudentia, vt ſi illi, qui vt malè ordinati ſuſpenduntur ab Ordine, hanc ſolummodo ſuſpenſionem incurrant propter defectum licentiæ non obtentæ à proprio Epiſcopo, ſi poſtmodo rata habeatur ab eodem proprio Epiſcopo eorum ordinatio, illicò intelligantur beneficiorum capaces ex hac parte, & conſequenter ſint ad ipſa beneficia ſine ſcrupulo admittendi. Ratio doctrinæ eſt, quia per hoc, quod rata habeatur à proprio Epiſcopo illorum ordinatio, ſtatim intelligitur ablata ſuſpenſio, & ſic redeunt in priſtinum omnes illi effectus, quos impediebat ſuſpenſio; inter quos eſt capacitas ad obtinenda beneficia. Sic habemus apud Quarantam *in Sum. Bullar. V. Ordo V. amplia hanc*, & apud plures alios DD. ſi verò antequam rata habeatur malè ordinatorum ordinatio, obtineant aliquod beneficium, tunc omnis collatio, ſeu inſtitutio erit nulla, & neceſſaria erit noua prouiſio, vt poſſint retinere illa beneficia ſic obtenta. Sic habemus *ex cap. quoties de pactis, & ex cap. Ratihabitionem de Regul. Iur. in 6.* & Rota coram Merlino *Deciſ.* 615. *n.9.* Quin immò ſi beneficia obtenta eſſent Iuriſpatronatus, ne dum indigerent noua prouiſione, collatione, inſtitutione, &c. cum nullo pacto poſſint conualidari, neque per retrotractionem, quæ nihil operatur etiam

R vir-

virtute ratihabitionis, vt habemus ex Rota *Deciſ.*1242. *nu.*2. coram Seraphino, & coram Ludouiſio *Deciſ.*473. *n.*9. ſed etiam indigerent noua præſentatione; quia prior præſentatio cenſenda eſſet omninò nulla, quod docet Paſqualig. *l. c.*

LEX CXXIII.

Admittendæ ab Epiſcopis Dimiſſoriæ pro Ordinandis, etiam defuncto Epiſcopo, vel alio concedente.

GRatias omnes non expirare per mortem concedentis docent cõmuniter Doctores *ex cap. ſi ſuper gratia de offic. Deleg. in* 6. atqui cum litterę dimiſſoriales gaudeant hoc nomine, debent etiam gaudere hoc priuilegio; vnde ab Epiſcopis, quibus præſentantur in ordine ad conſequendos Ordines, erunt ſemper admittendæ, & ob eamdem rationem erunt admittendæ Dimiſſoriæ conceſſæ à Vicario Capitulari, Sede vacante, quod tradunt Gonzalez *ad Regul.*8. *Cancell. Gloſſ.* 12. *nu.*18. Guttierez. *quæſt.*75. *nu.*5. Quarant. *in Sum. Bullar. V. Ordo*. Molina *tract.* 5. *de Iuſt. & Iur. diſp.* 11. Monet. *de commutat. vltim. volunt. cap.* 10. Ledeſma *p.* 1. *Sum. cap.*8., & alij plures; eſt namque eadem ratio quo ad omnes ipſas gratias concedentes. Poterunt tamen Epiſcopi ſucceſſores reuocare conceſſas Dimiſſorias à ſuis Prædeceſſoribus, aut à Vicarijs Capitularibus, quatenus non ſiat effectum conſequutæ; & ratio eſt, quia Epiſcopi ſucceſſores poſſunt recognoſcere omnes actus circa ſuos ſubditos, eoſque adprobare, vel reprobare, prout expedire iudicauerint; maximè quia temporis proceſſu poſſunt illæ cauſæ ceſſare, ob quas conceſſæ ſunt, & proinde etiam ex hoc capite reuocare. Addo litteras Dimiſſoriales eſſe inſtitutas ad teſtificandum de vita, & moribus ordinandorum; hoc enim teſtimonium debent continere Dimiſſorię, quæcumque ſint ex Trid. *Seſſ.*23. *cap.* 5. *de refor.* cum igitur poſt Dimiſſoriarum conceſſionem temporis progreſſu, maximè ſi diuturnus ſit, poſſint eſſe mutati mores iam probati, poterunt etiam ex hac cauſa reuocari litteræ dimiſſoriales iam conceſſæ; non enim debent Epiſcopi permittere, quod ordinentur indigni: vnde prudentiſſimè agunt Epiſcopi illi, qui ſemper inquirunt teſtimonia de vitæ probitate ſuorum Subditorum, etiam alibi commorantium, antequam litteras Dimiſſoriales concedant ad Ordines recipiendos. Epiſcopi verò ad quos cum ordinandis diriguntur Dimiſſoriæ, debent eos examinare tantum de litteratura, quemadmodum proprij Epiſcopi debent & ipſi eoſdem examinare ex Trid. *Seſſ.*23. *cap.* 3. *de Refor.* vnde duplex examen ordinandorum in hoc caſu erit faciendũ ex eodem Trid. *Seſſ.* 7. *cap.* 11. *de Refor.* quod maximè Epiſcopis aduertendum eſt, ne in re tanti ponderis oſcitanter agant.

LEX CXXIV.

Nemo ab Epiſcopis alienis admittendus ad Ordines ſine Dimiſſorijs.

PLeriſque viſum eſt litteras dimiſſoriales non ita eſſe neceſſarias, vt ſemper illis indigeant alieni Epiſcopi ad Ordines conferendos; cum enim in eum finem ſint inſtitutę Dimiſſorię, vt Epiſcopi cognoſcant idoneitatem Ordinandorum, & habeant conſenſum proprij Epiſcopi, & Ordinarij; ſi hæc aliunde conſtẽt Epiſcopo non proprio, licet

licet non adſint litteræ dimiſſoriales, non erit abſurdum eiuſmodi præſentatos ad ordines ordinari, cum finis legis præſcriptæ in Trid. *ſeſſ.23. cap.8. de reform.* ille ſit, quod non admittantur ad ordines, niſi idonei, & niſi cum conſenſu ſuorum Ordinariorum; ad hunc enim tantum effectum requiruntur Dimiſſoriæ à Concilio: Vnde ſi Epiſcopi Ordinantes habeant ſine Dimiſſorijs notitiam idoneitatis, & conſenſus Ordinarij ipſius ordinati, videntur ſeruare formam in Concilio præſcriptam per æquipollens; cum certum ſit formam inductam ad certum effectum poſſe per æquipollens ſeruari, ex quo ſequatur idem effectus, quam doctrinam tradunt Paſqualig. *in addit.ad Lanret.qu.9. de Regul. Ordin.* & Mantic. *lib.2. tit.4.n.45.* ex Rota in Portugallien. Decimarum 11. Februar. 1591. coram Orano, & in Aruienſi Parochiali 7. Aprilis 1598. coram Lancellotto. Quidquid ſit de hac doctrina, quæ ſanè probabilis eſt, tutius erit ſemper Epiſcopis, quod ipſis innoteſcat idoneitas Ordinandorum per Dimiſſorias, & etiam conſenſus Ordinariorum, qui ſemper magis expreſsè conſtabunt; quam per alia media; forma enim præſcripta in Trid quoad hoc eſt illa, quæ dat eſſe rei, eiuſque omiſſio ſemper dicitur actum vitiare, vt habemus ex Bald. *in cap. Conſtitutis* 46. *de Appellat. nu.*46. & etiam in *Regulis Cancellariæ Regul.* 24. apud Mandoſ. *de malè promotis num.*11. maximè quia formæ taliter præſcriptæ à Concilio Trid. ſubintrat impoſita pœna, ex quo ſequitur, talem formam ſemper eſſe ſeruandam, cum id certò conſtet, & doctrina contraria ſit tantum ſub opinione.

LEX CXXV.

Obtinentes Dimiſſorias à proprijs Epiſcopis non ſemper ordinandi ab Epiſcopis alienis.

Exponitur caſus à Prudentia Epiſcopali reuocandus ad trutinam, qui facilè, & non rarò poteſt obtingere, nimirum an Clericus accedens cum litteris Dimiſſorialibus ad alienum Epiſcopum, ſit ſemper ab ipſo ordinandus, etiamſi ſit impedimento irregularitatis detentus; ſupponitur enim à pleriſque Doctorum, & præſertim à Syluestro *V. Irregularitas* ab Angel. *Ibidem* ab Armilla *n.8.* ab Henriq. *in lib.14.* & ab Auila *de Cenſ.* quod Epiſcopus proprius eo ipſo, quod dimiſſorias concedit pro ſuſcipiendis ordinibus ab alieno Epiſcopo, concedat etiam eidem Epiſcopo, quod diſpẽſet ſuper irregularitate, ſupra quam proprius Epiſcopus poſſet diſpenſare, ea præſertim ratione, quod conceſſo vno, intelligantur omnia alia conceſſa, ſine quibus id expediri non poteſt, vt patet *ex l.2. ff. de Iuriſd. & ex cap. præterea de offic. Deleg.* cum certum ſit promotionem ad ordines fieri non poſſe, niſi remoto irregularitatis impedimento, maximè quia diſpenſatio ad ſuſcipiendos ordines ab alieno Epiſcopo, videtur eſſe quid principale, ad quod ſequitur acceſſorium, ſcilicet diſpenſatio ad tollẽdam irregularitatem. Verũ hæc doctrina ab Epiſcopis neque eſt probanda, neque admittenda, ex eo quod quando plura obſtant alicui actui ſublato vno non tollitur alterum, *ex l. ſi domus ff. de ſeruit. & ex cap. ex tuorum, & ex cap. Paſtoralis de priuileg.* & ex Rota *Deciſ.*109. coram Puteo, & coram Ludouiſ. *Deciſ.*87. cum ergo in præſenti caſu obſtet ordinationi duplex impedimen-

dimentum, nempe, non eſſe ſubditum, & eſſe irregularem, ex eo, quod proprius Epiſcopus tollat primum, concedendo, quod poſſit ordinari ab alieno Epiſcopo, non ſit, quod concedat ſecundum, nempe, vt diſpenſet ſuper irregularitate; Vnde Epiſcopi alieni etiam acceptis Dimiſſorijs ad promotionem ordinum, non ſemper debent ordinare ſubditos non ſuos, maximè ſi nouerint eſſe irregulares, quos etiam datis Dimiſſorijs non poſſunt diſpenſare ex vi illarum, vt ſatis conſtat.

LEX CXXVI.

Vbi plura obſtans in conferendis ordinibus impedimenta, ſingula ab Epiſcopis tollenda.

PErſpicuum ſatis eſſe poteſt Epiſcopali Prudentiæ ex Doctrina ſupra tradita, quod ipſis agendum ſit in caſu, quo quis pluribus detentus impedimẽtis accederet ad ordines ſuſcipiendos, ac propterea hic pauca in hac re erunt à nobis ſubijcienda. Eadem igitur debet eſſe ratio de irregularitate tollenda ante ordinum ſuſceptionem, ac de alijs impedimentis, cum certum ſit ex doctrina Surd. *Conſil.*244. *num.*4. & Gonzalez *ad regul.*8. *Cancell. Gloſſ.*13. *nu.*97. & ex Rota in Zerulen. Penſionis 2. Iunij 1597. coram Pennia, tot requiri diſpenſationes, quot ſunt impedimenta; vnde etiam ex Trid. *ſeſſ.*23. *cap.*9. *de refor.* habemus poſſe, quoſcunque Epiſcopos ordinare ſuos familiares triennales, ſuppoſito tantum, quod prius per diſpenſationem tollatur defectus natalium quoad ordines minores, ex quo clarè patet ſingula impedimenta eſſe tollenda in promouẽdis ad ordines; ſic annuentibus etiam Nauar. *Conſil.*26. *&* 27. *de temp. Ordinat* Ledeſm. *p.*1. *Sum. de Sacram. Ord.* Rodriguez *tom.*2. *Sum. cap.* 14. Sanchez *l.*8. *de matrim. diſp.*1 *nu.*25. & alijs, conceſſio enim, quæ ſemper ſupponitur ad vnum tollendum impedimentum, non intelligitur extenſa ad aliud, niſi in ipſa cõceſſione expreſſum ſit, vt habemus *ex l. ſtatu liberum.* §. *Stichum ff. de leg. & ex l.* 1. §. *ſi mulier ff. de liber. agnoſc.* cum ergo dicitur à nonnullis, quod conceſſa diſpenſatione ad vnum impedimentum, conceduntur omnes, ſine quibus vltimus actus obtineri non poteſt, intelligitur de ijs, quæ ex natura rei conceſſa, trahuntur tamquam neceſſaria, & connexa, qualia ſunt media pro aſſequendo fine; non verò de ijs, quæ ſunt omninò extra exigentiam rei conceſſæ, quia hæc, quamuis impediant aſſequutionem rei conceſſæ, id euenit per accidens, & non per ſe, ratione connexionis, quam habent, tamquam media cum ſuo fine.

LEX CXXVII.

Vtentes falſis Dimiſſorijs pro ordinibus ſuſcipiendis puniendi ab Epiſcopis.

EX Conſt. Vrbani VIII. quæ incipit *Secretis Æterna Prouidentia, &c.* habentur pœnæ, quas luere debent, qui vtentes falſis Dimiſſorijs promouentur ad ordines, ſiue minores, ſiue ſacros, & ad Epiſcopos ſpectat irrogare eaſdem pœnas, cum ad eorum notitiam tale delictũ peruenerit, quod & authoritate ordinaria agere poterunt, vt Iudices ordinarij, & etiam tamquã Sedis Apoſtolicæ Delegati. Difficultas eſt, an ſint puniendi ex Conſtit. allata, etiam quando illis vtuntur bona fide, putantes eſſe veras, nam aliqui DD. volunt excuſari tantũ per bonam fidem, quando illas recipiunt ab Officialibus, & Miniſtris Epiſcopi, cũ tunc poſſint ſupponere eſſe factas de mandato ipſius Epiſ-

copi,

copi, licet Miniſtri illas expediant falsò, & abſque mandato; ſi verò vtantur dimiſſorijs falſis aliter expeditis, & ab alijs, ad quos non ſpectat, cum tunc teneantur ſcire, à quibus ſint expediendæ dimiſſoriæ, dicuntur non excuſari ex ignorantia, & ita cum multis Doctoribus videtur ſentire Paſqualigus *in addit. ad Lauret. qu. 1. de malè ordinantibus, & malè promotis*. In qua re tamen abſolutè dicendum, puto omnes Clericali ordine inſignitos, & quomodocumque ad ordines malè promotos ab alieno Epiſcopo cum falſis Dimiſſorijs, quas falſas eſſe verè ignorabant, excuſari ab omni culpa, & conſequenter à pœnis in Conſtit. Vrbani enunciatis, cum ex Regulis Iuris falſitas non puniatur abſque ſcientia, quæ eſt qualitas de ſubſtantia delicti, vt demonſtrant Iuriſtæ omnes. Puniendi igitur ſunt malè promoti ab Epiſcopis, quando verè non ignorant, ſed ſciunt Dimiſſorias eſſe falſas, & illis vtuntur. Et ad illum Epiſcopum eos ſpectat punire, cuius læditur Iuriſdictio, nam offendens Iuriſdictionem alicuius, per illam offenſam fit ſubditus illius, & ſic ab illo puniri poteſt; hæc eſt enim communis doctrina in Iure, quæ tamen limitatur, vt non habeat locum quoad laicum reſpectu Eccleſiaſtici, vt notat Paſqualigus ſupracit. vbi plures refert Doctores hanc limitationem amplectentes. An verò ſcribentes Dimiſſorias falſas, ſed illis non vtentes, incurrant pęnas Pontificię Conſtit. cum diſtinctione decidendum eſt; ſi enim, qui perficiunt eiuſmodi Dimiſſorias, non apponant ſigillum, neque illas reducant in formã authenticam, vt poſſint fidem facere, & haberi verè pro litteris Dimiſſorialibus, tunc ſanè non ſubijciuntur pęnis, cum non inducant crimen falſi, cui ſtatuitur pęna, ſecus verò ſi reducãtur cũ falſo ſigillo in formam authenticam, & falſi crimen inducant. Neque obſtare poteſt, quod per non vſum nemini præiudicium afferant actu; ſufficit enim, quod poſſint afferre, vt habetur in Iure apud Felin. *in cap. ex tenore nu 20. de reſcript.* addo tales Dimiſſorias falſas, ſemper præiudicare authoritati, & Iuriſdictioni Ordinarij.

LEX CXXVIII.

Ab Epiſcopis proprijs non ſemper ratificanda ordinatio facta ſuorum Subditorum ab Epiſcopis alienis ſine Dimiſſorijs.

Clericum à non ſuo Epiſcopo ordinatum eſſe male promotum, ſed habere characterem Clericatus ſuſpenſum quo ad exercitium, & gaudere priuilegio fori docent communiter Doctores *ex cap. de temp. ordinat. in 6. &* ex Trid. *ſeſſ. 23. cap. 8.* neque incurrere pęnas appoſitas ab Vrbano VIII. contra malè promotos per Dimiſſorias falſas, certum eſt, cum ibi Sum. Pontifex imponat pęnas tantum malè promotis cum falſis Dimiſſorijs, quæ vltima particula ſi deficiat, deficit lex pœnalis, & ipſa pœna, quæ extenditur dumtaxat ad falſis vtentes Dimiſſorijs. Cæterum quamuis ordinati ab alieno Epiſcopo ſine Dimiſſorijs remaneant ordinati, & Clericali charactere inſigniti, & vt Clerici gaudeant priuilegio fori, non per hoc eorum ordinatio facilè ab Epiſcopo proprio eſt habenda pro rata, vt ſit in exemplum malè promotus alijs eodem crimine irretitis, & etiam ipſis Epiſcopis alienis malè ordinantibus. Quoties verò erit habenda ratificatio, id fieri opus erit, antequam conferatur beneficium, ſi beneficium malè promoto ſit conferendum; alioquin collatio erit nulla, vt tradunt DD.

apud

apud Lauret. *qu.3.* Neque ratificatio erit facienda, quando fiat in præiudicium tertij ex communi Doctorum ſenſu, cum nemo priuari poſſit Iure ſuo, vnde ſi malè ordinatus eſſet ſeruus, vel Religioſus conuerſus, ex eo quod ſint ſub Iure, & dominio alterius, quod læditur per talem ordinationem, talis ordinatio non poterit ab Epiſcopo ratificari; ſi verò malè promotus non ſit ſub Iure, vel ſub dominio alterius, poterit eius ordinatio ab Epiſcopo ſemper rata haberi, licet ex hac ratificatione per accidens ſequatur aliquod incommodum alteri benè ordinato, qui concurreret ſimul cum malè ordinato ad aliquod beneficium, nam Epiſcopus ſemper poteſt vti Iure ſuo, licet per accidens, & ſine intentione, contingat alteri damnum; nulla enim fit iniuria, cum quis vtitur Iure ſuo, vt habemus *ex cap. Eccleſia de elect.* Epiſcopus namque ratificans ordinationes in malè promotis, tantum tollit ſuſpenſionem Ordinum in malè promotis, quam ex Trid. *ſeſſ. 23. cap. 8. de refor.* ſemper tollere poteſt, & ſic reddere beneficij capacem, qui per ſuſpenſionem incapax erat. Non poteſt tamen Epiſcopus ſub ſpe ratihabitionis faciẽdæ ab Epiſcopo loci ordinare Subditum alienum, nam iura, quæ prohibent ordinari alienum ſubditum abſque Dimiſſorijs, ideò prohibent, vt per litteras teſtimoniales conſtet de conſenſu proprij Ordinarij, & etiam notum fiat ordinanti, quod ordinandus habeat qualitates requiſitas à Sacris Canonibus, quæ per ratihabitionem ſuppleri non poſſunt, quæ licet faciat præſumere conſenſum, non tamen facit de ipſo conſtare, quod abſolutè neceſſarium eſt, & ſolum haberi poteſt per litteras Dimiſſoriales. De hac re videri poſſunt Quaranta *in Sum. Bullar. V. Ordo* Rebuff. *in praxi titul. de Dimiſſor. nu.* 11. Pax Iordan. *tom.* 1. *variar. Lucubrat. lib.* 3. *titul.* 6. & Paſqualig. *in addit. ad Lauret. qu.* 3. *num.* 1146. An verò Epiſcopus ordinans alienum Subditum ſine Dimiſſorijs ſub ſpe ratihabitionis incurrat ſuſpenſionem, non eſt ita certum apud DD. Ex Trid. tamen cum apponatur pœna ſuſpenſionis violatoribus legis ſecundum formam præſcriptam, & lex ſit, quod fiat ordinatio in virtute litterarum dimiſſorialium, videtur conſequi, quod frangentes legem etiam pœnam incurrant.

LEX CXXIX.

Non diſpenſanda ab Epiſcopis Interſtitia ſine neceſſitate, vel vtilitate Eccleſiæ.

Omnem diſpenſationem faciendã eſſe ex aliqua rationabili cauſa pro certò habetur apud omnes Doctores, eoſque diſpenſationes, quæ fiunt in rebus Eccleſiaſticis, eſſe faciendas ex neceſſitate potiſſimum, & vtilitate Eccleſiæ, nemini dubium eſt, idque ſæpè habemus ex Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 11. *&* 14. In diſpenſandis verò Interſtitijs inter Minores Ordines, & Subdiaconatum, docent Sorbus *in compend. Mendirant. V. Ordines*, & Zabarella *in c. Quæris de ætat. & qualitat.* ſufficere neceſſitatem, vel vtilitatem Eccleſiæ diſiunctiuè; inter Subdiaconatum, & Diaconatum, volunt ſufficere leuiorem cauſam; idque arbitrio Epiſcopi eſſe relinquendũ; inter Diaconatum, & Præsbyteratum, docent eſſe neceſſariam vtramque cauſam copulatiuè, ſcilicet neceſſitatem ſimul, & vtilitatem Eccleſiæ. Verum tamen eſt prudenti arbitrio Epiſcoporum eſſe ſubijciendas diſpenſationum cauſas vniuerſaliter, ne Epiſcopi ipſi torqueantur ſcrupulis, & ſatis eſt pro neceſſitate, quod conſiderent functio-

nes

nes, quæ in Eccleſia exercendæ ſunt, an indigeant maiori miniſtrorum numero, nec ne, vel an miniſter exercens non ſit idoneus, quod docet Syluest. *in Sum. V. Ordo n.* 10. Pro vtilitate verò ſufficit, quod Eccleſia ex tali diſpenſatione maius aliquod commodũ recipiat, ſemper autem poteſt eſſe neceſſitas, & vtilitas, quia licet ſint miniſtri neceſſarij ad exercendas functiones, cum tamen iſti quandoque poſſint impediri, vel infirmari, optimè conſultum erit, ſi ad ſupplendum ab Epiſcopis habilitentur alij, quæ doctrina etiam traditur à D. Antonino 3. *part. tit.* 14. & ab alijs Doctoribus. An verò Epiſcopi ordinantes, vel dantes dimiſſorias, non facta alia mentione diſpenſationis ſuper Interſtitijs cenſeantur diſpenſare, reſpondent DD. communiter affirmatiuè, dummodo Epiſcopi ſciant ordinandos indigere diſpenſatione, ſecus ſi penitùs ignorent; ſi enim ſciant, cenſentur diſpenſare, ſi ignorant nequaquã iuxta *Gloſſ. in cap. Statutum*, & alios Doctores, quæ tamen doctrina non habet locum in diſpenſationibus Papalibus *ab Regul.* 46. *Cancell.* per quam, decernitur, quod nunquam cenſeatur diſpenſatum à Papa in re aliqua, niſi ſpecialiter concedatur diſpenſatio idque tradit Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 15. *n.* 29.

LEX CXXX.

Pro diſpenſandis Interſtitijs attẽdendus ab Epiſcopis annus Eccleſiaſticus, non annus ſolaris.

ANnus, qui interponendus eſt ab vno ad alterum Ordinem Sacrũ, non ex curſu Solari, ſed ex Ritu Eccleſiaſtico menſurandus eſt, cum ex S. C. apud Lauret. *Q.* 7. *de Regular. ordinat.* habeamus declaratum, promotos ad Ordinem Subdiaconatus in Temporibus Quadrageſimæ, poſſe anno ſequente iiſdem Quadrageſimæ Temporibus ad Diaconatum promoueri, licet integer non ſit elapſus annus naturalis, qui dicitur ſolaris; ſufficit enim quod ſint elapſa quatuor interſtitia pro anno Eccleſiaſtico, quod etiam declarauit Summus Pontifex cum voto S. Congregationis apud Marzillam ad Concil. Trid. *tit.* 13. *cap.* 13. vbi Statuitur, quod annus, qui interponi debet ab vno ad alium Sacrum Ordinem, non debet eſſe neceſſariò duodecim menſium, vnde ſufficit ad conſtituendum annum Eccleſiaſticum, vt ſint tranſacta quatuor anni tempora, cum tempora Quadrageſimæ, licet plura, ſint per modum vnius, & ſic, qui ordinaretur in Sabbato Sancto præcedentis anni, poſſet anno ſequenti ordinari primis Quadrageſimæ Temporibus, cum ſatis ſit quatuor elapſa interſtitia connumerare inter vnũ, & alium ordinem Sacrum. Si aliquis tamen Epiſcopus ſcrupuloſus vellet attendere integrum curſum anni ſolaris pro conferendis Ordinibus, non poſſet redargui, cum verè pro anno ſtrictè ſint intelligendi duodecim menſes; cũ ipſa quoque Eccleſia computet initia, & terminos annorum per menſes duodecim, & dies ſupra trecentos, & ſexaginta. Verior tamen doctrina eſt ſupradicta, cum ſit magis fauorabilis, & gratioſa, ac etiam maiori probabilitate innitatur.

LEX CXXXI.

Alendi, vel prouidendi beneficijs Clerici, qui ab Epiſcopis ordinantur ſine titulo.

PRæter Prudentiæ legem, quæ in re quacumque imponitur Epiſcopis ſer-

ſeruanda, vrget hic altera conſcientiæ lex, quod obligantur iidem Epiſcopi ordinantes Clericos ſine titulo, ad illos alendos, vel prouidendos beneficijs, ſi ſint idonei, vt præter Concil. Trid. *ſeſſ. 21. cap. 2. de refor.* ſtatuitur etiam *in cap. Accepimus de Etat. & qualit. & in cap. cum ſecundum de Prabend.* ex quibus cap. videntur Epiſcopi ad duo obligari, & ad alendos ordinatos, ſi ſtatim non conferant beneficium, & ad conferendum competens beneficium, quæ obligationes ſunt ipſo iure diſtinctæ, cum verſentur circa diuerſam materiam; maximè quia obligatio prouidendi de beneficio admittit exceptiones, cum poſſit Epiſcopus ſemper excipere circa beneficium, quod ordinatus non ſit idoneus, vt conſtat *ex cap. Accepimus, & ex cap. cum ſecundum ſupracit.* Obligatio verò ſubſtentandi, & prouidendi de alimentis, non admittit exceptionem. Igitur obligatur Epiſcopus quicumque in conſcientia, vel ad alendos ordinatos ſine titulo, vel ad eos prouidendos de competenti beneficio, & ſolum à beneficio poteſt excipere non idoneos, quæ obligatio tranſit etiam ad ſucceſſores in Epiſcopatum, ſi ab ordinante ſatisfactum non ſit; idque ſtatuitur in eodem *cap. Accepimus, & in cap. cum ſecundum*; quia, licet de iure non debeant ſucceſſores luere pænas anteceſſorum, cum tamen hoc non fiat in punitionē, ſed ad tollendum opprobrium à Clero, vt teſtatur Gloſſ. *in cap. cum ſecundum. Verbo ſucceſſores*, ex hac ratione, tenentur ſucceſſores, vt Eccleſiæ miniſtri, qui non debent permittere ſuæ Eccleſiæ, & ſui Cleri opprobrium, alere ordinatos ſine titulo, vel prouidere de beneficio, cuius doctrinæ ratio potiſſima ea eſt, quod Clericus eo ipſo, quod eſt ordinatus adquirit ius, vt ſibi de patrimonio Eccleſię ſubminiſtrentur alimenta, cum ſit iam factus de corpore Eccleſiæ, tamquam eius pars, & membrum; hac enim ratione, ſcripſit etiam Innocentius III. ad Epiſcopum Zamorenſem, vt apparet *in cap. cum ſecundum*, ipſum adhortans, ne pateretur aliquem Altari ſeruientem de Altari non viuere, cum Clerici vitam tranſigere debeant de patrimonio Chriſti. Verum tamen eſt, quod licet Epiſcopi circa prouiſionem beneficiorum non poſſint excipere cōtra illos, quos ipſi ordinarunt, poſſunt tamen excipere contra ordinatos à ſuis prædeceſſoribus, quod habetur ex Gloſſ. *ad cap. toties cit.*

LEX CXXXII.

Ordinati ſine titulo etiam facta exceptione pro beneficijs prouidendi ab Epiſcopis de alimentis.

NOn impleretur Epiſcopalis Prudentiæ munus, ſi facta ab Epiſcopis aliqua exceptione pro beneficijs, propter non adinuentam in examine neceſſariam idoneitatem, requiſitam etiam in ordinatis ſine titulo, Epiſcopi ipſi à prouiſione alimentorum ſe putarent immunes; tenentur enim ſemper prouidere ordinatos ſine titulo de alimentis quouſque vel conſequantur beneficium, vel alio honeſto modo poſſint ſibi victum adquirere, quod ſtatuitur *in cap. Non liceat de Prabend.* vbi mandatur Epiſcopis, aut non facere Clericos, aut facere, quod habeant vnde viuere poſſint, quorum egeſtati, deficiente patrimonio proprio, debet ſupplere Patrimonium Eccleſiæ, quod eſt apud Epiſcopum, qui dicitur Pater pauperum, maximè Clericorum; eſſet namque magnum dedecus ordinis Clericalis, ſi Sacris initiati cogerentur mendicare, aut alio quouis indecenti miniſterio

ſterio ſibi victum quæritare; iuxtà id, quod traditur *in cap. Diaconi diſ. 93. & cap. Ioannes in fine*, quod etiam obſeruauit Gloſſ., *in cap. Cũ ſecundũ, Verbo ſucceſſores*. Ad auuertendum igitur tale dedecus ab ordine Clericali, tenentur Epiſcopi prouidere de neceſſarijs alimentis ordinatis ſine titulo, licet non ſint idonei pro beneficijs, quia ſemper dedecet Clericos mendicare, aut viles artes ad victum comparandum exercere. Ius verò, quod habent Clerici ad Patrimonium Eccleſiæ non eſt abſolutum, vt aliqui ſupponunt, ſed conditionatũ, nimirum ſuppoſito, quod non habeant vnde aliunde viuant, vel per proprium patrimonium, vel per beneficium: ex quo ſequitur ex tali Iure Clericorum non ſemper teneri Epiſcopos, eos prouidere, etiamſi habeant, vnde aliunde viuant, dato enim quod ſit verum, quod nunquam ceſſet obligatio, quæ prouenit à iure communi, & quod per prouiſionem hominis non ceſſet prouiſio legis, vt notant Iuriſconſulti omnes; hoc ſemper intelligitur, quando lex, vel Ius commune obligat abſolutè, non verò quando obligat conditionatè, vt eſt in caſu noſtro.

LEX CXXXIII.

Admittendi ab Epiſcopis tamquam legitimi filij Clericorum, qui legitimantur à Principe ſæculari.

CVm ſpuria Clericorũ proles nonnullis ſubiaceat Canonicis impedimentis, à Prudentia Epiſcopali accuratè inſpiciendum eſt, quinam ſint admittendi tamquam legitimi, quinam verò reijciendi tamquam illegitimi. Quoniã verò non ſatis eſt notum omnibus, quid valeat legitimatio filiorum, qui naſcuntur à Clericis, ſi fiat à Principe Sæculari, hic idcircò operæ pretium eſt, hanc difficultatem exponere; equidem videtur eſſe extra controuerſiam, poſſe ſæculares Principes verè legitimare, antequam Eccleſiæ iuriſdictioni ſubijciantur; cum enim eiuſmodi ſpuria proles abſolutè laica ſit, poterit quilibet Princeps in eam ſuam laicalem iuriſdictionem exercere; certum autẽ eſt, quod legitimatio eſt inducta a Iure Ciuili, vnde cum Princeps ſit ſupra Ius Ciuile, poteſt pro libito tollere differẽtiam inter legitimum, & illegitimum, quæ inducta eſt tantummodo à tali Iure. Quid verò dicendum ſit, an ſola Principis legitimatio valeat ad ſuccedendum Patri in bonis patrimonialibus ipſius, in ſequenti lege exponemus; videtur enim de Iure antiquo eſſe amplectendam partem affirmatiuam, vt demonſtrat Paſqualig. *Q. Moral. Iurid.* 131: cum hac tamen diſtinctione, vt valeat legitimatio Principis tantum pro ſucceſſione in bonis patrimonialibus, quę ſunt purè ſæcularia, non autem pro ſucceſſione in bonis acquiſitis intuitu Eccleſiæ, quæ dicuntur Eccleſiaſtica, & nulla ratione laicæ poteſtati ſubiecta: Nec videtur obſtare, quod requiratur conſenſus Patris in legitimatione in ordine ad ſucceſſionem, vt docent communiter Iuriſtæ; licet enim Pater Clericus non poſſit illum præſtare, tamquam non ſubditus Principi ſæculari iudicialiter, poteſt tamen illum præſtare extraiudicialiter, in quo actu non interuenit iuriſdictio Principis ſæcularis.

LEX CXXXIV.

Non admittendi ab Epiſcopis filij Clericorum, licet legitimati à Principe Sæculari ad ſucceſſionem in bonis patrimonialibus eorumdem.

POteſt quidem Principis Sæcularis poteſtas, quæ eſt ſupra Ius Ciuile tollere differentiam, quæ eſt inter legitimos, & illegitimos, ac quæ ipſo iure ſtatuitur, & conſequenter illegitimos legitimis exæquare, quo ad effectus eiuſdem Iuris Ciuilis; at non ideò poteſt validam in bonis Clericorum ſucceſſionem adſtruere in filijs eorumdem ab ipſo legitimatis, neque ſi ſint bona purè patrimonialia, vt admittebat olim Ius antiquum, etiam Canonicum, quia nunc obſtat Ius nouum in Conſtitutione B. Pij V. in *tom. 2. Bullar. Conſtit.* 117. §. 1. vbi declarat illegitimos incapaces, tàm cauſa mortis, quàm inter viuos acquirendi aliquid de bonis paternis, & §. 4. prohibet ne indirectè, aut per circuitum, etiam intuitu operis pij aliquid ad ipſos peruenire poſſit. Neque obſtare poteſt, quod dicta conſtitutio, tamquam diſponens circa Ciuilia, non habeat locum extra Statum Eccleſiaſticum, extra quem directè non ſe extendit Sum. Pontificis Iuriſdictio in temporalibus; quia cum diſponat circa res, & perſonas verè ſubiectas Iuriſdictioni Pontificis, debet ſemper locum habere, niſi fortè alicubi obſtet, quod non ſit vſu recepta; perſonę enim, circa quas diſponit, ſunt Clerici, & bona pariter ſunt Clericorum, quæ licet vt purè patrimonialia poſt mortem Clericorum deſinant eſſe ſub Iuriſdictione Pontificis, cum tamen fiat illorum prohibitio, ne tranſeant in filios, quando verè ſunt actu ſub Iuriſdictione Pontificis, talis prohibitio ſemper manet in ſuo vigore, & valida eſt, vt doctè demonſtrat Paſqualig. *Q. Moral. Iurid.* 131. vbi ſuæ doctrinæ optimam reddit rationem. Additur quod præter annullationem eorum, quæ fiunt contra Conſtitutionem Pij V. ſtatuit Sixtus V. in *ſua Conſtitut.* 100. §. 13. *tom. 3. Bullar.* quæ incipit, *In conferendis*, quod omnia relicta illegitimis contra dictam Conſtitutionem Pij V. aut de quibus in fauorem ipſorum quomodocumque diſpoſitum eſt, deuoluantur titulo Spoliorum ad Cameram Apoſtolicam, quod fit in pęnam contrauentionis Pōtificiæ, licet poſtea hæc pœna fuerit moderata à Paulo V. in *ſua Conſtitut.* 18. §. 3. *tom. 3. Bullar.* quæ incipit, *In eminenti Apoſtolicæ dignitatis*, quo ad Curiales incolas, & Ciues Vrbis Romæ, & in diſtricta infra decem milliaria.

LEX CXXXV.

Admittendi ab Epiſcopis, tamquam verè legitimi, filij legitimati per ſubſequens Matrimonium.

OMnem extra controuerſiam eſt; Matrimonium ſubſequens vim habere eos legitimandi filios, qui naſcuntur ante Matrimonium; neque in hac re anceps eſſe debet Epiſcopalis Prudentia, cum ſatis apertè decernatur *in cap. tanta*, qui filij ſint legitimi, & id locum habet, tametſi non interueniant inſtrumenta nuptialia, quæ de Iure Ciuili requirebantur, vt cum Peregrin. & Gratian. notat Boſſius *de contract. Matrimon. cap.* 11. *n.* 110. hæc enim legitimãdi vis *ex c. tanta &c.* tribuitur ſoli Matrimonio, nec aliud requiritur, vt ſequatur legitimatio, attenta diſpoſitione Iuris Canonici. Verum tamen eſt, quod

hæc doctrina communiter recipitur, ſuppoſito, quod filij, qui naſcuntur non prodeant in lucem eo tempore, in quo non poſſit ſubſiſtere Matrimonium ratione alicuius impedimenti dirimentis, quo ſtante impedimento filij, qui naſcuntur ante diſpenſationem dicuntur non poſſe legitimari per ſubſequens Matrimonium, quod tenent Doctores quàm plurimi num ſupra viginti apud Paſqualig. *Q. Moral. Iurid.* 133. qui eſt in eadem ſententia afferens etiam Rotæ authoritatem coram Ludouiſio *dec.* 19. *n.* 3. Cum enim tota vis legitimandi filios ſita ſit in Matrimonio, ſequitur quod eo tempore, quo Matrimonium non eſt, nec poteſt eſſe propter impedimentum dirimens, neque poſſit cauſare legitimationem, debet enim cauſa, vt poſſit cauſare aliquo modo habere eſſe, vt habemus in phyſicis, & etiam in Iure Ciuili, & Canonico; Nec valet, quod ad legitimandam prolem ſuſceptam ex vi ſubſequentis Matrimonij ſufficiat fictio Iuris, quod Ius ſicuti fingit quod fuerit Matrimonium in tempore antecedenti, licet fuerit tantum in tempore ſubſequenti, ita poteſt fingere, quod fuerit, licet non potuerit eſſe ratione impedimenti dirimentis; dico enim in ſententia Doctorum, qui ſupra allati ſunt, fictionem Iuris ſemper habere fundamentum in re, & non eſſe purè chymericam, neque poſſe fundari in impoſſibili, & ideò non poſſe ſupponi fictionem Iuris, quando adhuc Matrimonium ſupponitur impoſſibile; in tali enim ſtatu impoſſibilitatis, ſicut nullum habet eſſe, ita neque poteſt cauſare legitimationem.

LEX CXXXVI.

Etiam filij naſcentes tempore, quo adeſt impedimentum dirimens, cenſendi ab Epiſcopis verè legitimati per ſubſequens Matrimonium.

TRia hæc tamquam certa propono ſupponenda in hac materia Prudentiæ Epiſcopali. Primum, quod Matrimonium, quocumque tempore tollatur impedimentum dirimens, ſit verè Matrimonium, & habeat in ſe ſuam legitimandi vim. Secundum, quod dato in quocumque tempore, impedimento dirimente, ſemper id habeat, quod poſſit tolli per diſpenſationem. Tertium, quod dato etiam impedimẽto dirimente ſit ſemper poſſibile Matrimonium, & habeat illud eſſe ſaltem poſſibile, quod ſupponunt Canoniſtæ ſufficiens ad cauſandam legitimationem; ex quo conſtat eſſe omninò falſam illam doctrinam, quæ facit Matrimonium impoſſibile, dato impedimẽto dirimente, cum non ſit abſolutè, & ſimpliciter tale, ſed ad ſummum ſecundùm quid, & in ſenſu compoſito, non in ſenſu diuiſo. His ſuppoſitis, dicendum eſt etiam filios naſcentes ſub impedimento dirimente, verè legitimari per ſubſequens Matrimonium, dummodò impedimentum aliquando tollatur per diſpenſationem. Ratio eſt, quia Matrimonium quocumque tempore euadat Matrimonium, habet ſuã vim legitimandi filios, vt conſtat ex Iure Canonico ſupra allato, quæ vis non tollitur, aut non impeditur; niſi per impedimẽtũ dirimens, ergo quotieſcumque auferatur hoc impedimentum per diſpenſationem, & quocumque tempore fiat, erit vis integra legitimandi in Matrimonio ſubſequente,

S 2 & ni-

& nihil obſtabit, quod fuerit tale impedimentum, quando nati ſunt filij, quia adhuc illud impedimentum poterat tolli, & ſubſequens Matrimonium validari, quo validato poteſt ſemper in natos ſuũ ſortiri effectum legitimationis adnexæ, cum ſupponatur ex Iure Canonico aliunde non impediri quin ſortiatur. Addo quod legitimatio ſecundum doctrinam Paſqualigi oppoſitum ſuſtinentis *n.8. citatæ quæſtionis* non incipit à tempore natiuitatis, ſed à tẽpore Matrimonij; ergo nihil refert, quod adſit impedimentum dirimens, quando naſcuntur filij pro legitimatione, ſed ſufficit, quod non ſit, & ſit ablatum, quando incipit Matrimonium, & ſanè non video, quo fundamento oppoſita doctrina poſſit ſuſtineri.

LEX CXXXVII.

Ad beneficia non admittendi ab Epiſcopis viri illiterati.

Literaturam, ac ſcientiam eſſe vnum ex numeris, quos debet implere admittendus ad beneficium, ſatis iam ex dictis perſpicuum eſt, cum enim plura in vnum colligenda, ſiue colliganda ſint, vt aliquis verò conſtituatur idoneus ad beneficium, prę cæteris debet doctrinæ lumen collucere, ne rudis promoueatur ad ſuggeſtũ, vt plerũque contingit. Viros igitur tantummodo literatos adprobant Sacri Canones, illiteratos eiurant. *Sic in cap. Venerab. de prebend. & in cap. cum in cunctis de elect.* & colligitur etiã ex Trid. pluribus in locis: quod licet hunc ſolum characterem non exquirat in Clerico, ſcientia tamen omninò deſtitutum nunquam probare videtur. Nec ſunt in hac re adducenda quædam exempla Curiæ Romanæ, vbi ſi aliqui ad beneficia promoueantur prorſus rudes, & ignari, id contingit, non quia Curia Romana in promouendis non requirat ſcientiam, morum integritatem, & id genus alia, ſed quia ſæpè falſis relationibus, & informationibus decipiuntur Miniſtri; cum aliunde illius ſupremæ Curiæ ille mos ſit ſemper commendandus, vt non aſſumat ad beneficia, niſi viros benemerentes, ac præſertim doctrina præſtantes, quos ipſa longa annorum ſerie tales eſſe cognouit. Cum igitur Eccleſiaſtica literatura ex textu Canonico triplex ſit, alia eminens, alia mediocris, & alia modica, pro diuerſitate officiorum, & etiam beneficiorum literatura ab Epiſcopis quærenda eſt; & licet eminens ſit ſemper optanda, non tamen ſemper exigenda, vt habetur *in cap. decorem de Inſtitut. & in cap. Venerab. de prebend.* ſufficit ergo, quod ſit literatura mediocris vbi pro dignitate officij, vel beneficij eminens non eſt exercenda, atque ad hanc maximè debent Epiſcopi reſpicere in officijs, & beneficijs conferendis.

LEX CXXXVIII.

In Concurrentibus ad beneficia vitæ probitas ſcientiæ præferenda.

Non æqua lance ab Epiſcopis morum integritas, & literatura in concurſu beneficiorum libranda eſt, cum enim beneficium indicet ſtatum, & ordinem Eccleſiaſticum, cui debita eſt perfectio vitæ, quę eſt fax præferenda à quocunque viro ad Clericatum aſſumpto, neque poterit beneficium adire, qui caret hoc lumine, quod dicitur exemplare; & licet lumen ſuum reddat in Eccleſia Dei etiam Clericorum ſcientia, ex eo tamen, quod ſcientia non ſit qualitas ita propria Eccleſiaſtici

ſtici

ſtici ſtatus, vt eſt vitæ probitas, propterea dicitur hæc ab Epiſcopis ſemper illi præferenda; nec prudenter agerent, ſi vitę probitatem ſcientiæ poſthaberent. Neque obſtat textus *in cap. niſi cum pridem ex illo Oſeæ* 4. vbi habentur hæc verba: *quia tu ſcientiam repuliſti, ego te repellam ne Sacerdotio fungaris mihi*, ex quibus infert Brauus *excit.* 7. *&* 12. ſcientiam requiri pro miniſterio Altaris, ne dum de Iure naturali, & Eccleſiaſtico, verum etiam de Iure Diuino; & ideò ab Epiſcopis eſſe ſcientiam præferendam vitæ integritati, præſertim etiam, quia vitæ probitas in Clerico ſibi vni, vel alijs paucis prodeſſe poteſt; ſcientia verò, maximè ſi ſit eminens, multis ſemper, immò toti proſit Eccleſiæ. Dicendum eſt enim, ne dum ſcientiam, ſed etiam vitæ probitatem eſſe de Iure naturali, Eccleſiaſtico, & Diuino in Clerico rationę ſtatus aſſumpti, cui debetur vtrumque; vnde ex hoc non eſt pręferenda ſcientia; cęteris verò paribus ex dictis ſemper erit præferenda vitæ probitas, cum magis ſit intrinſeca ſtatui Eccleſiaſtico, & dicatur res, quaſi ipſi eſſentialis; quod non dicitur de ſcientia in quocumque gradu eiuſdem ſtatus, nec dicendum magis Eccleſiæ ſemper prodeſſe ſcientiam, quàm vitæ honeſtatem, cum ex ſcientia malè vſurpata plura mala contigerint Eccleſiæ, & id ſemper eſt magis æſtimandum ex doctrina S. Thomæ, & etiam Ariſtotelis, quo quis malè vti non poteſt, vt eſt virtus, & vitæ honeſtas.

LEX CXXXIX.

Probanda ab Epiſcopis quandoque Inſtitutio beneficij abſque obligatione recitandi Diuinum Officium.

RVdis admodum eſſet, ac prorſus inexperta illa Epiſcopalis Prudentia, quæ ignoraret obligationem recitandi Diuini Officij Ordini Sacro, ita ex Iure communi eſſe adnexam, vt à nemine tolli queat, pręterquam à Summo Pōtifice, idque cognita rationabili cauſa; at non eadem eſt ratio de Ordine Sacro, ac de beneficio, cum poſſit aliquod inſtitui beneficium, quod non ſit ſemper propter officium, tamquam propter cauſam finalem, vt in ſupra poſitis ſatis expoſitū eſt. Specialiter verò hoc poteſt affirmari de aliqua īſtitutione beneficij Iuriſpatronatus, cui Inſtitutor poteſt apponere hanc conditionem, vt Beneficiarius inſtitutus non teneatur ad horas Canonicas; quæ conditio ſicut ab Inſtitutore beneficij poteſt apponi, ita ab Epiſcopo, & Ordinario loci poteſt, & debet adprobari; docent enim plures Doctores apud Paſqualig. *in ſelect. Iurid. qu.* 1. de conſenſu Ordinarij poſſe apponi ab Inſtitutoribus beneficiorum conditiones etiam contrarias Iuri communi, idque tradunt ex Gloſſ. *in cap. cum Dilectus de Conſuet.* & ex Innocent. *de Præbend.* & ex Abbate *in cap. Significatum*, & ex Rota *in Hiſpalenſ.* 14. Nouembris 1616. & ex alijs pluribus; vnde licet de Iure cōmuni obligatio ad Horas Canonicas ſit ſemper adnexa beneficio, vt deſumitur *ex cap. fin. diſt.* 92. addita declarat Leonis X. in Concil. Lateran. & Conſtitut. Pij V. cum tamen iſtæ Declarationes, & Sanctiones ſint factæ in fauorem Inſtituentium, & Fundantium beneficia, quibus

quibus de Iure Naturæ compertit beneficij recompenſatio, quam compenſationem conſtituunt Sacri Canones in obligatione recitandi Diuinum officium, ſequitur, quod facta ab Inſtitutoribus beneficiorum ceſſione ſui Iuris ad talem compenſationem, poſſint etiam Ordinarij admittere, & adprobare tales Inſtitutiones, nulla appoſita obligatione recitandi Horas Canonicas. Neque obſtat, quod præter Ius Inſtitutoris ad compenſationem, cui poteſt cedere, aliud Ius interueniat, quod dicitur Ius Eccleſiæ, cui Iuri Eccleſia ipſa nunquam cedit, vnde ſaltem propter hoc Ius Eccleſiæ ſemper erit obligatio ad Horas Canonicas in Beneficiato, etiam ratione Iuriſpatronatus; dico enim Ius Eccleſiæ in hoc caſu ad exigendas Horas Canonicas non conuenire ipſi Eccleſiæ, niſi ſuppoſita Inſtitutione beneficij, & hoc cùm originetur à voluntate Inſtitutoris, à quo trahit origine etiam beneficium, non habet locum, niſi tali voluntate ſuppoſita; cum hæc voluntas non ſit obligandi beneficiatum ad Horas Canonicas, neque Eccleſia, quæ conformatur voluntati Inſtitutoris, cenſetur imponere hanc obligationem, neque habet aliud Ius Eccleſia, niſi decernendi compenſationem in beneficio in Horis Canonicis, quæ compenſatio in hoc caſu, non requiritur.

LEX CXL.

Non ſemper permittenda ab Epiſcopis Inſtitutio beneficij omninò ſoluta ab obligatione Diuini Officij.

ARbitrio Prudentiæ Epiſcopalis relinquitur plerumque beneficiorum Inſtitutiones admittere, etiam non appoſita obligatione recitandi Horas Canonicas; idque ſatis demonſtratum eſt ratione, & etiam Doctorum authoritate: at vniuersè loquendo non ſunt eiuſmodi inſtitutiones beneficiorum admittendæ, niſi appoſita obligatione recitandi Diuinum officium, cum in qualibet beneficij Inſtitutione ſit principaliter reſpiciendus cultus Diuinus, qui primariò intenditur, & debet intendi ab Eccleſia, & ab Inſtitutoribus beneficiorum, cultus autem Diuinus habetur in Eccleſia, maximè per recitationem Diuini officij. Nec beneficium, quod eſt res quodammodo Sacra, debet niſi Deo conſecrari; tametſi detur etiam in commodum ipſius beneficiarij; & licet Eccleſia ad inuitandos fideles ad beneficia inſtituenda permittat quandoque, vt Inſtituentes beneficia apponant pacta, & conditiones, quæ magis libuerint, quamuis ſint contra Ius commune, quod pro aliqua vice poteſt relaxare; nō propterea dicēdū, quod ſic ſemper, & vniuersè fieri poſſit, cum Eccleſiæ poteſtas non poſſit tollere, quæ ſunt debita Deo, & quodammodo de Iure Diuino, vt eſt cultus Diuinus exhibitus, per recitationem officij Diuini. Neque in hac re amplectenda eſt doctrina Paſqualigi *qu.* 1. *Moral. ſelect. Iurid.* qui ſuſtinet eſſe probabile poſſe fieri quamcumque Inſtitutionem beneficij, non appoſita obligatione officij Diuini, cum id videatur eſſe ſemper liberū fundatori, licet ſit contra Ius commune ducto exemplo à fundatione Hoſpitalium, quæ ex Iure communi debent ſubeſſe viſitationi Ordinarij, vt decernitur in Concil. Trid. *ſeſſ.22.cap.* 8. *de Reform.* & tamen, ſi fundatores in ipſorum inſtitutione caueant, ne ſubſint tali viſitationi, præſertim conſentientibus Ordinarijs locorum, numquam poterunt viſitari, aut ſubijci viſitatio-

tationi, vt docent Alzedo *p. 2. praxis Epiſc. cap. 2. nu. 56.* & etiam Diana *p. 1. tract. 2. reſolut. 83.* ex Rota *deciſ. 33. inic. p. 3.* Eſt enim in allata doctrina, & paritate maximum diſcrimen, cum inſtitutio Hoſpitaliũ nõ reſpiciat ĩmediatè, & directè cultum Diuinum, quemadmodum reſpicit Inſtitutio beneficiorum; Inſtitutio ſiquidem Hoſpitalium dirigitur ad ſubleuandam proximi miſeriam, & ad charitatem exercendam, quæ quomodocumque fiat, ſemper obtinet finem ſuũ, quod dici nõ poteſt de Inſtitutione beneficiorum, ſi ab ipſa tolleretur obligatio recitandi officiũ Diuinum, quia ſic tolleretur cultus Diuinus, per hoc autem, quod fiat aliqua Inſtitutio beneficij ſine tali obligatione, non tolleretur omnimodò, & vniuersè cultus Diuinus in beneficijs promouendis; cum caſus ſingulares nunquam officiant vniuerſali, &c.

LEX CXLI.

Non ſemper ab Epiſcopis præmittenda Tonſura ad beneficium.

AMbigit plerumque nec ſine ratione Epiſcopalis Prudentia, an quoquomodo alienum ſubditum poſſit facere ſibi proprium per collationem beneficij, antequam præmittat collationem primæ Tonſuræ, quam neceſſe eſt præcedere ad conſtituendum Clericum capacem beneficij; certum enim eſt, quod beneficium non poteſt conferri, niſi tonſurato, ex quo videtur ſequi, quod nunquam Epiſcopi alienum ſubditum non habẽtem primam Tonſuram poſſint facere ſibi ſubditum ratione beneficij. Quæ doctrina à me ipſo in praxim redacta eſt anno 1674. cum in Vicarium Generalem delegiſſem Leonardum Siriturum nobilem Mediolanenſem, virum intelligentia, & integritate præclarum, cui contra multorum Doctorum conſiliũ, & opinionem nolui ſimul, & ſemel, eodem contextu ſimul Tonſuram, & beneficium conferre, licet doctrinam à me hoc loco pro Epiſcopis tradendam iam optimè callerem. Poſſe igitur Epiſcopos ſimul, & ſemel eodem contextu conferre alieno ſubdito primam Tonſuram, & beneficium docet Paſqualig. *qu. Moral Iurid. 27.* dummodo id non faciant aliqua fraude, vel figmento, hoc eſt, quæſito prætextu ordinandi nõ ſibi ſubditum; hoc enim expreſsè prohibetur *in cap. eos Clericos de tempor. ordin. in 6.* vbi *Gloſſ. verbo figmenta* inter alia figmenta ponit Epiſcopi intentionem, ad hoc tantum, vt conferatur beneficium, vt ordinet; quia ſic principale intentum eſt conferendi ordinem non ſubdito, quod repugnat Concil. Trid. *de refor. ſeſſ. 20. cap. 9.* vnde ſequitur, quod ſi principalis intentio Epiſcopi eſſet de conferendo beneficio abſque vlla fraude, & figmento, ſola ſpectata dignitate perſonæ & Eccleſiæ vtilitate; in hoc caſu fortaſſis non intelligeretur prohiberi, neque per Canonem, neque per Gloſſ. & omnes doctrinæ quæ afferuntur in oppoſitum poſſunt intelligi tantum ſuppoſita fraude, quæ nunquam interuenit, quando confertur beneficium alieno ſubdito propter ſolam dignitatem perſonæ, & vtilitatem Eccleſiæ. Ratio autem cur poſſint Epiſcopi conferre ſimul beneficium, & Tonſuram, eſt, quia poſſunt Epiſcopi eligere ad beneficium etiam laicum non ſubditum in ordine ad ſuſcipiendam Tonſuram, antequam inſtituatur in beneficio, vt habemus ex Rota in *Imolenſ. Iuriſpatron.* 19. Nouembris 1584. coram Ora. & ex declaratione S. Concil. Trid. *ad cap. 10. ſeſſ.*

ſeſſ.7. de reſor. vbi conceditur Vicario Capituli Sede vacante poſſe dare Dimiſſorias ad primam Tonſuram ijs, qui præſentantur à Patronis Laicis ad beneficium Eccleſiaſticum Iuriſpatronatus ipſorum, vt illud valeant obtinere; cum igitur actus eligendi, præſentandi, inſtituendi, conferendi, ſint æquipollentes, & habeant vim faciendi ſubditos etiam non ſubditos Epiſcopo, ad quem ſpectant, propter Iuriſdictionem, quam poteſt in illos exercere, ſequitur, quod poſſint quicumque Epiſcopi conferre ſimul beneficium, & Tonſuram, etiam alienis.

LEX CXLII.

Semper ab Epiſcopis præmittendus aliquis actus ad Tonſuram, qui faciat proprium ſubditum, ſubditum alienum.

A Conſtitutione Bonifacij VIII. *in cap. cum nullus de Tempor. ordin. in* 6. capienda eſt ab Epiſcopis norma, vt licitè, & validè poſſint ordines, & Tonſuram conferre; certum eſt enim, quod non poteſt ab Epiſcopo ordinari, niſi ſubditus, ſiue ſit talis ratione originis, ſiue ratione domicilij, ſiue ratione beneficij, quo fit, vt ſubditus, niſi quoquomodo fiat ſubditus proprius, nunquam poterit ad Ordines, & Tonſuram promoueri. Poteſt autem alienus fieri ſubditus proprius, ſi conferatur illi beneficium, ſiue ſi eligatur, ſiue ſi præſentetur, ſiue ſi confirmetur; iſti enim actus omnes ſunt æquipollentes, vt habemus ex *Clementin.* 1. *iuncta Gloſſ. verbo conferuntur*, & ex Rota coram Veral. *deciſ.*36. *num.*15. *part.*3. & de ſua natura faciunt ſubiectionem Epiſcopo, qui ex vi illorum actuum poteſt in electos, & præſentatos ad beneficium exercere Iuriſdictionem, ex Seraphino *deciſ.*637. *num.*1. Inſtitutio enim beneficij denotat ſubiectionem in Inſtituto *ex cap. decernimus*, & cum talis ſubiectio inducatur ex electione, ſeu præſentatione ad beneficium erit ſubiectio ratione beneficij ſufficiens ad recipiẽdam Tonſuram *ex cap. cum nullus in* 6. Ad quam etiam faciendam ſubiectionem non requiritur, quod Tonſurandus prius obtinuerit beneficium, ſed eſt ſatis, quod obtineat actu, quando actu Tonſuram accipit; Verba enim illius *cap. cum nullus*, ſunt, *In cuius Diœceſi obtinet beneficium*, non dicunt *obtinuit beneficium*, namque, ſiue ſit dudum obtentum, ſiue actu obtineatur, ſemper trahit ſecum ſubiectionem, qua vnuſquiſque ſubijcitur Epiſcopo loci, in quo ſitum eſt beneficium, vnde fit, quod Epiſcopus ratione beneficij, in ſua Diœceſi ſemper dicatur ordinare ſibi ſubditum, & non alienum. Præmittendus igitur erit ab Epiſcopis aliquis actus ſpectans ad beneficium ex ijs, qui trahunt ſecũ ſubiectionẽ quę ſubiectio ſẽper dicetur ratione beneficij, & talis ſubiectio erit ſufficiens ad Tonſuram; illa verò præmiſſio actus non debet antecedere tempore, ſed eſt ſatis, quod præcedat per inſtans naturæ, ita quod valeat ſemper dicere quod Tonſura conferatur ſubdito; licet eodem tempore eſſet actus electionis ad beneficium, & collatio Tonſuræ. Neque obſtat, quod beneficium debeat ſemper ſupponere Tonſuram; hoc enim intelligitur de collatione conſumata beneficij, non de ſola inchoatione per electionem, vel præſentationem, qui actus ſufficiunt ad conſtituendum ſubditum, qui poſſit ab Epiſcopo tonſurari. Præter Paſqualig. *qu.*27. *Moral. Iurid.* poteſt videri etiam Paſſerinus *ad cap. nullus nu.* 5. Fateor tamen eſſe potius doctrinam ſuſtinendam ſpeculatiuè, quam practicè.

LEX

LEX CXLIII.

Non permittenda ab Epiſcopis retentio plurium beneficiorum ſufficientium, etiamſi ſint Iuris patronatus.

CONſideranda ſunt beneficia, quæcumque ſint, ab Epiſcopali Prudentia, ſi ſint ſufficientia de ſe ad congruam, & honeſtam ſubſtentationem, nam hoc reſpicit diſpoſitio facta à Cõcilio Trid. *Seſſ.*24. *cap.*17. *de refor.* quod ſolum permittit plura conferri beneficia, ſi vnum non ſit ſufficiens pro ſubſtentatione, quod non videtur ita certum de beneficijs Iuris patronatus, vt notant Lambert *lib.* 2. *de Iure patr. par.*1. *&c.*& Maſſobr. *in praxi habend. concurſ.*7. *dub.*18. nam Concil. Trid. videtur prohibere ſolummodò collationem plurium beneficiorum ſufficientium, non verò inſtitutionem, & præſentationem ad plura beneficia, quæ ſint Iuris patronatus. Verior tamen, & certior doctrina eſt, quæ ex mente Concilij prohibet omnem pluralitatem beneficiorum ſufficientium, etiam Iuris patronatus In ordine ad retentionem. Ratio eſt, quia vnus, & idem eſt finis legis latæ à Concilio in omnibus beneficijs, ſiue obtineantur per collationem, ſiue per inſtitutionem, & præſentationem, cum intendat Concilium, quod conferantur beneficia quomodocumque ob honeſtam ſubſtentationem, quę ſemper haberi poteſt per vnicum beneficium ſufficiens, volens in hoc ſuperfluitatem in beneficijs ab Eccleſia eliminare, quod ſatis conſtat ex illis verbis Concil. Trid. *cap.* 17. *de refor. ſeſſ.*24. vbi declarans extenſionem ſuæ diſpoſitionis hæc habet. *Hacque non modo ad Cathedrales Eccleſias, ſed etiam ad omnia beneficia, tàm ſecularia, quàm regularia quæcumque, etiam commendata pertineant, cuiuſcumque tituli, ac qualitatis exiſtant &c.* in quibus vltimis verbis ob ſuam vniuerſalitatem videntur clarè comprehendi etiam beneficia Iurispatronatus, cum dictio illa, *cuiuſcumque tituli, & qualitatis,* ſe extendat ad omnia. Neque obſtat, quod dicit Concilium, eſſe vnicum tantum beneficium ſingulis conferendum, nec loquitur ibi de inſtitutione, ſiue præſentatione, ſed tantum de collatione &c. quę ſtrictè accipienda videtur; dico namque ibi Conciliũ ſumere collationem pro quacumque conceſſione quomodocumque facta beneficiorum, cuiuſcumque generis ſint, & qualitatis, quod notauit etiam Rota *deciſ.*39.*n.*3. *in fin. part.*4. & coram Ludouiſio *deciſ.* 53. *n.* 6. An verò poſſit præſentari à Patrono habens aliud beneficium ſufficiens videtur ſatis declaratum à S. C. Concilij *ad cap.* 17. *de refor. ſeſſ.* 24. à qua tamen etiam ſtatutum eſt, quod obtenta pacifica poſſeſſione ſecundi, vacet primum, & mens Concilij eſt, ne plura conferantur beneficia ſufficientia in ordine ad retentionem, quod explicant Doctores quamplures cum Garzia *part.* 11. *de benef. cap.* 3. & cum Rota pluries. Verum tamen eſt, quod poterunt conferri beneficia Iurispatronatus etiam habentibus aliud beneficium ſufficiens abſque illius vacatione, ſi ita in fundatione diſponatur, vt eſt apud Garziam *de benef. part.* 11. *cap.* 5. *n.* 280. Ratio eſt, quia fundator beneficiorum de conſenſu ordinarij poteſt in limine fundationis apponere cõditiones etiam contrarias Iuri communi, vt habemus *ex cap. cum dilectus de conſuetudine*, vbi DD. id tradunt communiter etiam ex Rota *in Hiſpalenſ. Theſauraria* 14. Nouembris 1616. coram Pirouano, vnde erit ad libitum fundatoris etiam hanc peculiarem conditionem apponere, vt patet.

ſeruanda, vrget hic altera conſcientiæ lex, quod obligantur ijdem Epiſcopi ordinantes Clericos ſine titulo, ad illos alendos, vel prouidendos beneficijs, ſi ſint idonei, vt præter Concil. Trid. *ſeſſ. 21. cap. 2. de refor.* ſtatuitur etiam *in cap. Accepimus de Etat. & qualit. & in cap. cum ſecundum de Prabend.* ex quibus cap. videntur Epiſcopi ad duo obligari, & ad alendos ordinatos, ſi ſtatim non conferant beneficium, & ad conferendum competens beneficium, quæ obligationes ſunt ipſo iure diſtinctæ, cum verſentur circa diuerſam materiam; maximè quia obligatio prouidendi de beneficio admittit exceptiones, cum poſſit Epiſcopus ſemper excipere circa beneficium, quod ordinatus non ſit idoneus, vt conſtat *ex cap. Accepimus, & ex cap. cum ſecundum ſupracit.* Obligatio verò ſubſtentandi, & prouidendi de alimentis, non admittit exceptionem. Igitur obligatur Epiſcopus quicumque in conſcientia, vel ad alendos ordinatos ſine titulo, vel ad eos prouidendos de competenti beneficio, & ſolum à beneficio poteſt excipere non idoneos, quæ obligatio tranſit etiam ad ſucceſſores in Epiſcopatum, ſi ab ordinante ſatisfactum non ſit; idque ſtatuitur in eodem *cap. Accepimus, & in cap. cum ſecundum*; quia, licet de iure non debeant ſucceſſores luere pænas anteceſſorum, cum tamen hoc non fiat in punitionē, ſed ad tollendum opprobrium à Clero, vt teſtatur Gloſſ. *in cap. cum ſecundum. Verbo ſucceſſores*, ex hac ratione, tenentur ſucceſſores, vt Eccleſiæ miniſtri, qui non debent permittere ſuæ Eccleſiæ, & ſui Cleri opprobrium, alere ordinatos ſine titulo, vel prouidere de beneficio, cuius doctrinæ ratio potiſſima ea eſt, quod Clericus eo ipſo, quod eſt ordinatus adquirit ius, vt ſibi de patrimonio Eccleſię ſubminiſtrentur alimenta, cum ſit iam factus de corpore Eccleſiæ, tamquam eius pars, & membrum; hac enim ratione, ſcripſit etiam Innocentius III. ad Epiſcopum Zamorenſem, vt apparet *in cap. cum ſecundum*, ipſum adhortans, ne pateretur aliquem Altari ſeruientem de Altari non viuere, cum Clerici vitam tranſigere debeant de patrimonio Chriſti. Verum tamen eſt, quod licet Epiſcopi circa prouiſionem beneficiorum non poſſint excipere cōtra illos, quos ipſi ordinarunt, poſſunt tamen excipere contra ordinatos à ſuis prædeceſſoribus, quod habetur ex Gloſſ. *ad cap. toties cit.*

LEX CXXXII.

Ordinati ſine titulo etiam facta exceptione pro beneficijs prouidendi ab Epiſcopis de alimentis.

NOn impleretur Epiſcopalis Prudentiæ munus, ſi facta ab Epiſcopis aliqua exceptione pro beneficijs, propter non adinuentam in examine neceſſariam idoneitatem, requiſitam etiam in ordinatis ſine titulo, Epiſcopi ipſi à prouiſione alimentorum ſe putarent immunes; tenentur enim ſemper prouidere ordinatos ſine titulo de alimentis quouſque vel conſequantur beneficium, vel alio honeſto modo poſſint ſibi victum adquirere, quod ſtatuitur *in cap. Non liceat de Prabend.* vbi mandatur Epiſcopis, aut non facere Clericos, aut facere, quod habeant vnde viuere poſſint, quorum egeſtati, deficiente patrimonio proprio, debet ſupplere Patrimonium Eccleſiæ, quod eſt apud Epiſcopum, qui dicitur Pater pauperum, maximè Clericorum; eſſet namque magnum dedecus ordinis Clericalis, ſi Sacris initiati cogerentur mendicare, aut alio quouis indecenti miniſterio

ſterio ſibi victum quæritare; iuxtà id, quod traditur *in cap. Diaconi diſ. 93. & cap. Ioannes in fine*, quod etiam obſeruauit Gloſſ. *in cap. Cùm ſecundū, Verbo ſucceſſores*. Ad auuertendum igitur tale dedecus ab ordine Clericali, tenentur Epiſcopi prouidere de neceſſarijs alimentis ordinatis ſine titulo, licet non ſint idonei pro beneficijs, quia ſemper dedecet Clericos mendicare, aut viles artes ad victum comparandum exercere. Ius verò, quod habent Clerici ad Patrimonium Eccleſiæ non eſt abſolutum, vt aliqui ſupponunt, ſed conditionatū, nimirum ſuppoſito, quod non habeant vnde aliunde viuant, vel per proprium patrimonium, vel per beneficium: ex quo ſequitur ex tali Iure Clericorum non ſemper teneri Epiſcopos, eos prouidere, etiamſi habeant, vnde aliunde viuant, dato enim quod ſit verum, quod nunquam ceſſet obligatio, quæ prouenit à iure communi, & quod per prouiſionem hominis non ceſſet prouiſio legis, vt notant Iuriſconſulti omnes; hoc ſemper intelligitur, quando lex, vel Ius commune obligat abſolutè, non verò quando obligat conditionatè, vt eſt in caſu noſtro.

LEX CXXXIII.

Admittendi ab Epiſcopis tamquam legitimi filij Clericorum, qui legitimantur à Principe ſeculari.

CVm ſpuria Clericorū proles nonnullis ſubiaceat Canonicis impedimentis, à Prudentia Epiſcopali accuratè inſpiciendum eſt, quinam ſint admittendi tamquam legitimi, quinam verò reijciendi tamquam illegitimi. Quoniā verò non ſatis eſt notum omnibus, quid valeat legitimatio filiorum, qui naſcuntur à Clericis, ſi fiat à Principe Sæculari, hic idcircò operæ pretium eſt, hanc difficultatem exponere; equidem videtur eſſe extra controuerſiam, poſſe ſæculares Principes verè legitimare, antequam Eccleſiæ iuriſdictioni ſubijciantur; cum enim eiuſmodi ſpuria proles abſolutè laica ſit, poterit quilibet Princeps in eam ſuam laicalem iuriſdictionem exercere; certum autē eſt, quod legitimatio eſt inducta a Iure Ciuili, vnde cum Princeps ſit ſupra Ius Ciuile, poteſt pro libito tollere differētiam inter legitimum, & illegitimum, quæ inducta eſt tantummodo a tali Iure. Quid verò dicendum ſit, an ſola Principis legitimatio valeat ad ſuccedendum Patri in bonis patrimonialibus ipſius, in ſequenti lege exponemus; videtur enim de Iure antiquo eſſe amplectendam partem affirmatiuam, vt demonſtrat Paſqualig. *Q. Moral. Iurid.* 131. cum hac tamen diſtinctione, vt valeat legitimatio Principis tantum pro ſucceſſione in bonis patrimonialibus, quę ſunt purè ſæcularia, non autem pro ſucceſſione in bonis acquiſitis intuitu Eccleſiæ, quæ dicuntur Eccleſiaſtica, & nulla ratione laicæ poteſtati ſubiecta: Nec videtur obſtare, quod requiratur conſenſus Patris in legitimatione in ordine ad ſucceſſionem, vt docent communiter Iuriſtæ; licèt enim Pater Clericus non poſſit illum præſtare, tamquam non ſubditus Principi ſæculari iudicialiter, poteſt tamen illum præſtare extraiudicialiter, in quo actu non interuenit iuriſdictio Principis ſæcularis.

LEX CXXXIV.

Non admittendi ab Epiſcopis filij Clericorum, licet legitimati à Principe Sæculari ad ſucceſſionem in bonis patrimonialibus eorumdem.

POteſt quidem Principis Sæcularis poteſtas, quæ eſt ſupra Ius Ciuile tollere differentiam, quæ eſt inter legitimos, & illegitimos, ac quæ ipſo iure ſtatuitur, & conſequenter illegitimos legitimis exæquare, quo ad effectus eiuſdem Iuris Ciuilis; at non ideò poteſt validam in bonis Clericorum ſucceſſionem adſtruere in filijs eorumdem ab ipſo legitimatis, neque ſi ſint bona purè patrimonialia, vt admittebat olim Ius antiquum, etiam Canonicum, quia nunc obſtat Ius nouum in Conſtitutione B. Pij V. in *tom. 2. Bullar. Conſtit.* 117. §. 1. vbi declarat illegitimos incapaces, tàm cauſa mortis, quàm inter viuos acquirendi aliquid de bonis paternis, & §. 4. prohibet ne indirectè, aut per circuitum, etiam intuitu operis pij aliquid ad ipſos peruenire poſſit. Neque obſtare poteſt, quod dicta conſtitutio, tamquam diſponens circa Ciuilia, non habeat locum extra Statum Eccleſiaſticum, extra quem directè non ſe extendit Sum. Pontificis Iuriſdictio in temporalibus; quia cum diſponat circa res, & perſonas verè ſubiectas Iuriſdictioni Pontificis, debet ſemper locum habere, niſi fortè alicubi obſtet, quod non ſit vſu recepta; perſonę enim, circa quas diſponit, ſunt Clerici, & bona pariter ſunt Clericorum, quæ licet vt purè patrimonialia poſt mortem Clericorum deſinant eſſe ſub Iuriſdictione Pontificis, cum tamen fiat illorum prohibitio, ne tranſeant in filios, quando verè ſunt actu ſub Iuriſdictione Pontificis, talis prohibitio ſemper manet in ſuo vigore, & valida eſt, vt doctè demonſtrat Paſqualig. *Q. Moral. Iurid.* 131. vbi ſuæ doctrinæ optimam reddit rationem. Additur quod præter annullationem eorum, quæ fiunt contra Conſtitutionem Pij V. ſtatuit Sixtus V. in *ſua Conſtitut.* 100. §. 13. *tom. 3. Bullar.* quæ incipit, *In conferendis*, quod omnia relicta illegitimis contra dictam Conſtitutionem Pij V. aut de quibus in fauorem ipſorum quomodocumque diſpoſitum eſt, deuoluantur titulo Spoliorum ad Cameram Apoſtolicam, quod fit in pęnam contrauentionis Pōtificiæ, licet poſtea hæc pœna fuerit moderata à Paulo V. in *ſua Conſtitut.* 18. §. 3. *tom. 3. Bullar.* quæ incipit, *In eminenti Apoſtolicæ dignitatis.*, quo ad Curiales incolas, & Ciues Vrbis Romæ, & in diſtricta infra decem milliaria.

LEX CXXXV.

Admittendi ab Epiſcopis, tamquam verè legitimi, filij legitimati per ſubſequens Matrimonium.

OMnem extra controuerſiam eſt; Matrimonium ſubſequens vim habere eos legitimandi filios, qui naſcuntur ante Matrimonium; neque in hac re anceps eſſe debet Epiſcopalis Prudentia, cum ſatis apertè decernatur *in cap. tanta*, qui filij ſint legitimi, & id locum habet, tametſi non interueniant inſtrumenta nuptialia, quæ de Iure Ciuili requirebantur, vt cum Peregrin. & Gratian. notat Boſſius *de contract. Matrimon. cap.* 11. *n.* 110. hæc enim legitimādi vis *ex c. tanta &c.* tribuitur ſoli Matrimonio, nec aliud requiritur, vt ſequatur legitimatio, attenta diſpoſitione Iuris Canonici. Verum tamen eſt, quod hæc

hæc doctrina communiter recipitur, ſuppoſito, quod filij, qui naſcuntur non prodeant in lucem eo tempore, in quo non poſſit ſubſiſtere Matrimonium ratione alicuius impedimenti dirimentis, quo ſtante impedimento filij, qui naſcuntur ante diſpenſationem, dicuntur non poſſe legitimari per ſubſequens Matrimonium, quod tenent Doctores quāplurimi num ſupra viginti apud Paſqualig. *Q. Moral. Iurid.* 133. qui eſt in eadem ſententia afferens etiam Rotæ authoritatem coram Ludouiſio *dec.* 19. *n.* 3. Cum enim tota vis legitimandi filios ſita ſit in Matrimonio, ſequitur quod eo tempore, quo Matrimonium non eſt, nec poteſt eſſe propter impedimentum dirimens, neque poſſit cauſare legitimationem; debet enim cauſa, vt poſſit cauſare aliquo modo habere eſſe; vt habemus in phyſicis, & etiam in Iure Ciuili, & Canonico; Nec valet, quod ad legitimandam prolem ſuſceptam ex vi ſubſequentis Matrimonij ſufficiat fictio Iuris, quod Ius ſicuti fingit quod fuerit Matrimonium in tempore antecedenti, licet fuerit tantum in tempore ſubſequenti, ita poteſt fingere, quod fuerit, licet non potuerit eſſe ratione impedimenti dirimentis; dico enim in ſententia Doctorum, qui ſupra allati ſunt, fictionem Iuris ſemper habere fundamentum in re, & non eſſe purè chymericam, neque poſſe fundari in impoſſibili, & ideò non poſſe ſupponi fictionem Iuris, quādo adhuc Matrimonium ſupponitur impoſſibile; in tali enim ſtatu impoſſibilitatis, ſicut nullum habet eſſe, ita neque poteſt cauſare legitimationem.

LEX CXXXVI.

Etiam filij naſcentes tempore, quo adeſt impedimentum dirimens, cenſendi ab Epiſcopis verè legitimati per ſubſequens Matrimonium.

TRia hæc tamquam certa propono ſupponenda in hac materia Prudentiæ Epiſcopali. Primum, quod Matrimonium, quocumque tempore tollatur impedimentum dirimens, ſit verè Matrimonium, & habeat in ſe ſuam legitimandi vim. Secundum, quod dato in quocumque tempore, impedimento dirimente, ſemper id habeat, quod poſſit tolli per diſpenſationem. Tertium, quod dato etiam impedimēto dirimente ſit ſemper poſſibile Matrimonium, & habeat illud eſſe ſaltem poſſibile, quod ſupponunt Canoniſtæ ſufficiens ad cauſandam legitimationem; ex quo conſtat eſſe omninò falſam illam doctrinam, quæ facit Matrimonium impoſſibile, dato impedimēto dirimente, cum non ſit abſolutè, & ſimpliciter tale, ſed ad ſummum ſecundum quid, & in ſenſu compoſito, non in ſenſu diuiſo. His ſuppoſitis, dicendum eſt etiam filios naſcentes ſub impedimento dirimente, verè legitimari per ſubſequens Matrimonium, dummodò impedimentum aliquando tollatur per diſpenſationem. Ratio eſt, quia Matrimonium quocumque tempore euadat Matrimonium, habet ſuā vim legitimandi filios, vt conſtat ex Iure Canonico ſupra allato, quæ vis non tollitur, aut non impeditur, niſi per impedimentū dirimens, ergo quotieſcumque auferatur hoc impedimentum per diſpenſationem, & quocumque tempore fiat, erit vis integra legitimandi in Matrimonio ſubſequente,

& nihil obſtabit, quod fuerit tale impedimentum, quando nati ſunt filij, quia adhuc illud impedimentum poterat tolli, & ſubſequens Matrimonium validari, quo validato poteſt ſemper in natos ſuũ ſortiri effectum legitimationis adnexæ, cum ſupponatur ex Iure Canonico aliunde non impediri quin ſortiatur. Addo quod legitimatio ſecundum doctrinam Paſqualigi oppoſitum ſuſtinentis *n.8. citata quæſtionis* non incipit à tempore natiuitatis, ſed à tẽpore Matrimonij; ergo nihil refert, quod adſit impedimentum dirimens, quando naſcuntur filij pro legitimatione, ſed ſufficit, quod non ſit, & ſit ablatum, quando incipit Matrimonium, & ſanè non video, quo fundamento oppoſita doctrina poſſit ſuſtineri.

LEX CXXXVII.

Ad beneficia non admittendi ab Epiſcopis viri illiterati.

LIteraturam, ac ſcientiam eſſe vnum ex numeris, quos debet implere admittendus ad beneficium, ſatis iam ex dictis perſpicuum eſt, cum enim plura in vnum colligenda, ſiue colliganda ſint, vt aliquis verò conſtituatur idoneus ad beneficium, prę cæteris debet doctrinæ lumen collucere, ne rudis promoueatur ad ſuggeſtũ, vt plerũque contingit. Viros igitur tantummodo literatos adprobant Sacri Canones, illiteratos eiurant. *Sic in cap. Venerab. de prebend. & in cap. cum in cunctis de elect.* & colligitur etiã ex Trid. pluribus in locis: quod licet hunc ſolum characterem non exquirat in Clerico, ſcientia tamen omninò deſtitutum nunquam probare videtur. Nec ſunt in hac re adducenda quædam exempla Curiæ Romanæ, vbi ſi aliqui ad beneficia promoueantur prorſus rudes, & ignari, id contingit, non quia Curia Romana in promouendis non requirat ſcientiam, morum integritatem, & id genus alia, ſed quia ſæpè falſis relationibus, & informationibus decipiuntur Miniſtri; cum aliunde illius ſupremæ Curiæ ille mos ſit ſemper commendandus, vt non aſſumat ad beneficia, niſi viros benemerentes, ac præſertim doctrina præſtantes, quos ipſa longa annorum ſerie tales eſſe cognouit. Cum igitur Eccleſiaſtica literatura ex textu Canonico triplex ſit, alia eminens, alia mediocris, & alia modica, pro diuerſitate officiorum, & etiam beneficiorum literatura ab Epiſcopis quærenda eſt; & licet eminens ſit ſemper optanda, non tamen ſemper exigenda, vt habetur *in cap. decorem de Inſtitut. & in cap. Venerab. de prebend.* ſufficit ergo, quod ſit literatura mediocris vbi pro dignitate officij, vel beneficij eminens non eſt exercenda, atque ad hanc maximè debent Epiſcopi reſpicere in officijs, & beneficijs conferendis.

LEX CXXXVIII.

In Concurrentibus ad beneficia vita probitas ſcientia præferenda.

NOn æqua lance ab Epiſcopis morum integritas, & literatura in concurſu beneficiorum libranda eſt, cum enim beneficium indicet ſtatum, & ordinem Eccleſiaſticum, cui debita eſt perfectio vitæ, quę eſt fax præferenda à quocunque viro ad Clericatum aſſumpto, neque poterit beneficium adire, qui caret hoc lumine, quod dicitur exemplare; & licet lumen ſuum reddat in Eccleſia Dei etiam Clericorum ſcientia, ex eo tamen, quod ſcientia non ſit qualitas ita propria Eccleſiaſtici

ſtici

ſtici ſtatus, vt eſt vitæ probitas, propterea dicitur hæc ab Epiſcopis ſemper illi præferenda; nec prudenter agerent, ſi vitę probitatem ſcientiæ poſthaberent. Neque obſtat textus *in cap. niſi cum pridem ex illo Oſea* 4. vbi habentur hæc verba: *quia tu ſcientiam repuliſti, ego te repellam ne Sacerdotio fungaris mihi*, ex quibus infert Brauus *excit. 7. & 12.* ſcientiam requiri pro miniſterio Altaris, ne dum de Iure naturali, & Eccleſiaſtico, verum etiam de Iure Diuino; & ideò ab Epiſcopis eſſe ſcientiam præferendam vitæ integritati, præſertim etiam, quia vitæ probitas in Clerico ſibi vni, vel alijs paucis prodeſſe poteſt; ſcientia verò, maximè ſi ſit eminens, multis ſemper, immò toti proſit Eccleſiæ. Dicendum eſt enim, ne dum ſcientiam, ſed etiam vitæ probitatem eſſe de Iure naturali, Eccleſiaſtico, & Diuino in Clerico rationę ſtatus aſſumpti, cui debetur vtrumque; vnde ex hoc non eſt pręferenda ſcientia; cęteris verò paribus ex dictis ſemper erit præferenda vitæ probitas, cum magis ſit intrinſeca ſtatui Eccleſiaſtico, & dicatur res, quaſi ipſi eſſentialis; quod non dicitur de ſcientia in quocumque gradu eiuſdem ſtatus, nec dicendum magis Eccleſiæ ſemper prodeſſe ſcientiam, quàm vitæ honeſtatem, cum ex ſcientia malè vſurpata plura mala contigerint Eccleſiæ, & id ſemper eſt magis æſtimandum ex doctrina S. Thomæ, & etiam Ariſtotelis, quo quis malè vti non poteſt, vt eſt virtus, & vitæ honeſtas.

LEX CXXXIX.

Probanda ab Epiſcopis quandoque Inſtitutio beneficij abſque obligatione recitandi Diuinum Officium.

RVdis admodum eſſet, ac prorſus inexperta illa Epiſcopalis Prudentia, quæ ignoraret obligationem recitandi Diuini Officij Ordini Sacro, ita ex Iure communi eſſe adnexam, vt à nemine tolli queat, pręterquam à Summo Pōtifice, idque cognita rationabili cauſa; at non eadem eſt ratio de Ordine Sacro, ac de beneficio, cum poſſit aliquod inſtitui beneficium, quod non ſit ſemper propter officium, tamquam propter cauſam finalem, vt in ſupra poſitis ſatis expoſitū eſt. Specialiter verò hoc poteſt affirmari de aliqua īſtitutione beneficij Iuriſpatronatus, cui inſtitutor poteſt apponere hanc conditionem, vt Beneficiarius inſtitutus non teneatur ad horas Canonicas; quæ conditio ſicut ab Inſtitutore beneficij poteſt apponi, ita ab Epiſcopo, & Ordinario loci poteſt, & debet adprobari; docent enim plures Doctores apud Paſqualig. *in ſelect. Iurid. qu.*1. de conſenſu Ordinarij poſſe apponi ab Inſtitutoribus beneficiorum conditiones etiam contrarias Iuri communi, idque tradunt ex Gloſſ. *in cap. cum Dilectus de Conſuet.* & ex Innocent. *de Prabend.* & ex Abbate *in cap. Significatum*, & ex Rota *in Hiſpalenſ.* 14. Nouembris 1616. & ex alijs pluribus; vnde licet de Iure cōmuni obligatio ad Horas Canonicas ſit ſemper adnexa beneficio, vt deſumitur *ex cap. fin. diſt. 92.* addita declarat Leonis X. in Concil. Lateran. & Conſtitut. Pij V. cum tamen iſtæ Declarationes, & Sanctiones ſint factæ in fauorem Inſtituentium, & Fundantium beneficia, quibus

quibus de Iure Naturæ competit beneficij recompenſatio, quam compenſationem conſtituunt Sacri Canones in obligatione recitandi Diuinum officium, ſequitur, quod facta ab Inſtitutoribus beneficiorum ceſſione ſui Iuris ad talem compenſationem, poſſint etiam Ordinarij admittere, & adprobare tales Inſtitutiones, nulla appoſita obligatione recitandi Horas Canonicas. Neque obſtat, quod præter Ius Inſtitutoris ad compenſationem, cui poteſt cedere, aliud Ius interueniat, quod dicitur Ius Eccleſiæ, cui Iuri Eccleſia ipſa nunquam cedit, vnde ſaltem propter hoc Ius Eccleſiæ ſemper erit obligatio ad Horas Canonicas in Beneficiato, etiam ratione Iuriſpatronatus; dico enim Ius Eccleſiæ in hoc caſu ad exigendas Horas Canonicas non conuenire ipſi Eccleſiæ, niſi ſuppoſita Inſtitutione beneficij, & hoc cum originetur à voluntate Inſtitutoris, à quo trahit originem etiam beneficium, non habet locum, niſi tali voluntate ſuppoſita; cum hæc voluntas non ſit obligandi beneficiatum ad Horas Canonicas, neque Eccleſia, quæ conformatur voluntati Inſtitutoris, cenſetur imponere hanc obligationem, neque habet aliud Ius Eccleſia, niſi decernendi compenſationem in beneficio in Horis Canonicis, quæ compenſatio in hoc caſu, non requiritur.

LEX CXL.

Non ſemper permittenda ab Epiſcopis Inſtitutio beneficij omnino ſoluta ab obligatione Diuini Officij.

ARbitrio Prudentiæ Epiſcopalis relinquitur plerumque beneficiorum Inſtitutiones admittere, etiam non appoſita obligatione recitandi Horas Canonicas; idque ſatis demonſtratum eſt ratione, & etiam Doctorum authoritate: at vniuersè loquendo non ſunt eiuſmodi Inſtitutiones beneficiorum admittendæ, niſi appoſita obligatione recitandi Diuinum officium, cum in qualibet beneficij Inſtitutione ſit principaliter reſpiciendus cultus Diuinus, qui primariò intenditur, & debet intendi ab Eccleſia, & ab Inſtitutoribus beneficiorum, cultus autem Diuinus habetur in Eccleſia, maximè per recitationem Diuini officij. Nec beneficium, quod eſt res quodammodo Sacra, debet niſi Deo conſecrari; tametſi detur etiam in commodum ipſius beneficiarij; & licet Eccleſia ad inuitandos fideles ad beneficia inſtituenda permittat quandoque, vt Inſtituentes beneficia apponant pacta, & conditiones, quæ magis libuerint, quamuis ſint contra Ius commune, quod pro aliquâ vice poteſt relaxare; nõ propterea dicẽdũ, quod ſic ſemper, & vniuersè fieri poſſit, cum Eccleſiæ poteſtas non poſſit tollere, quæ ſunt debita Deo, & quodammodo de Iure Diuino, vt eſt cultus Diuinus exhibitus, per recitationem officij Diuini. Neque in hac re amplectenda eſt doctrina Paſqualigi *qu.*1. *Moral. ſelect. Iurid.* qui ſuſtinet eſſe probabile poſſe fieri quamcumque Inſtitutionem beneficij, non appoſita obligatione officij Diuini, cum id videatur eſſe ſemper liberũ fundatori, licet ſit contra Ius commune ducto exemplo à fundatione Hoſpitalium, quæ ex Iure communi debent ſubeſſe viſitationi Ordinarij, vt decernitur in Concil. Trid. *ſeſſ.*22.*cap.*8. *de Reform.* & tamen, ſi fundatores in ipſorum inſtitutione caueant, ne ſubſint tali viſitationi, præſertim conſentientibus Ordinarijs locorum, numquam poterunt viſitari, aut ſubijci viſitatio-

tationi, vt docent Alzedo *p.2. praxis Epiſc. cap.2. nu.56.* & etiam Diana *p.1. tract.2. reſolut.83.* ex Rota *deciſ.33. init. p.3.* Eſt enim in allata doctrina, & paritate maximum diſcrimen, cum inſtitutio Hoſpitaliũ nõ reſpiciat ĩmediatè, & directè cultum Diuinum, quemadmodum reſpicit Inſtitutio beneficiorum; Inſtitutio ſiquidem Hoſpitalium dirigitur ad ſubleuandam proximi miſeriam, & ad charitatem exercendam, quæ quomodocumque fiat, ſemper obtinet finem ſuũ,quod dici nõ poteſt de Inſtitutione beneficiorum, ſi ab ipſa tolleretur obligatio recitandi officiũ Diuinum,quia ſic tolleretur cultus Diuinus, per hoc autem,quod fiat aliqua Inſtitutio beneficij ſine tali obligatione, non tolleretur omnimodò, & vniuersè cultus Diuinus in beneficijs promouendis; cum caſus ſingulares nunquam officiant vniuerſali, &c.

LEX CXLI.

Non ſemper ab Epiſcopis præmittenda Tonſura ad beneficium.

AMbigit plerumque nec ſine ratione Epiſcopalis Prudentia,an quoquomodo alienum ſubditum poſſit facere ſibi proprium per collationem beneficij, antequam præmittat collationem primæ Tonſuræ, quam neceſſe eſt præcedere ad conſtituendum Clericum capacem beneficij; certum enim eſt, quod beneficium non poteſt conferri, niſi tonſurato,ex quo videtur ſequi, quod nunquam Epiſcopi alienum ſubditum non habẽtem primam Tonſuram poſſint facere ſibi ſubditum ratione beneficij. Quæ doctrina à me ipſo in praxim redacta eſt anno 1674.cum in Vicarium Generalem delegiſſem Leonardum Sirturum nobilem Mediolanenſem, virum intelligentia, & integritate præclarum, cui contra multorum Doctorum conſiliũ, & opinionem nolui ſimul, & ſemel, eodem contextu ſimul Tonſuram, & beneficium conferre, licet doctrinam à me hoc loco pro Epiſcopis tradendam iam optimè callerem. Poſſe igitur Epiſcopos ſimul, & ſemel eodem contextu conferre alieno ſubdito primam Tonſuram, & beneficium docet Paſqualig. *qu. Moral Iurid.27.* dummodo id non faciant aliqua fraude,vel figmento, hoc eſt,quæſito prætextu ordinandi nõ ſibi ſubditum;hoc enim expreſsè prohibetur *in cap. eos Clericos de tempor. ordin. in 6.* vbi *Gloſſ. verbo figmento* inter alia figmenta ponit Epiſcopi intentionem, ad hoc tantum, vt conferatur beneficium,vt ordinet; quia ſic principale intentum eſt conferendi ordinem non ſubdito, quod repugnat Concil.Trid. *de refor.ſeſſ.20.cap.9.* vnde ſequitur, quod ſi principalis intentio Epiſcopi eſſet de conferendo beneficio abſque vlla fraude,& figmento, ſola ſpectata dignitate perſonæ & Eccleſiæ vtilitate; in hoc caſu fortaſſis non intelligeretur prohiberi, neque per Canonem,neque per Gloſſ. & omnes doctrinæ,quæ afferuntur in oppoſitum poſſunt intelligi tantum ſuppoſita fraude, quæ nunquam interuenit, quando confertur beneficium alieno ſubdito propter ſolam dignitatem perſonæ,& vtilitatem Eccleſiæ. Ratio autem cur poſſint Epiſcopi conferre ſimul beneficium, & Tonſuram, eſt; quia poſſunt Epiſcopi eligere ad beneficium etiam laicum non ſubditum in ordine ad ſuſcipiendam Tonſuram, antequam inſtituatur in beneficio, vt habemus ex Rota in *Immolenſ. Iuriſpatron.* 19. Nouembris 1584. coram Ora. & ex declaratione S. Concil. Trid. *ad cap.* 10. *ſeſſ.*

ſeſſ.7. de refor. vbi conceditur Vicario Capituli Sede vacante poſſe dare Dimiſſorias ad primam Tonſuram ijs, qui præſentantur à Patronis Laicis ad beneficium Eccleſiaſticum Iuriſpatronatus ipſorum, vt illud valeant obtinere; cum igitur actus eligendi, præſentandi, inſtituendi, conferendi, ſint æquipollentes, & habeant vim faciendi ſubditos etiam non ſubditos Epiſcopo, ad quem ſpectant, propter Iuriſdictionem, quam poteſt in illos exercere, ſequitur, quod poſſint quicumque Epiſcopi conferre ſimul beneficium, & Tonſuram, etiam alienis.

LEX CXLII.

Semper ab Epiſcopis præmittendus aliquis actus ad Tonſuram, qui faciat proprium ſubditum, ſubditum alienum.

A Conſtitutione Bonifacij VIII. *in cap. cum nullus de Tempor. ordin. in* 6. capienda eſt ab Epiſcopis norma, vt licitè, & validè poſſint ordines, & Tonſuram conferre; certum eſt enim, quod non poteſt ab Epiſcopo ordinari, niſi ſubditus, ſiue ſit talis ratione originis, ſiue ratione domicilij, ſiue ratione beneficij, quo fit, vt ſubditus, niſi quoquomodo fiat ſubditus proprius, nunquam poterit ad Ordines, & Tonſuram promoueri. Poteſt autem alienus fieri ſubditus proprius, ſi conferatur illi beneficium, ſiue ſi eligatur, ſiue ſi præſentetur, ſiue ſi confirmetur; iſti enim actus omnes ſunt æquipollentes, vt habemus ex *Clementin.* 1. *iuncta Gloſſ. verbo conferuntur*, & ex Rota coram Veral. *deciſ.*36. *num.*15. *part.*3. & de ſua natura faciunt ſubiectionem Epiſcopo, qui ex vi illorum actuum poteſt in electos, & præſentatos ad beneficium exercere Iuriſdictionem, ex Seraphino *deciſ.*637. *num.* 1. Inſtitutio enim beneficij denotat ſubiectionem in Inſtituto *ex cap. decernimus*, & cum talis ſubiectio inducatur ex electione, ſeu præſentatione ad beneficium erit ſubiectio ratione beneficij ſufficiens ad recipiendam Tonſuram *ex cap. cum nullus in* 6. Ad quam etiam faciendam ſubiectionem non requiritur, quod Tonſurandus prius obtinuerit beneficium, ſed eſt ſatis, quod obtineat actu, quando actu Tonſuram accipit; Verba enim illius *cap. cum nullus*, ſunt, *In cuius Diœceſi obtinet beneficium*, non dicunt *obtinuit beneficium*, namque, ſiue ſit dudum obtentum, ſiue actu obtineatur, ſemper trahit ſecum ſubiectionem, qua vnuſquiſque ſubijcitur Epiſcopo loci, in quo ſitum eſt beneficium, vnde fit, quod Epiſcopus ratione beneficij, in ſua Diœceſi ſemper dicatur ordinare ſibi ſubditum, & non alienum. Præmittendus igitur erit ab Epiſcopis aliquis actus ſpectans ad beneficium ex ijs, qui trahunt ſecũ ſubiectionẽ quę ſubiectio ſẽper dicetur ratione beneficij, & talis ſubiectio erit ſufficiens ad Tonſuram; illa verò præmiſſio actus non debet antecedere tempore, ſed eſt ſatis, quod præcedat per inſtans naturæ, ita quod valeat ſemper dicere, quod Tonſura conferatur ſubdito; licet eodem tempore eſſet actus electionis ad beneficium, & collatio Tonſuræ. Neque obſtat, quod beneficium debeat ſemper ſupponere Tonſuram; hoc enim intelligitur de collatione conſumata beneficij, non de ſola inchoatione per electionem, vel præſentationem, qui actus ſufficiunt ad conſtituendum ſubditum, qui poſſit ab Epiſcopo tonſurari. Præter Paſqualig. *qu.*27. *Moral. Iurid.* poteſt videri etiam Paſſerinus *ad cap. nullus nu* 5. Fateor tamen eſſe potius doctrinam ſuſtinendam ſpeculatiuè, quam practicè.

LEX CXLIII.

Non permittenda ab Epiſcopis retentio plurium beneficiorum ſufficientium, etiamſi ſint Iuris patronatus.

COnſideranda ſunt beneficia, quæcumque ſint, ab Epiſcopali Prudentia, ſi ſint ſufficientia de ſe ad congruam, & honeſtam ſubſtentationem, nam hoc reſpicit diſpoſitio facta à Cōcilio Trid. *Seſſ.*24. *cap.*17. *de refor.* quod ſolum permittit plura conferri beneficia, ſi vnum non ſit ſufficiens pro ſubſtentatione, quod non videtur ita certum de beneficijs Iuris patronatus, vt notant Lambert *lib.* 2. *de Iure patr. par.*1. *&c.*& Maſſobr. *in praxi habend. concurſ.*7. *dub.*18. nam Concil. Trid. videtur prohibere ſolummodò collationem plurium beneficiorum ſufficientium, non verò inſtitutionem, & præſentationem ad plura beneficia, quæ ſint Iuris patronatus. Verior tamen, & certior doctrina eſt, quæ ex mente Concilij prohibet omnem pluralitatem beneficiorum ſufficientium, etiam Iuris patronatus in ordine ad retentionem. Ratio eſt, quia vnus, & idem eſt finis legis latæ à Concilio in omnibus beneficijs, ſiue obtineantur per collationem, ſiue per inſtitutionem, & præſentationem, cum intendat Concilium, quod conferantur beneficia quomodocumque ob honeſtam ſubſtentationem, quę ſemper haberi poteſt per vnicum beneficium ſufficiens, volens in hoc ſuperfluitatem in beneficijs ab Eccleſia eliminare, quod ſatis conſtat ex illis verbis Concil. Trid. *cap.* 17. *de refor. ſeſſ.*24. vbi declarans extenſionem ſuæ diſpoſitionis hæc habet. *Hacque non modo ad Cathedrales Eccleſias, ſed etiam ad omnia beneficia, tàm ſecularia, quàm regularia quæcumque, etiam commendata pertineant, cuiuſcumque tituli, ac qualitatis exiſtant &c.* In quibus vltimis verbis ob ſuam vniuerſalitatem videntur clarè comprehendi etiam beneficia Iurispatronatus, cum dictio illa, *cuiuſcumque tituli, & qualitatis,* ſe extendat ad omnia. Neque obſtat, quod dicit Concilium, eſſe vnicum tantum beneficium ſingulis conferendum, nec loquitur ibi de inſtitutione, ſiue præſentatione, ſed tantum de collatione &c. quę ſtrictè accipienda videtur; dico namque ibi Conciliū ſumere collationem pro quacumque conceſſione quomodocumque facta beneficiorum, cuiuſcumque generis ſint, & qualitatis, quod notauit etiam Rota *deciſ.*39.*n.*3. *in fin. part.*4. & coram Ludouiſio *deciſ.* 53. *n.* 6. An verò poſſit præſentari à Patrono habens aliud beneficium ſufficiens videtur ſatis declaratum à S. C. Concilij *ad cap.* 17. *de refor. ſeſſ.* 24. à qua tamen etiam ſtatutum eſt, quod obtenta pacifica poſſeſſione ſecundi, vacet primum, & mens Concilij eſt, ne plura conferantur beneficia ſufficientia in ordine ad retentionem, quod explicant Doctores quamplures cum Garzia *part.* 11. *de benef. cap.* 3. & cum Rota pluries. Verum tamen eſt, quod poterunt conferri beneficia Iurispatronatus etiam habentibus aliud beneficium ſufficiens abſque illius vacatione, ſi ita in fundatione diſponatur, vt eſt apud Garziam *de benef. part.* 11. *cap.* 5. *n.* 280. Ratio eſt, quia fundator beneficiorum de conſenſu ordinarij poteſt in limine fundationis apponere cōditiones etiam contrarias Iuri communi, vt habemus *ex cap. cum dilectus de conſuetudine*, vbi DD. id tradunt communiter etiam ex Rota *in Hiſpalenſ. Theſaurariæ* 14. Nouembris 1616. coram Pirouano, vnde erit ad libitum fundatoris etiam hanc peculiarem conditionem apponere, vt patet.

LEX CXLIV.

Permittenda quandoque ab Epiſcopis retentio plurium beneficiorum etiam ſufficientium ad ſubſtentationem.

QVod vni conferantur plura beneficia de ſe ſufficientia ad ſubſtentationem, videtur apertè eſſe contra mentem Concil. Trid. *Seſſ.* 24. *cap.* 17. *de refor.* intendit namq; Concil. remouere pluralitatem beneficiorum, ſi ſint de ſe ſufficientia, cum talem pluralitatem admittat ſolummodo ratione inſufficientiæ. Difficultas eſt, an ſit permittenda retentio plurium beneficiorum, quando vnum ex illis quoquomodo peruenit ad ſufficientiam. Doctores nonnulli volunt, quod ſi vnum ex beneficijs inſufficientibus retentis fiat ſufficiens ex induſtria, vel melioratione ipſius beneficiarij, in hoc caſu tale beneficium factum ſufficiens hoc modo, poſſit retineri cum alio, quia ſupponitur, quod talis beneficij incremētum ſpectet ad beneficiarium, non ratione tituli ipſius beneficij, ſed ratione induſtriæ, & expenſarum, cum melioramenta ſint ſemper ipſius meliorantis iuxta *l.* 2. *cap. de Prad.* vbi Bartol. Socin. & alij plures, & etiam iuxta Rotam coram Puteo *deciſ.* 275. *lib.* 3. & coram Merlin. *deciſ.* 363. *& deciſ.* 435. *part.* 1. *recent.* quæ melioramēta, licet poſtmodum non detrahantur à beneficio, beneficiarius tamen ijs non fruitur iure, & titulo benefic j, ſed iure, & titulo propriæ induſtriæ, & expenſarum, & ideò eodem modo res ſe habet, ac ſi beneficium non fuiſſet factum ſufficiens. Quid verò ſit dicendum, ſi beneficium factum ſit alio modo ſufficiens nōdum apud Doctores ſtatutum eſt, & Paſqualig. *Q. Iurid. Moral.* 138. putat adhuc retineri poſſe beneficium quomodocumque factum ſufficiens; dummodo in collatione fuerit inſufficiens, nam diſp. Concil. Trid. videtur ſe extendere tantum ad collationem; ſcilicet, ne conferantur plura beneficia ſufficientia, per accidens autem eſt, ſi tractu temporis vnum beneficium fiat ſufficiens, quæ doctrina licet fortaſſis probabilis ſit ex authoritate doctiſſimi viri, non eſt tamen ob ſupradicta ita facilè amplectenda, cum diſpoſitio Concilij nedum videatur excludere collationem plurium ſufficientium, ſed etiā retentionem.

LEX CXLV.

Collatores beneficiorum exigentes aliquid à beneficiatis, non ſemper damnandi ab Epiſcopis tamquam Simoniaci.

NOn eſt hic ſuadendum Epiſcopali Prudentiæ, quanta opus vigilantia ad tollendam omnem Simoniæ ſuſpicionem in pactis, & conuentionibus, quæ fieri poſſunt in beneficiorum reſignationibus, & collationibus; id enim ſuadetur ſatis ex Iure Canonico. At hoc loco ea tantum difficultas enodanda eſt, qua vertitur in dubium, an poſſint collatores beneficiorum aliquid exigere à beneficiatis applicandum, vel locis pijs, vel pauperibus, vel fabricæ Eccleſiæ, vel Sacriſtiæ, cum adſit quædam Conſtitutio Alexandri II. *in cap. ex multis* §. *conſtituimus*, quæ videtur expreſsè prohibere eiuſmodi exactiones etiam pijſſimas pro collatione beneficiorum; quam conſtitutionem videtur confirmaſſe etiam Rota coram Puteo *deciſ.* 396. *n.* 2. *lib.* 3. vbi decernitur omnem beneficiorum collationem eſſe nullam, ſi fiat cum onere, vt aliquid detur pro fabrica, donarijs &c.

Vera

Vera tamen allati textus intelligẽtia ea eſt, quod ſolum prohibeatur collatio beneficiorum tamquam ſimoniaca, ſi pro obtinendo beneficio, aut in eum præcisè finem, vt obtineatur, aliquid promittatur, vel conferatur fabricæ, aut alijs locis pijs; illa enim particula pro importat cauſam finalem, vt tradunt multi Iuriſtæ, & Canoniſtæ; vnde qui ex eo fine conferret, aut reciperet beneficium, & pactum iniret tribuendi aliquid, eſſet verè damnandus ab Epiſcopis tamquam Simoniacus ex illa Conſtit. Alexand. II. Quotieſcumque enim temporale ordinatur ad obtinendum ſpirituale, licet benè diſpenſetur, ſemper malè accipitur, vt conſtat ex verbis Summi Pontif. in illa Conſtit. In hoc igitur tantum caſu poſſunt, & debent Epiſcopi maximè inuigilare, ne quid Simoniacum, & prohibitum perpetretur iuxtà talem Conſtitutionem.

LEX CXLVI.

Permittendæ ab Epiſcopis collationes, & acceptiones beneficiorum, etiam cum pacto, & onere retribuendi aliquid de fructibus beneficij, locis pijs, fabricæ, Sacriſtiæ, vel Pauperibus.

Legem hanc Epiſcopalis Prudentiæ indicit Epiſcopis Concil. Trid. *de ref. ſeſſ.* 24. *cap.* 14. vbi ijſdem præcipit, ne permittant, vt beneficia conferantur, aut accipiantur cum pactis, & oneribus retribuendi aliquid de beneficijs, niſi id conuertatur in pios vſus, quam etiam exceptionem facit Pius V. in ſua Conſtitutione 104. §. 4. *tom.* 2. *Bullar.* cum ergo tã Concil. Trid. quã Pius V. admittant, quod pars aliqua fructuum beneficij exhibeatur à prouiſo pro fabrica, pro Sacriſtia, vel pro alio opere pio, dicendum eſt eiuſmodi conuentiones, & pacta eſſe actus licitos, & non Simoniacos, & ideò etiam eſſe admittendos ab ipſis Epiſcopis. Quinimò idem Concil. vocat laudabiles conſuetudines illas, quorum vigore aliquid exigitur ex beneficijs conuertendũ in vtilitatem Eccleſiæ, & in vſus pios; & hinc Summi Pontifices plures illa ſtatuta adprobarunt, & confirmarunt, in quibus decernitur ſoluendam eſſe certam portionem ratione nouæ poſſeſſionis Canonicatuum, quæ tamen conuertatur in fabricam, vel ornatum Eccleſiæ; & ad hanc rem refert Garzia *de benef. part.* 3. *cap.* 2. *n.* 198. declarationem S. Congr. Concil. *facto verbo cum Sanctiſſimo*, quorum verba apud ipſum videri poſſunt; licet enim fructus beneficiorum non ſint obligati Eccleſiæ, Sacriſtiæ, fabricæ &c. æquitas tamen exigit, quod Eccleſia participet aliquam portionem, dum inſeruit beneficiatis, & ſubminiſtrat commoditatem peragendi functiones, ad quas tenentur ratione beneficij; præſertim, ſi prouentus Eccleſiæ ſint tenues, & non poſſint commodè ſufficere pro manutentione.

LEX CXLVII.

Nulla gratitudinis obligatio ab Epiſcopis toleranda, quæ ſit in pactum deducta pro beneficialibus.

Horret integra Epiſcopalis Prudentia, vel ipſum Simoniæ nomen etiam à longè audire; ideò eiurare debet omnia pacta etiam de ſola gratitudine exercenda pro beneficialibus, quidquid dicant in contrarium Doctores aliqui, præſertim Couarr. *lib.* 1. *variar. reſolut.* Valent. *tom.* 3. *diſp.* 6. Tanner. *tom.* 3. *diſp.* 5. Cæleſtin. *tractat.* 5. *Compend. Theol. Moral.* Ghilin, *in Sum. V. benef.*

benef. Eſcobar. *in Sum. tract.* 5. Machad. *tom.* 1. *lib.* 3. *p.* 3. *tract.* 5. Diana *part.* 2. *tract.* 16. *reſolut.* 37. qui tamen hanc doctrinam tantum probabilem dicit; quę verè doctrina omninò improbabilis cenſenda eſt ex communiori Theologorum, & Canoniſtarum Sententia, qui pactum de exercenda gratitudine per obligationem deteſtantur, tàm in materia beneficiorum, quàm in materia mutui, idque expreſsè docet D. Thomas, 2.2. Q. 78. & cum ipſo viginti penè Doctores citati à Paſqualigo. *Q. Moral. Iurid.* 186. cum Gloſ. *in cap. ſi fœneraueris Q.* 3. & *in Clementin. V. opere de vſura &c.* Ratio eſt, quia pacta omnia in hac materia, tamquam de Iure prohibita, ideò prohibentur, quia Simoniam inducunt, vt habemus *ex cap. cum pridem, & ex cap. pactiones, & ex cap. quæſitum de rerum permutat.* omnis obligatio gratitudinis in pactum deducta, non eſt amplius actio libera, & liberalis, ſed debita, & neceſſaria ad compenſandum de temporali pro re ſpirituali, & ſic euadit Simoniaca, & prohibita; ſemper enim verificatur, quod res ſpiritualis deducitur in pactũ, & in contractum oneroſum, neque gratitudo amplius exhibetur, aut exercetur ab accipiente beneficium, tamquã res liberalis, neque vt libera retributio, ſed tamquam res debita, & debitor, niſi eſſet prohibitum, & inualidum taliter ſe obligare, poſſet legaliter compelli ad retribuendum id, quod promiſſum eſt. Addendum etiam, quod ſicut retributio ex ſola gratitudine, quia eſt omninò libera, & gratuita, excludit Simoniam, ità è conuerſo, gratitudo in pactum deducta, excludit libertatem, & liberalitatem, immò ipſam gratitudinem, quæ ſic non eſt amplius gratitudo, ſed debitum, & mutat omninò naturam.

LEX CLXVIII.

Permittendæ ab Epiſcopis retributiones liberales ex titulo gratitudinis pro beneficialibus.

Tametſi non facili negotio ſit ab Epiſcopis admittenda illa doctrina, quod liceat deducere etiam in pactum, quod licet præſtari ex gratitudine conferenti beneficium, & quod obligatio gratitudinis, vt inſita à natura, quocumque modo conſideretur, ſemper licita ſit; hoc adhuc non obſtante, erunt à Prudentia Epiſcopali, quandoque permittendæ quædam liberæ retributiones pro beneficijs, ſolo titulo gratitudinis faciendæ, abſque eo quod Simoniæ crimen perpetretur, cũ enim eiuſmodi retributiones liberè, ac liberaliter fiant, nec tranſeant ex pacto, vel ex debito in compenſationem rei ſpiritualis acceptæ, vel accipiendæ, ſed in ſolam extinctionem obligationis ex Iure naturæ contractæ erga benefactores nihil malitiæ dicuntur continere., cum potiùs ſint actus, & exercitia virtutis, qualis eſt gratitudo. Ex quo fit, quod in talibus retributionibus nulla interueniat Simonia, ſicuti neque interuenit, quando ex gratitudine pro accepto beneficio tẽporali datur aliquid ſpirituale iuxtà doctrinam Caiet. *in Sum. V. Simonia*. Soti. *lib.* 9. *de Iuſtit. & Iure* Suarez *tom.* 1. *de Relig.* Gaſpar. Hurtad. *de Iuſt. & Iur. diſp.* 5. & aliorum, quod etiam habetur *ex cap. dilectus de Simonia*, & ſic ſtatuendum eſt, etiam ante impetrationem beneficij eſſe licitum declarare animum de habenda gratitudine, quia hæc declaratio non inducit pactum, neque obligationem neceſſariam ex debito, ſed tantum exprimit id, quod debetur ex Iure naturæ. Quod verò, vt ſupponunt Doctores ſequentes oppo-

oppoſitam Sententiam, ſit vniuerſaliter verum poſſe in pactum deduci id omne, quod de ſe licitum eſt, non ita facilè concedendum eſt, nam plura ſunt de ſe licita, quæ eo ipſo, quo deducuntur in pactum, fiunt illicita, & mutant naturam; vt eſt in caſu noſtro; exercitium enim gratitudinis, quæ eſt virtus, ſemper eſt licitum, ſi tamen deducatur in pactum, deſinit eſſe actus virtutis, & fit crimen illicitum rationibus ſupradictis.

LEX CXLVIIII.

Conuentiones inter Beneficiarios, Penſionarios, & Titulares, ſiſtentes in ſola ceſſione, & permutatione exactionis fructuum Beneficiorum, non ſemper ab Epiſcopis damnanda tamquam Simoniaca.

SCio nequaquam latere Sapientiam, & Prudentiam Epiſcopalem, quæcūque ſit, tot Canonicas Conſtitutiones, & leges indictas eſſe ad abolenda omnia pacta, & conuentiones, circa Penſiones, & Beneficia, quæ quoquomodo redolent Simoniam, multiplici Iure prohibitam: Attamen, quia dari poteſt caſus, in quo nō ſit contra rationē, & præceptū, pacta quædam, & conuentiones inire circa fructus beneficiorum, ad purum temporale commodum partium conuenientium, neceſſarium duxi Epiſcopis nucleum in hac re ſanioris doctrinæ porrigere, ne in eiuſmodi pactis, & conuentionibus agitentur ſcrupulis. Suppoſito igitur, quod pacta, & conuentiones non afficiant titulos, & Iura beneficiorum, & penſionum, quæ communiter cenſentur quid ſpirituale, non videtur deforme, ac monſtruoſum in doctrina morali, & Canonica, quod circa meros fructus beneficiorum, & penſionum ineantur pacta, & conuentiones inter Beneficiarios, & Titulares, & Penſionarios; cum eiuſmodi fructus ſint merè temporales, & ſub libera diſpoſitione poſſidentium ipſa beneficia, & penſiones; vnde ſequitur, quod etiam conuentiones ſint res quædam purè prophanæ, & tēporales, vt notāt Gomez *ad regul. de infirm. reſignant. q. 6. V. Nā Penſiones,* & Gigas *Conſil 3. num. 5.* ſpecificantur enim eiuſmodi conuentiones à materia, circa quam verſantur, quæ eſt merè temporalis, & prophana; neque cōtractus prophanus indiget authoritate Papæ, aut diſpenſatione, cum ſit ex ſua natura in libero hominum commercio, iuxta *cap. Veſtra de locat. & Gloſſ. ibi*, & doctrinam aliorum *ad cap. ad hæc qu. 1.* Addo ex alia doctrina communiſſima, fructus penſionum, & beneficiorum eſſe ſeparabiles à iure ipſorum beneficiorum, & penſionum, quod eſt quid ſpirituale, ſicut fructus ex ſua natura ſemper ſunt quid temporale, quod habemus etiam *ex Gloſſ. in cap. Veſtra, &c.* ſupracitato; ergo poterunt ex pacto ſemper cedi in commodum alterius, intacto iure illos exigendi, vt conſtat etiam de vſufructu, qui non poteſt ſeparari à perſona Vſufructuarij, & tamen Vſufructuarius poteſt alteri illum cedere in commodo, transferendo in alium ſolam commoditatem; igitur concludendum eſt pacta, & conuentiones circa beneficia eſſe interdictas, quatenus tangunt ipſa beneficia, vel iura beneficiorum, non quatenus tāgunt ſolos fructus merè temporales.

LEX CL.

Damnanda ab Epiſcopis tamquam Simoniaca omnes conuentiones, & pacta, quæ tangunt beneficia, & penſiones, quoad ipſorum Iura.

NOtum eſt ſatis, nec maiori eget luce in hac re lumen Epiſcopalis Prudentiæ, quod omnia pacta, & conuentiones factæ circa materiam ſpiritualem beneficiorum, & Penſionum ſunt ipſo Iure nullæ, & Simoniacæ iuxta *cap. qui ſtudet qu.*1. *& cap. cum quidem, verbo non eam, & cap. Quæſitum de rerum permutat.* & etiam iuxta Rotam coram Puteo *deciſ.*167. & coram Seraphino *deciſ.*129. & iuxta reliquos Sacros Canones, Concilia, & Conſtitutiones Pōtificias; quidquid ſit, an ad tollendam Simoniam, ſufficiat, quod eiuſmodi pacta exprimantur Pontifici, & ab ipſo probentur, atque authorizentur, cum ſupponatur ab aliquibus Simoniam eſſe tantum prohibitam à Iure Eccleſiaſtico, & poſitiuo; quod tamen non admittitur ab ijs, qui docent eſſe rem intrinſecè malam, & etiam Iure Diuino, & naturali prohibitam. Cum igitur alibi à nobis dictum ſit, & probatum authoritate, & ratione, Iura percipiendi, & exigendi fructus in beneficijs, & Penſionibus eſſe quid Spirituale, conſequens eſt omnia pacta, & conuentiones circa talia Iura tangere materiam Spiritualem, & ſic indifferenter eſſe prohibita. Quod tamen affirmari non poteſt de pura ceſſione, & commoditate percipiendi tales fructus, quæ nec inuoluit, nec tangit talia Iura, vtpotè res omninò ſeiuncta, & ſeparata, vt ſupra dictum eſt. Quod verò in hac materia doceant multi DD. ad excludendam Simoniam in eiuſmodi pactis, & conuentionibus, non eſt hoc loco à nobis examinandum. Saniorem doctrinam nobis tetigiſſe ſatis.

LEX CLI.

Non permittendæ ab Epiſcopis reſignationes beneficiorum, vbi vel adeſt umbra pacti Simoniaci, etiam pro faciendis expenſis pro Penſione reſeruata.

ESſet quidem omni probro notanda illa Epiſcopalis Prudentia, quæ in beneficiorum reſignationibus admitteret pacta Simoniaca, vel etiam in leues Simoniæ ſuſpiciones, & tractatus acriter non animaduerteret; eiuſmodi enim pacta eiurantur omninò à Iure Diuino, & Canonico, vt ſcientibus patet. Non verentur tamen aliqui DD. affirmare, quod ſi eiuſmodi pacta in ſupplicibus libellis exponerentur Summo Pontifici, tunc ceſſaret omnis Simonia, & cenſeretur Summus Pontifex, admittens eiuſmodi reſignationes, illa pacta Simoniaca diſpenſare. Quod volunt DD. illi, etiamſi pacta illa, quæcumque ſint, neque eſſent inſerta in litteris Apoſtolicis, neque regiſtrata, eo enim ipſo, quod Pontifex admittit illas reſignationes cum notitia illorum pactorum, cenſetur ſuper illis diſpenſare. Epiſcopi autem etiam his ſuppoſitis, debent maximè vigiles eſſe, ne inter Clericos, & Subditos ſuos tractatus eiuſmodi Simoniaci agant radices, nec debent à pœnis in re tam graui abſtinere, tametſi ad ſanandas plagas recurrerent ad Summum Pontificem. De hac re alia plura congerit Paſqualig. *q.*70. *Iurid. Moral.* quæ apud ipſum poterunt videri.

LEX CLII.

Non intelligendæ exequutiones Penſionum tamquam paratæ, niſi prius iuſtificentur litteræ reſeruationis.

NOn rarò poteſt in ancipiti verſari Prudentia Epiſcopalis, quid ſibi agendum ſit in materia Penſionum, tàm ſi ſint ſoluendæ ab ipſis Epiſcopis, quàm ſi ſint ſoluendæ ab alijs, nimirum, an vt locum habeat exequutio Penſionis, neceſſe prius ſit, vt iuſtificentur litteræ reſeruatoriæ, poſſunt enim eiuſmodi litteræ reſeruatoriæ emanare à Sede Apoſtolica, non ſemper abſolutæ, ſed conditionatæ; ſcilicet appoſita conditione, quod Penſio reſeruata nō excedat talem quantitatem, &c. quo pacto videntur modo, poſt Bullam Vrbani VIII. omnes litteræ Apoſtolicæ reſeruatoriç, cum illa conditione, quod Penſiones nō excedant dimidiam partem fructuum, qua etiam conditione appoſita ſit, quod nulla Penſio poſſit transferri, ſi talem quantitatem excedat. Suppoſito ergo, quod litteræ Apoſtolicæ ſint expeditæ ſub tali, vel tali conditione, certum eſt, quod non ſunt intelligendæ habere paratam exequutionem, niſi prius iuſtificentur litteræ, & conſtet de verificata conditione, ſub qua fuerunt litteræ expeditæ, quod demonſtrant Garz. *de benef. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 58. & Zechius *de benef. cap.* 11. *num.* 6. adhærentes Rotæ *in Lunenſ. Sarzanenſ. Penſionis* 13. *Feb.* 1593. coram Seraphino, *& in Salmant. Penſionis* 26. *Martij* 1593. coram Gypſio, *& in Cluſin.* 9. *Decembris* 1573. coram Cardinali Lancelloto, & coram Millino *deciſ.* 237. *n.* 3. & alibi. Habent enim litteræ Apoſtolicæ ſemper exequutionem paratam, cum ſupponuntur iuſtificatæ quoad appoſitas conditiones, vt tradunt communiter DD. cum Rota *in Cremonenſ. Penſionis* 15. *Aprilis* 1611. coram Cauallerio, & alibi coram Pennia; non verò aliter; immò dato etiam, quod Titularis conſenſiſſet in Penſionem, adhuc eſſent iuſtificandæ litteræ reſeruatoriæ, ad hoc vt poſſet locum habere exequutio Penſionis, quod notant Garz. *de benef. p.* 1. *cap.* 6. *num* 464. & Lotter. *de benef. lib.* 1. *qu.* 38. *num.* 47. adhærentes Rotæ *in Salman. Penſionis* 26. *Maij* 1593. coram Gypſio, *& in Lunenſ. Sarzanenſ. Penſionis* 15. *Februarij* 1593. coram Seraphino, & coram Millino *deciſ.* 237. *num* 3. *&* ratio eſt, quia talis conſenſus non ſupponitur, niſi conditionalis, ſicuti reſeruatio ſemper ſupponitur conditionata; vnde ſi conditio non purificatur, euaneſcit totum, quod eſt ſub illa conditione, atque adeò non ſolum reſeruatio, ſed etiam conſenſus. Eſt doctrina maximè aduertenda in fauorem eorum, qui nimio Penſionum pondere grauantur; cum rarò in hac materia iuſtificentur litteræ Apoſtolicæ.

LEX CLIII.

Onera beneficijs adnexa abſque vlla conditione, vel limitatione impoſita, etiam in vnione beneficiorum ab Epiſcopis transferenda, & ſuſtinenda tamquam ſubſiſtentia.

IAm ex dictis conſtat ſatis quid agendum ſit Epiſcopali Prudentiæ, ſi onera beneficijs adnexa ſint tantum impoſita cum conditione, aut limitatione ſi vacent. Quid verò ab Epiſcopis ſit agendum ſi ſint adnexa beneficijs abſolutè, & abſque conditione, ex Iure Canonico clara non innoteſcit doctrina, nam Canoniſtæ quamplures in ipſo

in ipſo Iure fundati, volunt, quod pereunte titulo, & nomine ipſius beneficij pereat etiam onus annexum illi, vt beneficium eſt, & ſic non poſſe in vnione beneficij trãslationẽ oneris permitti, vel ſuſtineri tamquam ſubſiſtentẽ ab Epiſcopis. Alij tamen diuerſam tuentes doctrinam cum Paſqualigo *in cit. Quæſt.* aſſerunt, etiam facta quacumque vnione beneficij, ſemper cum ipſo tranſire onus annexum; quidquid ſit, an extinguatur titulus, & nomen beneficij, quod videtur colligi *ex cap. Tua nobis de verborum ſignificat.* licet enim extingueretur beneficium ſub nominè, titulo, & ratione beneficij, non extinguitur tamen titulus rei translatæ, quæ ratione oneris adnexi trahit ſecum Ius tertij reſeruatum, quod ſemper ſequitur rem, quæ transfertur, & ideò ſemper ſubſiſtit, vnde in prçiudicium tertij non poteſt perire illud onus adnexum, quod præiudicium ab Epiſcopis ſemper attendendum eſt. Atque ex hac doctrina colligitur, quod ſi vniatur Monaſterio, vel Collegio beneficium vacans, tenetur illud Monaſterium, vel Collegium ſoluere penſionem impoſitam ſuper beneficio vnito, quod habemus ex obſeruatione ipſius Rotæ coram Seraphino *deciſ.* 1410. *num.* 10. & coram Pennia *deciſ.* 1020. *n.* 17. onus quippe Penſionis non eſt onus afficiens beneficium ratione vacationis, ſed ratione fructuum, & ideò tranſit cum ipſo ad quemcumque perueniat, & proinde cenſetur ſemper præſeruatum ius tertij, quod ius intelligitur de Iure independente à vacatione, vt notat Abbas *in cap.* 2. *n.* 5. *de Relig. Domibus, &c.*

LEX CLIV.

Adnexa beneficijs onera non ſemper transferenda ab Epiſcopis, quando ſit beneficiorum vnio.

EST quædam doctrina communis apud Iuriſtas, & Canoniſtas, quæ aſſolet legem adſtruere pro agendis ab Epiſcopali Prudentia in vnione beneficiorum, quę tamen non ita vniuerſaliter intelligenda, neque accipienda eſt; licet enim ſit vniuerſaliter verum, quod res quæcumque tranſit cum onere ſuo, & quod eadem ratione debeat tranſire beneficium, quando tranſit in vnionem; attamen hęc doctrina multas patitur exceptiones; enimuerò debet res eadem permanere, vt ſecum in tranſitu onera trahat adnexa; beneficium verò, quod vnitur, in ſententia multorum, & etiam Rotæ in pluribus deciſionibus coram Verallo, & coram Merlino, quas citat Paſqualig. *Qu. Moral. Iurid.* 149. definit eſſe beneficium, quia ſupprimitur titulus, & fit fundus illius, cui vnitur; ſi autem corruit fundamentum oneris, videtur onus ipſum corruere: Addo, quod ſi onus impoſitum non afficiat beneficium abſolutè, ſed tantum conditionatè, nimirũ tempore vacationis nõ poteſt ſecũ trahere onus, niſi ſuppoſita vacatione, quia onus eſt coarctatum ad vacationem, & ipſam habet pro fundamento, non beneficium, niſi ſit qualificatum vacatione, quæ exceptio facta eſt à Rota coram Seraphino *deciſ.* 1410. *n.* 9. *& deciſ.* 659. *nu.* 11. *par.* 2. *Recent.* Sed hic aduertendum eſt, quod in beneficijs vnitis non habet locum vacatio, quod habemus ex Iure Canonico pluribus in locis, & ex ipſa Rota in pluribus deciſionibus; nam quod

non

non eſt amplius beneficium, vacare non poteſt, cum vacatio importet titulum, qui deficit in vnione, & ſic deficit poſſibilitas vacationis, quæ in ipſo fundatur.

LEX CLV.

Non requirendus ab Epiſcopis conſenſus Capituli ad vnienda Seminario beneficia ſimplicia.

EX *Clementin. 2. de rebus Eccleſiaſt. non alienand.* videtur ſatis clarè lex conſtituta Prudentiæ Epiſcopali in hac materia, à qua neque videtur poſſe recedere, contingente caſu; habentur enim in illa hæc prorſus verba de beneficio ſimplici, *per Epiſcopum ſuo conſentiente Capitulo vniatur*, vbi Gloſſ. ait, *conſenſum Capituli requiri tamquam conditionem neceſſariam, ſine qua non ſubſiſteret vnio*, quam doctrinam ſequũtur quatuordecim Claſſici DD. apud Paſqualigum *qu. Moral. cap.*120. qui etiam eamdem doctrinam acriter tuetur, plura adducendo in eius confirmationem, tum ex Iure Ciuili, tum ex Iure Canonico, afferens etiam plures Rotæ deciſ. coram Seraphino *deciſ.*1078.*n.*1. & etiam *deciſ.*688. *n.*2. *part.*1. *Recent. & deciſ.*465. *num.*5. *part.*2. Verum, his non obſtantibus, ſi diſpoſitio S.C. Trid. *Seſſ.* 23. *cap.*18. *de reform.* attendatur, non ita facilè hoc vinculum Epiſcopis inijciendum eſt, quo tenentur in vnione beneficiorum in re propoſita, vel conſenſum Capituli exquirere, vel eumdem conſenſum comitem, & veluti Epiſcopalis poteſtatis conſortem habere, cum ex verbis Concilij ſolummodo habeamus, eſſe Epiſcopis neceſſarium conſilium duorum ex Capitulo, non conſenſum totius Capituli; videtur enim Concilium Trid. hanc abſolutam poteſtatem vniendi beneficia Seminario ſolis Epiſcopis tribuere, licet cum aliquibus conditionibus, vt legenti verba Concilij facilè patere poteſt, & licet Concilium non deroget Iuri Canonico antiquiori, neque illi Clementin. 2. cum liberum relinquat Epiſcopis, eo vti poſſe ſi velint, diſponit tamen talem conſenſum Capituli non eſſe ab Epiſcopis requirendum, vel obtinendum, tamquam rem neceſſariam, quia ſicuti expreſsè requirit conſilium duorum de Capitulo, pari modo expreſsè requireret conſenſum totius Capituli, cuius neque meminit. Nec video quomodo ex diſpoſitione Concilij colligat Paſqualigus eſſe ſeruandam formam præſcriptam ab illa Clementina in vnione beneficiorum, cum nihil prorſus de illa tangat, & gratis ab ipſo dicitur ſpectare ad duos de Capitulo conſulere, ſed ad totum Capitulum ſpectare ſimul cum Epiſcopo facere vnionem beneficiorum, cum poteſtas vniendi ſit tota penes Epiſcopum, & conſenſus Capituli, dato, quod requireretur, eſſet ſemper conditio extrinſecè requiſita, ad hoc, vt Epiſcopus exerceret ſuam poteſtatē in vniendis beneficijs; nec aliter ſanè philoſophari poſſumus in hac materia; licet enim in materia Morali, & Canonica plura ſint requiſita, quorum vno deficiente, deficit validitas ſubſtantialis actus, qui ſit ſine illo, in hoc tamen caſu cum conſenſus Capituli non exprimatur à Concilio Trid. tamquam vnum ex ſubſtantialibus requiſitis ad vnionem beneficiorum, neque ab Epiſcopis cenſendum eſt tale, quidquid dicat in contrarium Paſqualig. cum alijs.

LEX CLVI.

Habendus tamquam ſufficiens conſenſus Capituli, etiamſi ſuperueniret vnioni beneficiorum iam factæ ab Epiſcopo.

EX ſuppoſitione, quod ad vnienda Seminario beneficia ſimplicia requireretur Capituli conſenſus, remanet adhuc Prudentiæ Epiſcopali dubitandi locus, an eiuſmodi conſenſus ſufficiat ad validandam vnionem, ſi iam poſt factam ab Epiſcopo ſuperueniat. Doctores omnes ſupra relati, qui putant non valere talem vnionem, niſi interueniat Capituli conſenſus quando fit, conſequenter affirmant talem ſuperuenientiam conſenſus non poſſe conualidare rem iam inualidè factam, cum ſit de neceſſitate, quod ſimul actu ſint cõſenſus, & vnio; quę tamen doctrina, vtpotè fundamento deſtituta, à nobis non admittitur, vnde cum alijs DD. quos refert ipſe Paſqualigus ſibi contrarios in illa *Qu. Moral. Iurid.* 121. aſſerendum eſt, dato, quod requireretur conſenſus Capituli, verè ſufficere, tametſi ſuperueniret vnioni iam factæ ab Epiſcopo. Ratio eſt, quia, quando plura ſunt neceſſaria ad validitatem alicuius actus, licet aliqua ex illis deficiant, actus tamen remanet validus ex parte aliorum requiſitorum, quæ concurrunt ad illud, ergo cum ſemper actus retineat validitatem, quoad partem (puta quoad poteſtatem Epiſcopi à Concilio conceſſam) ſi poſtmodum accedant alia requiſita validantia quoad aliam partem, ſemper poterunt facere validitatem integram, & perfectam; maximè quia *per textum Clementin. 2. de rebus Eccleſ. non alienand.* non præſcribitur tempus, ſed tantum dicitur, *conſentiente Capitulo*, quæ verba non exprimunt aliquod tempus determinatum, & hæc doctrina habet fundamentum *in cap. cum nos, de his, quæ fiunt à Prælat.* vbi conceſſio Eccleſiæ facta ab Epiſcopo Religioſis conualidatur, ſi poſtea Capitulum eam ratam habuerit.

LEX CLVII.

Admittendus quandoque ab Epiſcopis etiam non Sacerdos ad præſentationem exigentem Sacerdotium.

NOn audet aliquorum Epiſcoporũ Prudentia eos, qui præſentandi ſunt ad beneficium gradu Sacerdotali inſigniti, non adhuc Sacerdotes ad præſentationem admittere; enim verò, nec fortaſſis ſine ratione putant eſſe nullam, & inualidam illam præſentationem, quæ fit ſine qualitate requiſita à fundatore beneficij, ex cuius diſpoſitione reputatur inhabilis, & incapax ad beneficium non Sacerdos; habemus enim *ex l. quod initio ff. de regul. Iur. & ex cap. non firmatur de regul. Iur. in 6.* quod id, quod eſt nullum ab initio, non firmatur tractu temporis, vbi docent cõmuniter DD. quod qualitas, quæ fundat habilitatem perſonæ, debet initio actus interuenire. His tamen non obſtantibus abſque vllo Prudentiæ, vel conſcientiæ ſcrupulo Epiſcopi poſſunt etiam non Sacerdotes ad præſentationem admittere, dummodò quando perſonaliter ſe ſiſtunt coràm Inſtitutore ſint facti Sacerdotes. Sic præter Luppum *alleg.* 75. Garziam *de benef. part. 7. cap.* 5. Paſqualig. *Q. Moral. Iurid.* 106. ſentit Rota *deciſ. 3. de iurepatr. in nouiſſ. & in Immolenſi Iuriſpat.* 19. Nouemb. 1584. coram Orano, *& in Maceratenſi Capellania* die 15. Maij 1564. coram Aldobrand. *& deciſ. 4. n. 2.* coram Penia,

nia, *& in Aquilana Iuriſpat.* 14. Ianuar. 1646. coram Eminentiſſimo Corrado apud Vicarium *de Iurepat. deciſ.* 188. Nec deſunt pro hac parte rationes, nam præſentatio non perficitur, niſi quando præſentatus ſe ſiſtit coram Inſtitutore, cum præſentari ſemper dicat relationem ad Inſtitutorem, à quo petenda, & accipienda eſt inſtitutio, vnde fit, quod tunc tantum intelligatur perfecta præſentatio, cum fit beneficij inſtitutio, & tunc ſufficit, quod non Sacerdos electus, nominatus, & præſentatus à Patronis ſe ſiſtat factus Sacerdos. Ea veró quæ præcedunt, vt ſunt deliberatio Patronorum, collectio ſuffragiorum, ſi plures ſint Patroni, expeditio literarum præſentationis, & id genus alia, ſunt potiùs præſentationis inchoationes, quàm præſentatio; quod notauit etiam Abbas *in cap. fin. n. 4. de Iurepat.* Igitur, vt præſentatio ſit valida ſufficit, ſi qualitas requiſita à fundatore beneficij reperiatur in præſentato tempore, quo perficitur ipſa præſentatio, vt dictum eſt; maximè quia qualitas Sacerdotij, quæ exigitur à Fundatore, non eſt propter ipſam præſentationem, ſed propter inſtitutionem, vt ſcilicet beneficium non conferatur, niſi habenti talem qualitatem.

LEX CLVIII.

Præſentati ad beneficia inſtituendi ab Epiſcopis iuxtà mentem Fundatorem.

SIc in inſtituendis beneficijs debet eſſe Epiſcopalis Prudentia addicta, immò deuincta menti Fundatoris, vt nihil ex ipſa, quod ſubſtantiale ſit, ipſi liceat immutare, idque cum in doctrina communi nullam patiatur difficultatem, pro re certiſſima apud Epiſcopos habendum eſt. Cum itaque beneficij fundator eam apponat conditionem, vt ſit Sacerdos ille, qui erit inſtituendus, certum eſt, quod non poſſunt Epiſcopi non Sacerdotem inſtituere, licet ex dictis poſſint quoquomodo ad præſentationem admittere, cùm inſtitutio ſit complementum præſentationis faciendæ iuxtà mentem fundatoris; habemus enim *ex cap. cum olim, & ex cap. fin. de electione in* 6. quod Epiſcopi tenentur examinare ſuper requiſita ad inſtitutionem, idque non alia de cauſa, niſi vt impleatur mens fundatoris requirentis hanc, vel illam qualitatem in præſentando, ſiue in præſentato ad beneficium. Neceſſe eſt ergo, vt quando fit inſtitutio beneficij ſemper interueniant qualitates requiſitæ à fundatore, alioquin tàm præſentationes, quàm inſtitutiones eſſent omninò nullæ, & abolendæ. Verum tamen eſt, quod non eſt neceſſe, vt qualitates requiſitæ ſint in principio, ſeu in inchoatione ipſius inſtitutionis, quæ fit per primum actum præſentationis, vt dictum eſt, ſed ſufficit, quod interueniant, quando completur ipſa inſtitutio; licet hoc complementum eſſet in aliquo vltimo inſtanti tẽporis imaginario; ſatis enim eſt, quod tunc habeantur qualitates requiſitæ, quando inſtitutio beneficij intelligitur completa, & formata.

LEX CLVIIII.

Permittenda ab Epiſcopis alienatio Patrimonij per ſubrogationem beneficij æquiualentis.

EX diſpoſitione Concil. Trid. *Seſſ.* 21. *cap.* 2. *de ref.* ſatis conſtare poteſt Epiſcopali Prudentiæ, quid ſibi agendum ſit, cum contingit caſus alienandi Patrimonium per beneficij æquiualentis ſubrogationem; ait enim Concil. *Patrimonia, & Penſiones; ad quorum titulum*

tulum ſæpe ſæpius ordinantur Clerici, non poſſe abſque licentia Epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti, donec beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti, vel aliunde habeant, vnde viuere poſſint, ex qua diſpoſitione patet, quòd ſub prohibitione Concilij non cadit quæcumque alienatio, ſed tantum alienatio abſque licentia Epiſcopi, & ſic videtur conceſſa omnis alienatio, quæ fit cum licentia ipſius Epiſcopi, nam prohibitum de vno cenſetur cõceſſum de altero iuxtà *l. cum præter ff. de iudic.* maximè, quia ante Concil. Trident. vt tradunt DD. quamplurimi apud Paſqualig. *Q. Iurid. Moral.* 68. patrimonium poterat alienari ſine licentia Epiſcopi. Non eſt autem ita certum apud DD. an pro alienatione Patrimonij, etiam facta ſubrogatione beneficij æquiualentis, requiratur adhuc Epiſcopi licentia; cũ ex Trid. hoc expreſsè non habeatur, quinimò Garz. *de benef. part.* 2. *cap.* 5. *n.* 186. & cum ipſo Paſqualig. *l. c.* videntur contrarium docere, ſed ſemper tutius erit, quòd Epiſcopus cognoſcat eiuſmodi alienationes, & ſubrogationes, vt probetur ſufficientia redditus ad commodè tranſigendam vitam, atque in eiuſmodi rebus cognoſcendis, & examinandis præter iudicium, debet accedere Epiſcopi conſenſus, & beneplacitum. Quæ dicta ſunt de Patrimonio, ad cuius titulum aliquis ſupponitur ordinatus, etiam dicenda ſunt de Penſione, ſi ſit in titulum ordinationis collata, aut expreſſa.

LEX CLX.

In quacunque alienatione Penſionis, vel Patrimonij examinanda ab Epiſcopis ſufficientia beneficij ſubrogandi.

NOn impleret numeros vigilantiæ Paſtoralis Prudentia Epiſcopalis ſi in concedenda Patrimonij, vel Penſionis alienatione, non benè priùs reuocaret ad trutinam ſufficientiã beneficij ſubſtituendi in locum Patrimonij, cum enim ex diſpoſitione Trid. *Seſſ.* 21. *de refor. cap.* 2. ſit ſemper exigenda ab Epiſcopis in Clerico commoda ſubſtentatio, vel ratione beneficij, vel ratione Patrimonij; quod eſt etiam iuxtà Conſtitut. Pij V. quæ eſt 58. in Bullar. non poteſt id fieri, niſi accuratè examinentur redditus beneficij. Quanti autem debeant eſſe eiuſmodi redditus ad commodam ſubſtentationem neceſſarij nondum apud DD. ſtatutum eſt. Communiter tamen volunt requiri tot redditus, quot ſufficiant ad victum, & veſtitum, & alijs neceſſarijs pro conditione ſtatus cuiuſcumque; vnde in hac re eſſet deſumenda regula à ſufficientia Patrimonij, attenta vniuerſali ipſius Eccleſiæ conſuetudine.

LEX CLXI.

Ab Epiſcopis nunquam permittendæ reſignationes beneficiorum, ſi reſignantes non habeant aliunde, vnde viuant.

REſignationem cuiuſcumque beneficij, ad cuius titulum reſignans ſit ordinatus, eſſe omninò nullam, niſi obtineatur licentia; & fiat expreſſa mentio de ordinatione ad illius titulũ, ſua lege præſcribit Concil. Trid. *de ref. ſeſſ.* 21. *cap.* 2. neque in hoc alia lege in-

diget

diget Epiſcopalis Prudentia. Id, de quo dubitari poteſt, & de quo neque diſponit Trid. eſt quid ſit agendum Epiſcopali Prudentiæ, cum reſignans beneficium, verè non eſt ordinatus ad illius titulũ, ſed tamen non habet aliundè, vnde vitam tranſigere queat; licet enim adſit quædam diſpoſitio Pij V. *in ſua conſtit.* 58. *tom.* 8. *Bullar.* quæ incipit *Quanta Eccleſiæ Dei* ſub Kalend. April. 1568. vbi apertè ſtatuitur, neminem ſacro ordini mancipatum, niſi Religionem ingrediatur, poſſe beneficium, vel officium reſignare, niſi aliundè ei ſit, quo commodè in vita poſſit ſubſtẽtari, cum non propterea ſit ita certum, an illa diſpoſitio procedat tantum de reſignatione facta coram Ordinario, vel etiam de reſignatione facta, vel facienda etiam in Curia coram Pontifice, ideò res eſt hoc loco vniuersè decernenda. Tutior doctrina in hac re ea eſt, nunquam eſſe permittendas reſignationes beneficiorum ab Epiſcopis, ſi reſignantes non habeant aliundè, vnde viuant; cum eiuſmodi reſignationes ſint omninò nullæ; vt patet ex ſupradicta Conſtitut. & ex Rota *deciſ.* 539. *n.* 11. *tom.* 2. *part.* 4. *recent.* & coram Eminentiſſimo Otthobono *deciſ.* 194. *n.* 10. Nullitas autem huiuſmodi reſignationum deſumitur ex eo, quod Ordinarijs non conceditur illas admittere, niſi reſignantes habeant aliundè, vnde viuant, vt ſatis conſtat ex illis verbis Conſtit. Pij V. *Niſi eis ſit, quo aliundè poſſint commodè in vita ſuſtentari &c.* dictio enim *niſi* importat conditionem, ſine qua non; & ideò, ſi deſit talis conditio, actus erit nullus, vt notant communiter DD. cum *Gloſ. in cap. cum dilecta verb. Irritum de reſcrip.* qui volunt eſſe nullum, non ſolum ex parte reſignantis, ſed etiam ex parte recipientis, etiamſi fieret coram Pontifice in Curia, cum ſemper ſit ſupponenda talis conditio, quæ ſi deficiat, reddit actum nullum coram quocumque; ſiue ſit Ordinarius, ſiue ſit Pontifex. Quæ nullitas reſignationis intelligenda eſt, etiamſi reſignans beneficium haberet Patrimonium, ad quod eſſet ordinatus, ſi tale Patrimonium eſſet inſufficiens pro illius ſubſtentatione; ſemper enim deficeret illa conditio, quæ habet rationem formæ pro validitate reſignationis, quod tenuit Rota *deciſ.* 194. coram Eminentiſſimo Otthobono.

LEX CLXII.

Neque permittendæ reſignationes beneficiorum cauſa permutationis, ſi deſit ſupra requiſita conditio.

IN hac re ſatis ſternit incedendi viã Prudẽtię Epiſcopali diſpoſitio Concil. Trid. *cap.* 2. *de ref. ſeſſ.* 21. cum decernit, neminem ordinatum ad titulũ beneficij, poſſe illud reſignare; niſi facta mentione, quod ad illud fuerit ordinatus, & quod reſignatio non poſſit admitti; niſi ſit, vndè vita tranſigatur honeſtè iuxtà decentiam ſtatus Clericalis; quia tamen ab aliquibus dubitatur, an id etiam locum habeat in reſignationibus, quæ fiunt cauſa permutationis, ideò de his quoque pauca ſuggerenda ſunt, cum nulla de his, & de alijs diſparitas innoteſcat; fuit enim Concil. finis, vt conſtat ex proemio illius cap. quod in ſacris conſtituti non cogerentur mendicare, aut turpibus vacare quæſtubus, cum neque permittat Patrimonium alienare, ſi non ſuperſit aliundè, vnde vita traducatur commodè. Quod eſt intelligendum, etiamſi reſignans beneficium cauſa permutationis, ſine debita appoſita conditione, cuius defectu ſemper reſignatio eſſet

nulla,

nulla, conſequeretur pro ſubſtentatione aliud beneficium, quod iam pacificè poſſideret; cum enim reſignatio ab initio fuerit nulla defectu formæ non ſeruatæ, non poteſt ex eo conualeſcere, quod poſtea ſuperuenit, præſertim cum per illud conſequens non inducatur forma requiſita pro validitate; quemadmodum etiam, ſi deficeret expreſſio, quod reſignans fuerit ordinatus ad titulum illius beneficij, quæ quidem requiritur à Trident., etiamſi fieret per aliquem actum ſubſequentem, non ſufficeret ad conualidandam reſignationem.

LEX CLXIII.

Ab Epiſcopis haud facilè admittendæ diſpenſationes ſuper pluralitate beneficiorum in ſuis ſubditis.

PLuralitas beneficiorum in vno, quæ damnatur ex ſenſu communi Sanctorum Patrum, ex ſenſu communi Canoniſtarum, & Sacrorum Canonũ apud Brauum *excit.* 2. non facilè ab Epiſcopis probanda eſt; neque enim Epiſcopalis Prudentiæ, aut officij Paſtoralis numeros impleret ille Epiſcopus, qui ſine neceſſaria ad eiuſmodi diſpenſationes cauſa, pluralitates beneficiorum admitteret; cum enim ex communi doctrina quodcunque beneficium detur propter officium, pro vnico tantum officio, non poteſt quis gaudere multiplici beneficio, idque etiam habetur *ex cap. fin. de Reſcrip. in* 6. Addit S. Thom. *quodlib.* 9. *art.* 15. *& quodlib. art.* 13. quod eſſet maximum inconueniens, ſi vnus plurium ſtipendia, vel præmia haberet; ſi per eiuſmodi pluralitatem vni collatam ille cultus Diuinus minueretur, qui magis, & melius per plures miniſtros haberetur, quàm per vnum; ſi Inſtitutorum intentio fraudaretur, qui ad augendum numerum Deo inſeruientium ſua bona Eccleſiæ contulerunt, erigenda in beneficia plura; ſi Iuſtitia diſtributiua læderetur vni tantum tribuendo, quæ pluribus Clericis, ac pauperibus tribui poſſet, ac deberet; ſi denique daretur locus ambitioni, & auaritiæ in Eccleſia, vbi omne mundum à ſorde eſſe deberet; ex quo etiam Eccleſiaſticus ordo poſſet præuerti, & Clericorum honeſtas corrũere, ad quod malum tollendum ſapientiſſimè prouiſum eſt circa pluralitatem beneficiorum in Concil. Niceno, in Concil. Calcedon. in Concil. Later., & poſtremò in Conc. Trid. *cap.* 17. *de refor. ſeſſ.* 24. ſi tamen adſit aliqua ratio, vel cauſa cohoneſtans eiuſmodi diſpenſationes, quemadmodum ſæpius contingit in diſpenſationibus Apoſtolicis, nimirum vel ad promouendam maiorem Eccleſiæ vtilitatem in aliquo viro egregio, vel ad præſtandas congruas ſubſtentationes in ijs, qui tanta inopià laborant, vt etiam in neceſſarijs deficiant, vel ad id genus alia; tunc Sum. Pontificum exemplo poterunt etiam Epiſcopi eiuſmodi diſpenſationes admittere ſine nota, & ſine culpa; quidquid ſit, an eiuſmodi diſpenſationes ſine cauſa factæ ſint contra ius naturæ, contra Ius Diuinum, & contra ius poſitiuum, vt opinatur Brauus *in excit.* 2.

LEX CLXIIII.

Neque ab Epiſcopis ſine cauſa vnienda beneficia, ſiue in vnum congerenda.

CVm ſit in more poſitum apud quoſdam Epiſcopos vnibilia beneficia in vnum redigere, ac facili negotio pleroſque etiam non benemeren-

rentes pluribus beneficijs cumulare, ea prudentiæ lex ijs videtur indicenda, qua apud Sacros Canones cauetur, ne Eccleſiaſtica beneficia, niſi vrgente aliqua cauſa, & ratione congerantur in vnũ; eædem namque rationes, quæ ſuadent Epiſcopis, vt abſtineãt à diſpẽſanda beneficiorum pluralitate, eædem prorſus militant in beneficiorum vnione facienda, quæ ſanè niſi excellens aliquod concurrat meritum, vel egentiſſima ad congruam ſubſtentationem inopia, fieri non poteſt; præ oculis etiam in hoc habita ſemper Eccleſiæ vtilitate, indigentia, & exigentia. Quæ doctrina intelligenda eſt, non ſolum de beneficijs reſidentiam requirentibus, de quibus id certiſſimum eſt in Trid. *Seſſ.* 24. *de refor.* ſed etiam de alijs, ſiue ſint regularia, ſiue ſæcularia, ſiue Patrimonia, ſiue Præſtimonia, ſiue ſint Capellaniæ, ſiue Commendæ ad vitam, & perpetuam adminiſtrationem inſtitutæ; hæc enim omnia non poſſunt abſque legitimâ causâ vniri, neque ad ſolam beneficiarij vtilitatem, niſi etiam vtilitas, & euidens neceſſitas Eccleſiæ interueniat. Atque in re tam graui regula deſumenda eſt à praxi, in qua verſari ſolent Summi Pontifices, quibus conſuetum eſt ad diſpenſationes, ac vniones eiuſmodi beneficiorum, vel Commendarum, tantum ex vrgentiſſimâ causâ concurrere, tametſi in ipſis ſit ſumma poteſtas, cum & ipſi in Iure naturæ, & Diuino diſpenſare non poſſint, niſi diſpenſationis actio cohoneſtetur, ac omni prorſus malitia euacuetur, quædam enim ſunt intrinſecè mala, & prohibita, quia mala, quæ nulla ratione bona fieri poſſunt, vt odium Dei &c. alia aut mala tantum, quia prohibita, aut etiam intrinſecè mala, vt furtum, & homicidium, quæ tamen aliquando cohoneſtationem, ſiue actionis honeſtatem ſuſcipiunt ex aliqua legitima cauſa, atque ex hoc genere plura poſſunt Summi Pontifices, & Epiſcopi ſuis diſpenſationibus in bonum aliquod perducere, licet videantur primo contuitu Iuri naturæ, & Diuino aduerſari; & licet vulgò dicatur, quod Papa omnia poteſt, & quidquid poteſt Papa Romæ, poſſit Epiſcopus in ſua Diœceſi, id tamen ſano modo ſemper eſt intelligendum; poſſunt enim omnia Pontifices Claue directâ, non Claue obliquâ, neque portæ Regni Cælorum, aut earum ſeræ Claue obliqua poſſunt aperiri, quod etiam Epiſcopis ſuo modo aptãdum eſt, quemadmodum colligitur *ex Canon.* 37. 39. *&* 40. ex Concil. Triden. *Seſſ.* 25. *cap.* 1. & etiam *ex Clementin. & ex Extrauag.* Pauli II. *titul. de rebus Eccleſiaſt. non alienandis.*

LEX CLXV.

Non ſemper ab Epiſcopis conferenda beneficia ad rigorem examinis.

EA Epiſcopis omnibus indicitur Prudentiæ lex in conferendis beneficijs à Sancta Synodo Trid. *Seſſ.* 24. *de ref. cap.* 28. vt nullum conferant beneficium curatum, niſi præuio diligẽti examine, & niſi conuocatis concurrentibus per edictum; ex qua lege inferunt Doctores ferè omnes in hac materia, tunc ſolummodò Epiſcopos legem implere Concilij, cum beneficia conferunt ad rigorem examinis. At eiuſmodi Doctrina non videtur cohærere præmiſſis doctrinis noſtris, cum enim examen præcipiatur à Concilio tantum ad ſcientię ſufficientiam indagandam, quę ſanè vnum eſt ex requiſitis pro iuſta, & recta beneficiorum collatione, cùm tamen ipſa non ſit omne requi-

requiſitum, poterunt Epiſcopi alijs in aliquo concurrentibus requiſitis, aliũ poſtponere, qui in concurſu perfectior in ſcientia fuerit inuentus; & ideò ab ipſis non erit ſemper attendendus examinis rigor, cum poſſit contingere, aliquem virum ſapientiorem eſſe moribus, & vita improbiorem, in quo caſu vitę probitas eſt ſemper prçferenda, vt res magis intrinſeca ſtatui Eccleſiaſtico. Vbi verò in concurrentibus inueniantur cętera paria, ſanè rigor examinis attendendus, ne fiat perſonarum acceptio, aut Iuſtitię diſtributiuę culpabilis lęſio. Non audeo tamen aſſerere, quod affirmant Caiet. Salon. Molin. Gutierez, Vaſquez Fernandez, & alij apud Dianam *tract.4. miſcell. reſolut.* 210. *fol.* 150. Epiſcopos illos, qui ſpectatis omnibus requiſitis etiam per examen non conferunt beneficia dignioribus, teneri ſingulis annis ad reſtitutionem eorum fructuum, quibus fruuntur minus digni, cum cenſeantur dignioribus ſurrepti, quia iam per cõcurſum ius adquiſierant; ſuppono enim ius ad beneficia obtinenda eſſe ęquale in omnibus concurrentibus dignis, licet fortaſſe non dicatur ęquale in comparatione digniorum, qui videntur ius amplius habere, quàm ſoli digni; cui tamen iuri ſupplere poteſt vis, & liberum arbitrium, quod à pleriſque conceditur Epiſcopis eligendi dignos etiã in comparatione digniorum, quę electio, ſi fiat, cum ſit ſecundum iuſtitiam, non imponit Epiſcopis aliquam reſtituendi obligationem. Additur quod ſecundum doctrinam obligantem Epiſcopos ad reſtitutionem, ſi in beneficijs curatis omittant digniores, non imponitur eadem obligatio in alijs beneficijs, & tamen digniores ſemper retinẽt ad illa ius intrinſecum maius, ratione maioris dignitatis; nec videtur diſpar ratio ratione iuris, & Iuſtitię; vnde colligitur, quod ſi non eſt obligatio reſtitutionis in Epiſcopis pro alijs beneficijs, neque ſit pro curatis, & ad ſummum poſſet dici cum aliquibus, Epiſcopos peccare contra debitum fidelitatis, ratione malę adminiſtrationis ex officio, ſi dignis poſtponerent digniores, quod tamen neque ita facile admittendum eſt. In foro tamen externo collatio beneficij Curati digno facta prętermiſſo digniori, hoc conquerente, & probante ſolet reuocari, & affert Diana *l. c.* declarationes Sacrę Rotę *in vna Tudenſi* 18. Aprilis 1603. coram Sacrato, *& in vna Verunnenſi* 18. Decembris 1581. coram Gypſio, & alias eiuſmodi Doctorum obſeruationes ad *Decret.* Gregorij XV. quę omnia indicant collationes eiuſmodi non probari quod teſtatur etiam Io: Valerius *in differen. vtriuſque fori*.

LEX CLXVI.

Nulla beneficiorum collationes admittenda ab Epiſcopis, ſi ſint facta cum aliquo impedimento Canonico.

IN hac re capienda eſt Epiſcopis Epiſcopalis Prudentię lex ex *text. Canonico in cap. niſi cum pridem de renunciat. & ex cap. Illiteratos*, vbi habentur illa verba, *qui literis caret, Sacris non poteſt eſſe aptus officijs*, & in Bulla Pij V. quę incipit: *In conferendis beneficijs*, ex quibus apertè colligitur, quamcumque collationem beneficij factam indigno illiterato, vel alio eiuſmodi impedimento Canonico innodato irritam eſſe ipſo facto, cum apud Doctores ſupponatur irregularis; licet Nauarr. *cap.* 22. *n.* 21. videatur limitare hanc doctrinam, ſcilicet dummodo non adſit ſpes breui tempore remouendi tale impedimentum Canonicum;

nicum; quod præſertim intelligendum eſt de ſcientia, quæ ſine multo temporis interuallo adquiri poteſt, ſaltem pro ijs, quæ ſpectant ad beneficium. Tenētur autem Epiſcopi pro viribus eiuſmodi collationes impedire, idque ex officio, quemadmodum etiam acriter redarguere, & punire debent eos omnes, qui cum talibus impedimentis Canonicis beneficia ſatagunt obtinere. Si verò beneficia capeſſentes nullo innodentur impedimento; ne dum probanda eſt ab Epiſcopis beneficiorum collatio ab ipſis obtenta, ſed etiam idoneos viros hortari poterunt, ac ſuadere, vt ad beneficia obtinenda per vitæ honeſtatem, & literarum ſtudium, ſe diſponant, cum id Eccleſiæ maximè vtile, ac proficuum eſſe poſſit; etiam ſi ſcirent captantes beneficia id agere ratione lucri, & prouentus ex redditu, poſſunt enim hæc omnia ad vitam honeſtè alendam tamquam media ad finē ordinari, qui finis ſemper erit honeſtus.

LEX CLXVII.

In examine concurrentium ad beneficia non ſemper probanda ab Epiſcopo eorum ſcientia, atque ſufficientia ex maiori approbantium examinatorum numero.

EPiſcopalis Prudentiæ praxis, & conſuetudo ea eſt, vt Clericus ille velut aptior ad beneficium obtinendum, & ad exercendam animarum curam adprobetur, qui ex maiori Synodalium examinantium parte magis reputatur idoneus. Mos iſte inſtituendi, ſiue probandi concurſus ferè apud omnes Epiſcopos inoleuit, quo tamen doctrinæ, vel rationis fundamento id ſit inſtitutum, nemini hactenus ſatis deprehenſum eſt. Neque praxis eiuſmodi ſola conſuetudine firmanda eſt, cum *ex cap. de conſuetud. ex cap. Cleric. de Iudicijs, & ex cap. de Sacroſ. Eccleſ.* non omnis conſuetudo faciat doctrinam probabilem amplectendam, doctrina namque probabilis fit talis potius ratione, quàm authoritate, aut conſuetudine, vt optime Brau. *excit.* 1. Paſqualig. *deciſ.* 2. & alij quamplures. Cum igitur Epiſcopalis Prudentiæ munus id vnum ſit, quo ſemper rationabiliùs operetur, & poſſit plerumque rationabiliùs agere adhærendo probabiliori vnius examinatoris iudicio, quàm minus probabili plurium ſententiæ, & voto, hinc ſequitur apertiſſimè in Epiſcopi arbitrio poſitam eſſe, idque tutiſſima conſcientia illius concurrentis electionem ad beneficiū, cui etiā maior examinatorum numerus ſuis renuat votis; fauente huic doctrinæ Iure Ciuili, & Canonico *in l.* 1. §. *neque cap. de veter. Iure enucleant,* vbi habetur; *ſed neque ex multitudine authorum, quod melius, & æquius eſt iudicari debet, cum poſſit vnius forſan ſententia, & multos, & maiores aliqua in parte ſuperare, & ex cap. Capellanus de ferijs,* habetur, Summum Pontificem ex duabus propoſitis opinionibus, magis ſingularē elegiſſe, ex eo quod meliori, & probabiliori inniteretur ratione. Quę prudentiæ regula ſeruari poterit ab Epiſcopo etiam in alijs publicis conſulentium Doctorum congreſſibus ad id genus alia inſtitutis, in quibus vnius opinio, dummodo ſit optima ratione munita, poterit communiori præferri, omnis enim opinio habet probabilitatem, à ratione, quæ dicitur probabilitas intrinſeca, nimirum ex principio intrinſeco, ad differentiam probabilitatis extrinſecę, quam facit opinantium authoritas; cum itaque poſſit eſſe melior ratio in vno, quàm in pluribus,

bus, & ideò etiam probabilitas maior, ſic poterit ab Epiſcopo vnius tantum opinio eligi, & probari in quocunque euentu, relicta multorum opinione contraria.

LEX CLXVIII.

Ab Epiſcopis reuerenter ſuſcipiendæ Sacræ Rotæ Deciſiones, Sacrarum Congregationum Declarationes, & Gloſſæ Interpretationes.

TVrpe nimis, ac monſtruoſum eſſet in Epiſcopatu à ſenſu authoritatis ferè ſūmę deſciſcere, quę in ſūmis Eccleſiaſticæ militiæ Ducibus, & Coriphęis ſplēdet innocua, atque cū authoritas ſumma ſummā faciat probabilitatem, ſaltem extrinſecā, in doctrinis, & dogmatibus, quæ proponūtur Epiſcopis, parum rationabiliter ageretur, ſi eiuſmodi leges indictæ, velut indita fræna à malo retrahentia detrectarentur; quapropter optimè conſultum erit cuicunque Epiſcopo Sacræ Rotæ Deciſiones, S.C. Declarationes, & Sanctiones, Gloſſæ quoque Interpretationes reuerenter ſuſcipere, & quoad fieri poterit in obſeruantiæ vſus adducere. Verum tamen eſt, quod ſi agatur de rebus in materia tantum probabili verſantibus, & non ad certam, & infallibilem doctrinam ſpectantibus, in eiuſmodi caſibus quædam alia doctrina probabilis poteſt eſſe lex rectè agendi ipſis Epiſcopis, etiam aliter ſentientibus, neque hac de cauſa poſſunt aliqua nota culpari, cum ſic agendo ſemper agant iuxta regulam rationis, quam facit quæcunque opinio verè probabilis, etiam propria, eſt enim eadem ratio, quidquid dicant in contrarium plerique Doctores apud Paſqualig. *deciſ.* 4. & 8. de opinione Gloſſæ, & Sacræ Rotæ Romanæ, ac aliorum DD. qui ſint permagnę authoritatis in Eccleſia Dei, quos tamen non tenemur ſequi in probabilibus tantum; neque enim Gloſſa, neque Rota, neque id genus aliæ magnę authoritatis deciſiones, aut declarationes in rebus tantummodo probabilibus poſſunt facere iudicium certum neceſſariò ab Epiſcopis amplectendum, cum ea tantum vis in ipſarum iudicijs inueniatur, quæ reperitur in iudicijs Doctorum, quando vtuntur doctrina tantum probabili, ferunt namque illa iudicia tamquam Doctores, non tamquam Iudices abſolutè imperantes ex infallibili authoritate vera, & certa ſecundum rationem edictante. Conueniunt tamen Doctores ferè omnes, eſſe maximè deferendum ſummæ authoritati; tamquam ſummam facienti probabilitatem ſaltem extrinſecam, & etiam intrinſecam, ſi validioribus, & probabilioribus nitatur rationibus, & doctrinis.

LEX CLXIX.

In conferendis beneficijs ab Epiſcopis non eſt ſola ſpectanda nobilitas.

NOn imprudentię laboraret Prudētia illa Epiſcopalis, quæ pro merito collationis beneficiorum ſolam ſanguinis claritatem aſpiceret, nulla comite virtute; ſtatutum eſt enim in *cap. Venerabilis de Præbendis*, quod nobiles illi, qui ſolum ſtirpis ſplendorē per ſtēmata maiorū oſtentant, abſque alio virtutis charactere ſint omninò ab Epiſcopis excludendi; ideò .n. ad Eccleſiæ regimen, vel ad animarum curam, vel ad beneficij collationem aſſumendi ſunt nobiles, quod cenſeantur magis poſſe Eccleſiæ prodeſſe, quàm ignobiles, & abiecti; ſi verò ſolo nobilitatis faſtu

faſtu intumeſcerent, potius obeſſent, quàm prodeſſent, cum habeamus *ex l. per adoptionem de adop. in prima lectura*, quod nobiles, vt plurimum noceant ſuperbia, violentia, & luxuria. Cœteris tamen paribus in ſcientia, ac morum probitate volunt communiter Canoniſtæ apud Barboſ. *conſil.57. col.6. lib.2.* & colligunt *ex Extrauaganti volentes Verb. Nobiles*, nobiles probos, ac literatos viros, eſſe ignobilibus præferendos, ex eo quod nobilitas iuncta virtuti, ac ſcientiæ maximè ſplendeat ſuper candelabrum Eccleſiæ; idque habetur etiam *ex cap. dudum §. de Elect. & cap. de multa in fin. de prabend.* Vbi verò deficeret ſcientia, virtus, aut vitæ integritas, nunquam poſſent hæc ſuppleri per ſolam nobilitatem; quamuis doceat Bald. *in conſil.35. col.1. lib.2. & in cap. Poſtulaſti de reſcrip. col.2.* quod mediocris Doctrina in nobili viro ſit æquiparanda maiori doctrinæ in ignobili. Quænam verò ſcientia ſit ſufficiens pro facienda iuſta beneficiorum collatione, non adhuc ſatis conſtat apud Doctores, qui tamen omnes concludunt eam ſcientiam neceſſariam, ex qua dicantur periti in ijs omnibus, quę proprij muneris ſunt, quemadmodum eſſet Theologia, ſi fides eſſet defēdēda ab hæreticis, & Infidelibus; vel doctrina canonica, vbi dogmata Eccleſiæ, vel Conciliorum aliquam paterentur oppoſitionem, vel alia eiuſmodi ſcientia proportionata, vbi eſſet aliarum ſimilium rerum neceſſitas; id enim eſt ſemper æſtimandum prudenti Epiſcoporum iudicio.

LEX CLXX.

In collatione beneficiorum neque ſola conſanguinitas ſpectanda ab Epiſcopis.

Nihil ſanè agendum eſt Prudentiæ Epiſcopali, quod iuſtitiæ diſtributiuæ aduerſetur; hæcque cum ſummoperè perſonarū exhorreſcat acceptionem, ab ea in conferendis beneficijs Epiſcopis omnibus maximè abſtinendum erit; & licet conſanguinei in multis videantur gaudere priuilegio conſanguinitatis, quod priuilegium in ipſis facit ipſum Ius naturæ; in rebus tamen ad Eccleſiam ſpectantibus nullus conſanguinitatis gradus ſpectandus eſt; cum ſola vtilitas, & neceſſitas eiuſdem Eccleſiæ conſideranda ſit, præſertim in eligendis Miniſtris, atque in beneficijs conferendis; vnde pluſquam palmari crimine eſſent notandi Epiſcopi illi, qui ſolo cognationis amore ducerentur ad conferenda beneficia, niſi reliqua adijcerentur cognatis neceſſaria requiſita, vbi enim agitur de rebus ſupra naturam eleuatis, nulla aſpicienda ſunt ſanguinis, vel ipſius naturæ Iura. Verum tamen eſt, quod ijſdem requiſitis concurrentibus in conſanguineis, ac non conſanguineis poſſent abſque nota pręferri cęteris ipſi conſanguinei; in hoc enim nulla videretur perſonarum acceptio, neque vlla læſio Iuſtitię diſtributiuæ; immò cum lege Iuſtitiæ vniretur ipſa lex Charitatis intimior, quæ dictat primo loco proximo proximiori eſſe benefaciendum, quàm exteris, & alienigenis. Neque huic doctrinæ obſtāt Canones, qui communiter afferuntur *in cap. vt noſtrum §. omnibus titulo*, vbi Innocent. III. ſcribit cuidam Epiſcopo, quod malè egerit conferendo beneficium ex affectu carnali; Item

in cap. ſi Excellentia in cap. Non loca in cap. de multa, in cap. niſi cum pridem de renunc. & deniq; *in cap. Venerabilis de prabend.* vbi expreſsè dānatur perſonarū acceptio in conferendis beneficijs, non inquam obſtant hi Canones, & alij plures, cum ſolummodo opponantur perſonarum acceptioni, quæ non interuenit in hoc caſu, cum ſupponatur meriti æqualitas in conſanguineo cum cæteris, & data paritate meriti ſemper remanet arbitrium eligendi Epiſcopo, quem ipſe voluerit, quemadmodū etiam in eiuſmodi caſibus non dicitur poſthaberi dignior indigniori, de qua re loquuntur etiam Canones ipſi.

LEX CLXXI.

In collatione beneficiorum ſola dignitas perſonarum ex ſcientia, & probitate ab Epiſcopis ſpectanda.

ADſtruunt quidē aliquod dignitatis genus nobilitas, & cōſanguinitas, vt ſupra dictum eſt, at non eſſe ab Epiſcopis eiuſmodi dignitatem ſpectandā ſolam, atque à cæteris requiſitis omninò ſeiunctam ſatis apertè euictum eſt. Hic igitur pro dignitate perſonarum intelligendum eſt meritum, habilitas, & idoneitas ad beneficia, quæ dicitur aggregatum, ſeu concurſus plurimarum qualitatum faciens perſonam idoneā ſecundū Canones; & de hac dignitate loquēdo, certū eſt apud omnes, nō poſſe Epiſcopos beneficia Eccleſiaſtica conferre, niſi perſonis, quæ verè ſint dignæ talis collationis; nec agitur modo, an ſint ſemper dignioribus conferenda ex obligatione iuſtitiæ diſtributiuæ, cum id ſit in ſequentibus decernendum; omnes enim illi Doctores, qui aſſerunt omnia beneficia, quęcumque ſint, ſiue ſimplicia, ſiue curata, ſiue Canonicalia, ſiue id genus alia eſſe cōferenda dignioribus, ſupponunt certè dignitatem in perſonis illa ſuſcipientibus, de qua dignitate nulla poteſt eſſe controuerſia. Eſſet enim crimen pluſquam palmare Epiſcoporum, ſi beneficia Eccleſiaſtica conferrent indignis, ex eo quod notabiliter læderetur Iuſtitia diſtributiua, quæ dat ius ad beneficia ſolis dignis, nunquam indignis. Sola igitur dignitas ab Epiſcopis ſpectanda eſt, quæ in ſenſu vulgari, & communi dicitur habilitas, ſeu idoneitas perſonæ, quæ dicitur etiam meritum perſonæ, quatenus beneficia conſiderantur, vt præmia, quæ diſpenſat Eccleſia, nec pręmiorum diſpenſatio fit, niſi benemerentibus. Illæſa itaque manet apud Epiſcopos Iuſtitia diſtributiua, ſi conferant beneficia ſpectata dignitate perſonarum, quæ reputatur pro merito; quod etiam dicendum eſt de quacunque alia electione ad honores, & gradus, ad quos digni ſunt tantum eligendi, cum ipſi dumtaxat, & non indigni ius habeant ad illas electiones; & hæc cum ſit doctrina communis, etiam apud Canoniſtas non videtur vlterius diſcutienda. Eſt tamen ab Epiſcopis accuratè examinanda perſonarum dignitas, non quia teneantur diligenter digniores quærere, aut digniores eligere, quod nimis Epiſcopis ipſis eſſet oneroſum, nec videtur Eccleſia tantum onus ipſis imponere; ſed vt verè cognoſcant ipſorum dignitatem, vt ex iuſtitia agere poſſint in re tanti momenti; vult enim Eccleſia eiuſmodi neceſſariam dignitatem Epiſcopis conſtare, ne errent in conferendis beneficijs in magnum Eccleſiæ detrimentum.

LEX CLXXII.

Ab Epiſcopis ſoli digniores ad beneficia eligendi.

EAm adprobant quammulti Doctores in Epiſcopis prudentiæ legem, vt ſit ipſis ſatis, ſi pro beneficijs ſimplicibus eligant dignos, pro curatis verò ad animarum ſalutem ſpectantibus ſemper eligant digniores. At diſcrimen eiuſmodi ab ipſis adductum inter beneficia, meo iudicio non eſt adducendum inter collationes beneficiorum, quæ ex iiſdem cauſis, & motiuis dignioribus ſemper fieri debent ab Epiſcopis, ne Iuſtitia diſtributiua lædatur; quemadmodum enim læderetur, ſi indignus eligeretur deficiente in indigno iure ad electionem; ſic prorſus eadem Iuſtitia eſſet acriter vulnerata, ſi omiſſo digniori in quocunque beneficio (ſiue ſimplex ſit, ſiue curatum) eligeretur indignior; certum enim eſt ibi largius eſſe exercendam Iuſtitiam, vbi maius ius ad rem inuenitur. Addo cum beneficia quęcumq; ſint conuertenda in vtilitatem Eccleſiæ, maior ſemper erit vtilitas Eccleſiæ ex opera à dignioribus præſtita, quàm ab indignioribus; atque huic doctrinæ videtur fauere Trid. *ſeſſ.* 24. *de refor. cap.* 1. *& cap.*18. & etiam Tex. Canonicus *in cap. licet diſt.*8. *qu* 1. vbi habetur, eſſe ſemper eligendum Sacerdotem, qui ſit præſtantior, qui ſit doctior, & ſanctior, & omni virtute eminentior, qui textus, licet intelligatur communiter de beneficijs admittentibus examē, & concurſum tantum, intelligendus eſt etiam de alijs beneficijs; cum ſit ſemper melius pro Eccleſia eligere digniores, quàm minus dignos. Excipitur tamen caſus à pleriſque Doctoribus apud Marcum Antonium Brauum *excit.*11. *n.*21. ſi dignior eſſet eligendus ab Epiſcopo extra propriam Eccleſiā, & Diœceſim, in hoc enim caſu dignus in propria Dięceſi ſemper reputandus eſt dignior in comparatione alienigenæ, ex cuius electione nunquam ea vtilitas Eccleſiæ expectanda eſſet, quæ ſperari poſſet ex digno electo in propria Diœceſi, vel propter amorem naturaliter inditum erga propriam Eccleſiam, vel propter Spiritus feruorem, vel propter aliud ſimile. Nec læderetur Iuſtitia diſtributiua, quia iſte dignus in propria Diœceſi, verè cenſendus eſſet dignior, & præter proprium ius. Quod haberet ad beneficium, tamquam dignus, haberet etiam aliud ius, quod non habet dignior exterus, nempe ius proprię Eccleſiæ participatum in omnibus perſonis ſubditis talis Eccleſię, & hoc ius additum alteri æquiualet iuri dignioris alienigenæ. Hęc doctrina videtur confirmata *in cap. Obitum*, *in cap. Nullus & in cap. Metropolit.* & etiam apud *Gloſſ. in cap. inter Canonicos de Electione*, & apud Abb. *in cap. ad decorem de Inſtitut.* quin refert Sotus *de Iuſt. & Iure l.* 3. *qu.*6. ſe præſente in Concilio Trid. ſummo omnium conſenſu conſultatum eſſe, vt electio ad beneficia ſemper ex eadem Eccleſia, & Diœceſi fieret. Docente S.Th. apud eumdem Sotum Clericos nutritos in gremio alicuius Eccleſiæ magis amare illam Eccleſiam, quàm Extraneos, atque ex tali amore maius commodum Eccleſiæ prouenire.

LEX CLXXIII.

Non illicò priuandi beneficijs ab Epiſcopis Beneficiarij non reſidentes.

HAnc legem adſtruit Prudentiæ Epiſcopali diſpoſitio Concilij Trid *Seſſ.*24. *cap.*12. *de refor.* vbi videtur conſulere Epiſcopis, quod antequam deue-

deueniant ad priuationem beneficij, debent prius pro prima vice priuare non reſidẽtes dimidia parte fructuum, & pro ſecunda vice omnibus fructibus vnius anni, & denique pro tertia vice priuare beneficio. Verba Concilij hic non referuntur, quia facilè videri poſſunt; ex ipſis enim ſatis apertè conſtat, quod, antequam deueniatur ad pęnam priuationis impoſitam per Sacros Canones, præmittendæ ſint pęnæ mitiores priuationis fructuum, quod etiam colligitur ex *cap. ex tua de Cleric. non reſid.* vbi ſtatuitur, quod contra recuſantes poſt monitionem venire ad reſidentiam, procedatur per ſuſpenſionis, & excõmunicationis Sententiam, etſi fuerint poſtmodum adhuc pertinaces, deueniatur ad priuationẽ. Ratio iſtius doctrinæ illa videtur eſſe, quod ſcilicet ante quamcumque delicti punitionem ſit pręmittenda aliqua correctio; idque ex præcepto Charitatis; pęnæ autem præcedentes priuationis fructuum ſunt veluti præmiſſæ correctiones ante principalem punitionem.

LEX CLXXIIII.

Etiam illicò priuandi beneficijs Beneficiarij non reſidentes pro lubito Epiſcoporum.

INdictam Concilij Trid. legem ſuprapoſitam ſic obtrudunt aliqui Doctores Prudentiæ Epiſcopali, vt aſſerant omninò illicitum eſſe, & peccaminoſum Epiſcopis illam non obſeruare; quod ne ita facilè ſibi ſuadeant Epiſcopi, ſcire debent, ſe non debere ex Concilio alias pęnas præmittere, antequam deueniant ad priuationem beneficij; ſed eſſe poſitum in eorum libertate alterutrum agere abſque conſcientiæ ſcrupulo; cum omninò relinquatur eorum Arbitrio, & Prudentię, vel prius pręmittere ſolam fructuum priuationem, vel etiam immediatè ad beneficij priuationem deuenire, quod clarè ſenſit Rota coram Mantica *deciſ.* 67. *n.*6. aſſerens ita eſſe intelligendum Triden., ex atteſtatione etiam S. C. Concilij eiuſdem, & ſic neque eſſe neceſſarium pręmittere excõmunicationem, aut ſuſpenſionem, ſenſerunt plures alij DD. *in cap. ex tua contra eos de Cleric. non reſid.* quę ſatis euincunt non teneri Epiſcopos alias pręmittere pęnas ante priuationem beneficij, niſi id benè actum ex prudentia iudicauerint. Additur, quod in Iure Canonico Clericis non reſidentibus impoſita eſt immediatè pęna priuationis beneficij, ſi poſt citationem, & monitionem non compareant, vt eſt *in cap. ex parte, & in cap. qualiter, & in cap. inter quatuor de Cleric. non reſid.* Ex quibus etiam conſtare poteſt Concil. Trid. non eſſe in contrarium, ſed ſolum diſponere de pęnis, quibus non reſidentes affici poſſunt pro libito Epiſcoporum; cum enim de iure pertineat ad Epiſcopos punire non reſidẽtes, & de iure ſit ſtatuta pęna priuationis beneficij, voluit Conc. Trident. relinquere arbitrio Epiſcoporũ, quod poſſent etiam mitiori modo procedere; pręmittendo ſcilicet alias pęnas ante priuationem beneficij.

LEX CLXXV.

Non ſemper ab Epiſcopis priuandi beneficijs Beneficiati damnati ad exilium.

SI Beneficiatus per Sententiam expreſſam condemnatoriam ſimul cum exilio priuetur beneficio, nullum poterit eſſe Epiſcopali Prudentię dubium, quin damnatus ad exilium, etiã beneficium amittat; ſed oritur tantum difficultas, an amiſſio beneficij

veniat

veniat ex ſua natura in conſequentiam ad talem condemnationem. Neque hic agitur de beneficio ſimplici ad reſidentiam non obligante, quia hoc cum non requirat reſidentiam, non ſit incompatibile cum pęna exilij, ita vt ratione incompatibilitatis debeat dimitti, aut ipſo facto vacet, niſi tamen Sententia exilij comprehenderet etiam amiſſionem beneficij. Pęna igitur exilij non ſemper cenſenda eſt ab Epiſcopis habere annexam priuationem beneficij, tametſi requireret reſidentiam, niſi per Sententiam exprimatur: Sic videtur declaraſſe S. C. Epiſcoporum die 3. Decemb. 1602. & pro hac doctrina multos refert Garzia *part.* 11. *de benef. cap.*3.*n.*93. ratio eſt, quia quando vna eſt impoſita pęna pro delicto, non cenſetur alia impoſita, niſi clarè in Sententia exprimatur, & ideò exul beneficiatus per ſolum exilium nunquā cenſendus eſt priuatus beneficio, odioſa namque ſemper ſunt reſtringenda, & ad hanc rem adeſt *deciſ. Rota* 54. *n.*11. *in fine* coram Mantica, ex eo igitur prę. ciſè, quod exul Beneficiatus non poſſit reſidere in loco beneficij, non debet cenſeri priuatus beneficio, ſed tantum legitimè impeditus, non ſecus ac ſi eſſet infirmus, aut carcere detentus; qui etiamſi eſſet ſua culpa detentus, amitteret ſolum diſtributiones, vt tradit Moneta *de diſtrib. part.*295. *n.*8. Immò ſi quis iniuſtè exularet, vel eſſet detentus, perciperet etiam diſtributiones, vt docent quamplures cum ipſo Moneta, & alijs.

LEX CLXXVI.

Sacerdotes ſolo exilio mulctati, non cenſendi ab Epiſcopis priuati celebratione Miſſæ, tamquam Irregulares.

IVre dubitat plerumque Epiſcopalis Prudentia, an Sacerdotes, qui exilio mulctantur ex aliquo delicto, quod ſit notorium notorietate Iuris, vel facti; vnde conſurgit infamia, & conſequenter Irregularitas, ſint verè priuandi Miſſę celebratione tamquam Irregulares; nam certum eſt, quod ſi pęna exilij ſit impoſita propter delictum, cui à Iure annexa ſit infamia, nullus Sacerdos ſic mulctatus poterit celebrare Miſſam, cum talis infamia verè inducat Irregularitatem iuxtà *cap. Inter dilectos de exceſſ. Prælat. & cap. Accedens de accuſat. & cap. Accuſatum de Simonia*; cum enim de Iure delicto ſit annexa infamia, eo ipſo, quo quis declaratur per Sententiam commiſiſſe tale delictum, declaratur etiam incurriſſe infamiam illi annexam, ex qua reſultat Irregularitas, & incapacitas ad celebrandam Miſſam. Quoniam verò poteſt inueniri delictum, cui à Iure non ſit annexa infamia, idque per exilium punibile ſit, in hoc caſu non ſunt ab Epiſcopis priuandi Sacerdotes celebratione Miſſę, niſi aliquid aliud obſtet; ſic enim declarauit ipſa S.C. in vna Maceratenſi ſub die 4. Septemb. 1602. nequé enim poteſt impediri exul celebrare ob Irregularitatem ortam ex infamia Iuris, quando eiuſmodi infamia non eſt annexa delicto, vt iam ſuppoſitum eſt; neque poteſt impediri ratione pęnę exilij, quia hęc non trahit ſecum prohibitionem celebrandi, niſi exprimatur in Sententia propter delictum, cui ſit annexa; maximè quia in his

his caſibus Sententia punitionis ſiſtit tantum in exilio, nec ſe extendit ad prohibendam Miſſam. Igitur ea doctrina claudendus eſt ſermo de hac re, quod non quodcumque crimen cauſat infamiam, ſed debet eſſe ex illis, quę ſpecialiter recenſentur in Iure, & talia ſunt ex communi ęſtimatione; quia dato etiam, quod crimen verè eſſet ex illis, quę generant infamiam, cum tamen poſſit non eſſe notorium in loco, vbi exul degit, ibi non poterit infamiam cauſare, & ſic ibi Sacerdos exul poterit celebrare, neque erit cenſendus Irregularis; ſola enim infamia Iuris annexa delicto, & per Sententiã condemnatoriam expreſſa ad ſummũ illa eſt, quę inducit Irregularitatem, non infamia facti, iuxtà id quod tradunt communiter Doctores apud Couuar, *in Clement. ſi Furioſus* apud Garziam *de benef. part.* 11. *cap.* 3. apud Giballin. *de Irregularitat.* & apud Suarez *diſp.*43. *de Cenſur.*

LEX CLXXVII.

Canonicis excommunicatis non ſemper permittendæ ab Epiſcopis optiones prębendarum.

NOn eádem omninò lege deuincti cenſendi ſunt à Prudentia Epiſcopali incapaces beneficiorum, & incapaces Præbendarum Canonicalium, licet enim excommunicatus ſit incapax beneficij, & collatio illi facta ſit irrita, vt tradunt communiter Canoniſtæ *in cap. Poſtulaſtis* §. *verum de Appellat. & cap. Poſtulaſtis de Cleric. excom. miniſt.* nõ propterea deducitur, quod ſit incapax optionis Præbẽdæ Canonicalis, loquimur autẽ vbi eſt conſuetudo optandi iuxtà *cap. Cum in tua de conſuetud. in* 6. idque etiam pro certo habendum, quaſdam eſſe præbendas, quæ ſunt inſeparabiliter annexæ titulis, & canonicatibus, alias verò, quæ ſunt omninò ſeparabiles, & de vtriſque non eodem modo reſoluendum eſt: quapropter ſtatuendum eſt, non poſſe Epiſcopos permittere Canonicis excommunicatis optionem præbendarum, quæ ſint inſeparabiles à ſuis titulis, & ratio eſt, quia ſic præbendæ acceptæ inducunt rationem beneficij, cuius excommunicati ſunt incapaces, vt dictum eſt, & hoc nolunt intelligere Suarez *diſp.*13. *de cenſ. ſect.* 1. *num.* 19. & Filliuc. *tract.*12. *cap.*5. *n.*21. *tom.*3. cum docent excommunicatis Canonicis non competere optionem, quia optio eſt quædam beneficij permutatio, quando enim ſimul cum præbendis ſunt mutandi tituli beneficiorum, tunc præbendæ verè induunt rationem beneficij, & ideò non poſſunt optari ab excommunicatis. Quid verò dicendum ſit de præbendis ſeparatis à titulis, in ſequenti lege reſoluetur; eo enim ipſo, quod præbenda exuat rationem beneficij, nulla ratio adeſt in contrarium, cur non poſſit optari etiam ab excommunicatis.

LEX CLXXVIII.

Optio præbendarum quandoque permittenda ab Epiſcopis etiam Canonicis excommunicatis.

EX præhabitis ſatis conſtare poteſt Epiſcopali Prudentiæ, quid ipſi agendum ſit in optionibus, vbi præbẽdæ à titulis, & canonicatibus ſunt omninò ſeiunctæ, in his namque præbendis ceſſat ratio, quod ab excommunicatis non poſſint optari beneficia, & tituli beneficiorum, cum præbendæ ſeparatæ non induant hoc nomen, vt

dictum

dictum eſt. Permittendæ igitur ſunt optiones etiam Canonicis excommunicatis, ſi præbendæ ſint omninò à titulis, & canonicatibus ſeparatæ, aut ſeparabiles; ſic enim præbendæ non important titulum, neque ſpiritualitatem beneficij, ſed tantum temporalitatem redditaum, & fructuum, qui poſſunt ſemper percipi etiam ab excommunicatis; & illa permutatio, quæ fit eſt ſolum rei temporalis, non ſpiritualis; & ideò poteſt fieri etiam non obſtantæ excommunicatione. Quod verò præbendæ ſeparatæ, vel ſeparabiles ſint res purè temporales ad effectum optandi, conſtat ex hoc, quia acquiruntur ab optante abſque noua prouiſione, quod ſanè fieri non poſſet, ſi ſecum traherent titulos, beneficia, & Canonicatus; ſic enim eſſet neceſſaria noua prouiſio pro acquirendo nouo titulo, iuxtà ea, quæ habemus in Rota coram Monedario *deciſ.* 2. *de conſuetud.* & coram Puteo *deciſ.*196. *lib.*2. & corã Martinez. Andrea *deciſ.* 99. *n.* 2. Neque obſtat, quod licet præbendæ ſint ſeparabiles ab hoc, vel illo titulo, ſint tamen ſemper annexæ alicui titulo Canonicali, atque ex hac parte ſint ſemper quid ſpirituale ratione talis annexionis, quæ doctrina videtur colligi ex Rot. *de benef. lib.*2. *q.* 25. *n.*5. & ex Rota *in Mediolanenſi Canonicatus* 4. Iulij 1636. coram Chiſlerio, *& deciſ.*138. *num.* 10. *part.*8. *recent.* Dico enim, quod ſtante ſeparabilitate, quæ eſt inter titulum, & præbendam, fit etiam, quod ſit ſeparabile ſpirituale à temporali, & facta hac ſeparatione præbenda nihil retinet in ſe, quod ſit ſpirituale, niſi cum de nouo coniungitur cum nouo titulo. In optione igitur, ybi fit adquiſitio ſolius præbendę, non acquiritur niſi aliquid temporale, licet ſit ſemper adnexum cum aliquo titulo ſpirituali, & hæc eſt doctrina Cardin. *conſil.*126. *n.*4. Lott. *de benef. lib.*1. *q.*19. *n.*27. & habetur etiam in Rota coram Caſſidor. *deciſ.*57. *n.*2. *& ſeq. de prebend.*

LEX CLXXIX.

Sede Pontificia vacante, beneficia quæcumque Papæ reſeruata ab Epiſcopis locorum conferenda.

SVpponitur tamquam doctrina certiſſima in Iure Canonico *vbi de prabend. vbi de elect. vbi de conſuetud. & vbi de praſcript.* quod beneficia quæq; reſeruata Sum. Pontifici per regulas Cancellariæ Sede ipſa Pontificia vacante redeant ad Ius primæuum, donec denuò reſeruentur; Iuſque primęuum eſſe tantum Epiſcoporum priuatiuè quoad alios, ex quo ipſi dicuntur propriè, & velut antonomaſticè Ordinarij collatores, cum Capitulum gaudeat hoc nomine, tantum vacante Sede Epiſcopali propter ea, in quibus ſuccedit Epiſcopo, inter quę tamen non ſunt, beneficia, quę ſunt liberę collationis, & quę ſpectant ad Epiſcopum. Reliqui vero Collatores, cum non ſint tales à Iure Ordinario non dicuntur Ordinarij, ſed Collatores ex Indulto, ex priuilegio, vel ex conſuetudine, quę tamen, vt faciat ius conferendi, multa requirit, vt patet ex *textu de conſuetud.*; Quibus ſuppoſitis, certum eſt beneficia reſeruata Papę Sede Pontificia vacante eſſe à ſolis Epiſcopis locorum conferẽda, cũ ipſi ſoli veniant in iure nomine Ordinarij Collatoris; & diſpoſitio Iuris communis ſit ſemper pro Epiſcopis, niſi adſit conſuetudo immemorabilis in contrariũ, quæ difficillimè probari poteſt, vt aſſerunt plures Doctores in *cap. de Conſuetudin.* vbi plura requiruntur, ac præ cęteris, quod nunquam fuerit con-

tradicta, vel nunquam habuerit actus contrarios, vt contigit in Epiſcopatu Nouarienſi, vbi Capitulum, abſque aliqua fundata intentione, Canonicatus contulit pręſumpta immemorabili conſuetudine, quam non probat, cum potius ex tribus caſibus, qui proferuntur ſub tribus Epiſcopis ſucceſſiuè diuerſis annorum temporibus, conſuetudo ſit pro Epiſcopis, & directè ipſi Capitulo contraria, vt apertè ego ipſe demonſtraui in quadam reſponſione facta Allegationi typis exaratæ pro Nouarien. Capitulo; hancque meam doctrinam tamquam certiſſimam, tenent plures Canoniſtę ex textu ipſo Canonico locis citatis, pręſertim Leſſ. *de benef. dubitat.* 10. Azor. *Inſtitut. Moral. cap.* 38. *ad* 4. *Decal. præcept.* Diana *part.* 8. *tract.* 4. *reſolut.* 1. *& part.* 11. *reſolut.* 25. Garz. *de benef. part.* 5. *cap.* 1. *n.* 645. 646. *& n.* 51. 52. Gonzal. *in reg. Cancell. de benef. reſeruat.* & alij plures Neotherici in fauorem Epiſcopi conſulentes in ſuis manuſcriptis. Nec obſtant textus in contrarium, qui afferuntur *ex cap. de elect. & cap. de præbend.* nam illi textus valdè ambigui ſunt, & egent interpretatione, quam demonſtraui in ſupracitata reſponſione ad allegata pro Capitulo potius eſſe Epiſcopis fauorabilem. Nec valet doctrina Io: Baptiſtæ de Lucca fauens Cardinali Indultario, ſi antea extitit Epiſcopus talis Diœceſis, ex eo quod Ius conferendi ſemper maneat radicatum in habito Epiſcopatu, nam hoc gratis dicitur, & purè ſpeculatiuè, vt ipſe de Lucca fatetur, & hoc eſſet in duplici Epiſcopo Ius cõferendi beneficia adſtruere in eodem Epiſcopatu, quod eſt abſurdum.

LEX CLXXX.

Sede Pontificia vacante beneficia Papæ reſeruata à Capitulo ex ſola conſuetudine, vel immemorabili præſcriptione conferenda.

Concordant textus omnes Canonici, Ius antiquum, & longiſſimi temporis fluxu iam deletum, excludentes beneficiorum collationem itidem Canonicatuum, & præbendarum, vacante ſede Pontificia, ad ſolos Epiſcopos, tamquam ad Ordinarios Collatores ſpectare; cum ipſi in propria Diœceſi gerant vices Pontificis, etiam quando viuit Pontifex, exceptis ijs, quæ præcisè reſeruantur ipſi Pontifici, quæ reſeruatio ceſſat in morte, & ſic nihil in morte dicitur reſeruatum Epiſcopis de ijs, quæ ſpectant ad ipſos, inter quę eſt ſanè omnium beneficiorum collatio in ſuis locis. Vnde licet ex Iure antiquo iam abolito poſſet Capitulum, tamquam Ordinarius Collator conferre Canonicatus, & præbendas, nunc temporis titulo Ordinarij Collatoris nullo modo poteſt, ſed ad ſummum hoc poteſt ex priuilegio, conſuetudine, vel præſcriptione, quæ faciunt Ius non abſolutum, & ordinarium, ſed qualificatum, ſcilicet taliter adquiſitum, nimirum titulo priuilegij, conſuetudinis, vel præſcriptionis; & ſic dicendum, quod ſtante qualitate alicuius ex his titulis, poteſt Capitulum conferre beneficia, Canonicatus, & præbendas. Quotieſcumque tamen eſſet facta ab Epiſcopis contradictio collationis Capituli, tenentur Canonici docere de tali Iure adquiſito per priuilegium, conſuetudinem, & præſcriptionem, atque ijſdem incumbit onus probandi tale Ius adquiſitum, cũ

in

in ipſis nunquam ſupponatur Ius Ordinarium, ſicut ſupponitur in Epiſcopis: & cæteris paribus non facta tali probatione, in qua etiam debent exhiberi omnia requiſita legitimæ conſuetudinis, ſeu præſcriptionis; Ius conferendi beneficia in ſolis Epiſcopis priuatiuè ad Canonicos, & Capitulum ſupponi debet, cum ſoli Epiſcopi habeant Iuris Ordinarij aſſiſtentiam. Nec valent in contrarium plures textus Canonici, qui afferuntur à Doctoribus, tamquam ſoli fauentes Capitulo priuatiuè ad Epiſcopos, quos præſertim affert Lotther. *de benef.* nam eiuſmodi textus, vt notaui in lege præcedente, ſunt ambiguæ, & non claræ interpretationis, omnes ſupponunt conſuetudinem, vel præſcriptionem exhibendam, & probandam à Capitulo per actus legitimos, non contradictos &c. in quo caſu, & nos fatemur, poſſe Capitulum beneficia, Canonicatus, & præbendas conferre vacante Sede Pontificia, etiã priuatiuè, quoad Epiſcopos. In Epiſcopatu verò Nouarien., in quo ſupponit Capitulum hoc Ius habere, nondum apparet, vbi fundetur, & ſic rationabiliter concluditur, tale Ius potiùs ſpectare ad Epiſcopum, quàm ad Capitulum.

L E X CLXXXI.

Ad publica officia, & miniſteria nunquam eligendi ab Epiſcopis Clerici omninò laborantes auditu.

SAnè non implerentur numeri Prudentiæ Epiſcopalis, ſi ad publica miniſteria obeunda deligerentur ab Epiſcopis viri, omni prorſus auditu deſtituti; Quomodo enim Reipublicæ Eccleſiaſticæ vtilitas conſiſteret, ſi modus patrocinandi corrueret in ijs, qui, vt benè præſideant publicis egeſtatibus, neceſſe eſt, vt illas obaudiant, cum nequeant ſemper eaſdem intueri. Difficillima ſemper fuit cum ſurdis negotiorum tractatio, cum ſæpè ſæpiùs, quæ tractanda ſunt, aut minimè percipiant, aut in eorum intelligentia, & perceptione fallantur; Vndè etiam in iure ciuili optimè prouiſum eſt *l. fin. ff. de legit. tut. & in l. penul. ſub eodem tit.* quod ſurdus non poſſit eſſe tutor, ea potiſſimum ratione, quod tutor eſſe debeat, qui tantum poſſit eſſe vtilis. Ex qua doctrina deducitur, ſurdum omninò nunquam poſſe eſſe vtilem, & ſic ad publica munera, & officia, in quibus ſemper quæritur Reipublicæ vtilitas, non eſſe eligendum. Additur ſurditate totali laborantem, ex eadem *l. final.* eſſe inhabilem ad omnes gradus publicos, & ad omnia publica miniſteria, nullus autem miniſter inhabilis prudenter eligitur ad officia, quæ exercere non poteſt. Quod etiam experimur intra Clauſtra Religioſorum, vbi ad promouendam Religionis vtilitatem non eliguntur ad gradus, niſi viri eiuſmodi defectu carentes. Neque ſufficit, quod poſſint etiam ſurdi omni auditu deſtituti ex nutibus, vel ex motu labiorum percipere, quæ ipſi loquẽtes poſſent audientibus proferre; nam dato etiam, quod ex nutibus quædam poſſent ſurdi percipere in rebus ordinarijs, de quibus ſolet haberi loquutio ordinaria, cum tamen ex ijſdem nutibus non poſſint omnia percipere, præſertim circumſtantias rerum, & negotiorum raro contingentium, hinc fit, quod ſemper dicantur inhabiles ſurdi ad publica munera, & ideò nunquam ab Epiſcopis eligendi.

LEX CLXXXII.

Quandoque etiam Clerici aliqua ſurditate laborantes, ſi ſint virtute præſtantes, ab Epiſcopis ad gradus, & officia publica Eccleſiaſtica promouendi.

IN hac re poteſt, legem præſcribere Epiſco pali Prudentię lex illa Ciuilis ſuperiùs memorata, qua licet caueatur, ne tutor, qui debet ſemper vtiliter dari, eligatur omninò ſurditate laborans ob inhabilitatem ad negotia neceſſaria pertractanda; nihilo tamen minus in eadem lege ſtatuitur teſtante Paulo Iuriſconſulto ad verba (*minus autem audiens poteſt*) poſſe eligi quemcumque ſurdaſtrum, ſcilicet difficilè audientem, & non omnimoda ſurditate laborantem, cum ſola plena, & totalis ſurditas ea ſit, quæ reddit hominem omninò inhabilem ex *Gloſſ. ad eamdem legem*; vbi enim eſt aliqualis auditus, licet difficilis, eſt aliqua habilitas ad audiendum, & etiam ad negotia pertractanda, quæ ſufficit, vt aliquis poſſit eligi tutor. Ex qua doctrina, ſatis Epiſcopis perſpicuum eſt, poſſe ipſos quoque ad obeunda munera Eccleſiaſtica eligere viros ſurdaſtros, poſito, quod ſint aliunde virtute præſtãtes, & maximè idonei; non enim dicitur inhabilis ad aliquod munus exequendum, qui illud quoquomodo pręſtare poteſt, licet cum aliqua difficultate, quę tamen ſuperari poſſit; nam eo ipſo, quo quis vincere poteſt difficultatem agendi, poteſt etiam tollere impedimentum ad actionem, ratione cuius actio prohibetur; quod fit à ſurdaſtro, cum curat, vt loquentes altiori voce loquantur. Hanc doctrinam videntur tradere Nauar. *Conſil.7. n. 3. de corpor. vitiat.* Maiol. *l. 1. de Irregular. cap.25.* Sayr. *lib.6. de Cenſ. cap.8. num.17.* Peirin. *lib. de Subd. & Prælat. q. 2. cap. 4. num.20.* & alij plures.

LEX CLXXXIII.

Non ſemper permittenda ab Epiſcopis remiſſio diſtributionum Canonicis Choro non intereſſentibus.

OBijcitur hic Prudentiæ Epiſcopali conſideranda, potiſſimum illa declaratio Congregationis S. Concil. Trid. quam refert Garzia *part.3. de benef. cap.11. num.431.* vbi videtur illa Congregatio Epiſcopis imponere, quod ſuper hanc rem maximè inuigilent, & etiam, ſi fuerit opus, de Iure agant in reos; facto enim decreto, quod nõ liceat Capitulo, vel Canonicis quouis prętextu, aut quauis colluſione diſtributiones donare, relinquere, aut remittere non intereſſentibus Choro, vel Eccleſiæ ſeruitio, atque adeo, quod teneantur, illas accipientes, reſtituere fabricæ, vel alicui loco pio arbitrio Epiſcopi, ſubiungit eadem Sacra Congregatio, quamcumque colluſionem in hac materia diſtributionum intelligendã eſſe prohibitam, & in reos poſſe Epiſcopos, ac debere procedere; vnde ſatis conſtat, quod nulla remiſſio diſtributionum facta à Capitulo, vel à Canonicis ijs, qui Choro non interſunt licita eſt, immò ſemper inualida, & reſtitutioni obnoxia; debent enim neceſſariò ex mente Concilij, & S.Cong. amitti diſtributiones; an verò poſt amiſſionem poſſit ab abſentibus quoquomodo obtineri, vel per remiſſionem, vel donationem, ſubſequentem ad amiſſionem in ſequenti lege ſtatuemus. Videtur namque Concilium, & Congregatio prohibere tantum remiſſio-

miſſionem antecedentem amiſſionem ex aliqua colluſione, vel prętextu, vt infra patebit; finis namque Concilij, eſt tollere omninò abſentiam à Choro in illis, qui nullam habent abſentiæ cauſam, & ponit pro pœna amiſſionem diſtributionum, nec Capitulnm, vel Canonici ſunt ſupra Concilium, vt poſſint remittere illas diſtributiones, quas ipſum Concilium abſolutè tollit, & vult per decretum expreſſum, eſſe omninò amiſſas, & ablatas, niſi interſit aliqua ex illis cauſis excuſantibus, quas idem Concilium commemorat, & adprobat. An verò poſtquam adquiſitę ſunt diſtributiones à Capitulo, vel à Canonicis per amiſſionem factam ab abſentibus poſſint Capitulum, & etiam Canonici, vti ſingulares, donare ijſdem abſentibus illas diſtributiones iam ſibi adquiſitas, illiś amiſſas, videtur eſſe in quæſtione apud nonnullos DD. quos affert Paſqualig. *qu. Moral. Iurid.*

141 Verior tamen, & probabilior Doctrina eſt, poſſe Capitulum, & Canonicos, etiam vti ſingulares, donare, ſiue iam peruenerint ad manus; ſiue ſint adhuc in manu depoſitarij; nam eadem eſt ratio, cum ius, & dominium diſtributionum vtroque modo ſit iam pœnes ipſos, & poſſint de proprio pro libito diſponere, & hæc doctrina colligitur *ex Gloſſ. in cap. Statutum, &c. & in cap. vnico*, vbi plures Doctores ſunt cohærentes, & ratio eſt, quia eiuſmodi donatio, non eſt remiſſio prohibita à Concil. & à S. Congr. neque prohibitio remiſſionis extendenda eſt ad donationem, cum ſint res valdè diuerſæ; quin prohibitio Concilij eò tantum collimat, vt non intereſſentes non lucrentur diſtributiones, & quod Capitulum, & Canonici non poſſint ſuper illis diſponere remittendo ius, neque ad aliud ſe extendit mens Concilij, vt ex ſe patet.

LEX CLXXXIV.

Permittenda ab Epiſcopis remiſſio diſtributionum etiam abſentibus ex cauſis in Concilio Tridentino expreſſis.

SVperuacaneum eſſet Prudentiæ Epiſcopali cauſas, illas hoc loco commemorare, ex quibus permittuntur à Trident. & à toto Iure Canonico diſtributiones etiam abſentibus à Choro, ſunt enim Infirmitas cognita, Obedientia debita, Eccleſiæ ſeruitium, vtilitas, &c. in qua materia ſola difficultas eſt circa eos, qui intelligēdi ſunt abſentes à Choro ob ſeruitium, & vtilitatem Eccleſiæ, ex qua abſentia ipſis legitimè & canonicè ſint permittendæ diſtributiones, & cum ſint variæ nimis in hac re Doctorum ſententiæ, non eſt opus eas omnes hoc loco examinare. Sed quia potior difficultas aſſurgit de Canonicis, qui abſunt propter viſitationem cum Epiſcopo obeundam, qui etiam vocantur ipſius Epiſcopi Conuiſitatores, dignum duxi hanc difficultatem integra allegatione enodare, in qua omnibus perſpicuum erit, poſſe Canonicos Conuiſitatores Epiſcopi cauſà viſitationis abſentes ratione ſeruitij, & vtilitatis Eccleſiæ præſtitæ, poſſe inquam, licitè, & validè ſuas diſtributiones lucrari, quidquid dicant Neotherici quidam Blaterones, rei domeſticæ augendæ potius intenti, quàm Eccleſiæ vtilitati, neceſſitati, & decori. An verò præter cauſas à Concilio Tridentino aſſignatas habeat Capitulum facultatem remittendi diſtributiones non intereſſentibus, ideſt maximè inter Doctores controuerſum, nam plerique apud Paſqual gum *qu. ſupracit.* volunt abſolutè, Capitulum præter cauſas aſſignatas à Concilio, nō habere facultatem remittendi diſtributiones, cum vtatur Concilium dictione *quauis*, quæ eſt vniuerſaliſſima, &

com-

comprehendit omnia, & proinde quãlibet remiſſionem, ſiue de futuro, ſiue de præterito. Veriorem tamen ſententiam etiam in hac re eam eſſe puto, quæ docet poſſe à Capitulo fieri remiſſionem de præterito, non de futuro; cum in hoc caſu remiſſio non poſſit trahere originem ab aliquo antecedenti pacto, ſiue expreſſo, ſiue tacito, quod intendit prohibere Concilium ex ſenſu plurium Canoniſtarum *Gloſſ. in cap. vnico v. ſuas* & ex Rota coram Ludouiſ. *deciſ.* 61. *n.* 3. *part.* 1. *recent.* & coram Coccino *deciſ.* 108. *num.* 5. & additur authoritati etiam ratio, quia remiſſionis de præterito ceſſat finis prohibitionis pro ipſa remiſſione. Ideò enim Trident. prohibet remitti amiſſas diſtributiones, quia remiſſio eſſet occaſio negligendi intereſſentiam Diuinis officijs, & eluderet finem, propter quem ſunt inſtitutæ diſtributiones, & imminueret cultum Diuinum; hęc autem omnia ceſſant, ſi ſolum de præterito remittantur diſtributiones, quia ceſſaret motiuũ negligendi ſeruitium Chori, & tollerentur reliqua abſurda; quod ſi remitterentur de futuro, eſſet hoc inuitare ad negligendam intereſſentiam, & ad delinquendum.

LEX CLXXXV.

Cogendi Coadiutores ab Epiſcopis ad aſſiſtendum Diuinis officijs, Coadiutis excommunicatis, vel alio quouis modo impeditis.

NOn ex eo, quod Coadiuti ſint excommunicati, reijciendi ſunt Coadiutores à Diuinis officijs; quin potius cogendi ſunt ab Epiſcopis, vt illis interueniant, cum verè Coadiutores teneantur reſidere, atque inſeruire Choro ex officio, & ex munere per coadiutoriam ſuſcepto; habent namque ſpecialem obligationem ſupplendi pro Coadiutis, vt conſtat ex Rota *deciſ.* 392. *n.* 1. *par.* 3. *Recent.* vbi habetur, quod Coadiutores reſidere, vel inſeruire recuſantes, poſſunt etiam pœna priuationis puniri, iuxta *cap. fin. de Cler. non reſident.* Ratio eſt, quia Coadiutoriæ fuerunt in eum finem introductæ, ne Eccleſia fraudaretur ſeruitio ſtantibus impedimentis Coadiuti, quod etiam *ex cap.* 1. *de Cleric. ægrotant.* Obſeruauit Rota coram Puteo *deciſ.* 226. *n.* 13. *lib.* 13. vnde ſequitur, quod Coadiutores ſemper nomine proprio teneantur intereſſe, non nomine alieno; maximè cum Coadiuti, verè impediti non poſſunt aſſiſtere; tunc enim tota obligatio remanet pęnes Coadiutores; idque præ cæteris DD. demonſtrat clarè Paſqualig. *qu.* 80. *Moral. Iurid.* Per id autem, quod Coadiuti ſint excommunicati, aut alio quouis modo impediti, non ceſſat obligatio Coadiutorũ, qui ſemper tenentur inſeruire nomine proprio, & non nomine alterius, & ideo ex eo, quod Coadiutus non poſſit inſeruire, & excuſetur ratione impedimẽti, non fit, quod excuſetur etiam Coadiutor, cum non habeat cauſam perſonalem excuſantem.

LEX CLXXXVI.

Non ſemper cogendi ab Epiſcopis obtinentes beneficia, vt intra annum ordinentur.

A Prudentia Epiſcopali ea hic tantum conſiderari hic debent beneficia, quæ habent ordinem annexum infra annum ſuſcipiendum; alia enim beneficia non ſunt hoc loco memoranda; cum verò Concil. Trid. *Seſſ.* 22. *cap.* 4. *de refor.* diſponat abſolutè, quod qui obtinent, vel impoſterum obtinebunt beneficia, quibus ſunt onera an-

nexa

nexa per ordines implenda, eoſdem ordines ſuſcipiant intra annum; iure dubitatur, an hæc diſpoſitio Concilij ſit intelligenda etiam de beneficijs litigioſis, de ijs nimirum, quæ ſunt ſub lite quoad titulum, licet non quoad poſſeſſionem, & videtur reſoluendum, non eſſe intelligendam diſpoſitionem Concilij de beneficijs litigioſis, cum loquatur tantum de illis beneficiarijs, qui obtinent, vel obtinebunt beneficium; ille verò, qui poſſidet beneficium litigioſum, verè non dicitur illud obtinere, cum non ſit in tuta, neque in pacifica poſſeſſione, nam beneficium poſitum in lite, eſt beneficium adhuc ſuſpenſum, & nullius dicitur eſſe, iuxta Rotam in Toletana Canonicatus 5. Nouembris 1610. coram Lancelloto, & in Aſtenſi. Fructuum 1. Iunij 1620. coram Coccino, & coram Pennia *deciſ.* 1594. *n.* 5. Additur, quod beneficium poſitum in lite non facit vacare primum incompatibile, vnde ſequitur, quod qui illud obtinet, licet ſit in poſſeſſione, non dicatur ſimpliciter obtinere, ac proinde non poſſit ſubiacere pœnis, neque poſſit cogi ab Epiſcopis ad ſuſcipiẽdũ ordinem annexum. Verum tamen eſt, quod hæc doctrina tantum locum habet in beneficijs, quæ ſunt ſub lite, quoad titulum, non quoad poſſeſſionem, ſic etiam ſentiente Rota cum Ludouiſio *deciſ.* 335. *n.* 5. & coram Merlino *deciſ.* 365. *n.* 7.

LEX CLXXXVII.

Non permittenda ab Epiſcopis perceptio diſtributionum Canonicis excommunicatis.

NOn debet Epiſcopalis Prudentia in hac re tanti ponderis eorum adhærere doctrinæ, qui volunt, excommunicatos non priuari fructibus beneficiorum, niſi id per ſententiam, aut in ſententia exprimatur, cuius doctrinæ ſectatores videntur fuiſſe Petrus Nauarr. *lib.* 2. *de reſtit, cap.* 2. *nu.* 243. Auila *de Cenſur. part.* 2. *cap.* 6. *diſp.* 6. Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 51. & alij cum Gloſſ. *in cap. Paſtoralis* §. *verum, verbo ſubtrahuntur, &c.* communior ſententia DD. ea eſt, quæ tenet, omnes beneficiarios excommunicatos ipſo facto priuari diſtributionibus, cum iam per excommunicationem ſint facti inhabiles ad illas percipiendas; atque pro hac doctrina refert Paſqualig. *q. Moral. Iurid.* 79. vigintiquinque Doctores cũ *Gloſſ. d. cap. Paſtorali, &c.* cum Rota coram Seraphino *deciſ.* 1164. & coram Puteo *deciſ.* 280. & coram Ottembergo *deciſ.* 180. apud Farinac. *tom.* 2. & colligitur veritas iſtius doctrinę ex ipſo *cap. Paſtoralis* §. *de Appellat.* vbi habentur hæc verba, *& illi prouentus Eccleſiaſtici merito ſubtrahuntur, cui Eccleſia communio denegatur*; illud enim verbum *ſubtrahuntur*, dicit priuationem ipſo facto, cum non ſit diſpoſitiuum, ſed enunciatiuum illius effectus, quem ſecum affert excommunicatio; Excommunicatio enim ſecum trahens exequutionem, inducit etiam effectum ipſo facto, quo ad priuationem communicationis in Diuinis, & cum Eccleſia; vnde tametſi per Extrauagant. Concil. Conſtantienſ. nemo ſit excõmunicatus vitandus ante denunciationem, tenetur tamen quilibet excommunicatus ſe abſtinere à communicatione illorũ bonorum, ſiue participatione, quibus priuatur per illam excommunicationem; percipere namque fructus beneficij titulo ſpirituali, eſſet communicare cum Eccleſia, & illius bonis, à quibus tenentur abſtinere.

LEX CLXXXVIII.

Canonicis coadiutis excommunicatis, non propterea permittenda ab Epiſcopis perceptio diſtributionum Coadiutoribus.

ID perſpicuum eſſe debet Epiſcopali Prudentiæ, quod tradunt communiter Doctores de Coadiutoribus, & coadiutis, quod nimirum Coadiutores non habent poſſeſſionem, nec titulum beneficij, ſed tantum exercitium officij; & quod propterea coadiutis excõmunicatis nullum ius habent Coadiutores ad lucrandas diſtributiones, vt demonſtrant Gonzalez *ad Regul.*8. *Cancell.Gloſſ.*5. & Garz. *de benef.par.*4. *cap.*5. & Rota coram Pennia *deciſ.*392. *nu.*9. Suppoſito ergo, quod diſtributiones debeantur ex titulo beneficij, tamquã ex cauſa, data tamen intereſſentia Diuinis Officijs, conſequens eſt, quod Coadiutores nunquam eas lucrentur ſibi, ſed Coadiutis, & ſic, cum Coadiuti, ſtante excommunicatione, non poſſint lucrari dictas diſtributiones, nec etiam poterunt eas lucrari Coadiutores. Si tamen aliqua pars diſtributionum eſſet aſſignata Coadiutori authoritate Summi Pontificis, idque eſſet expreſſum in litteris coadiutoriæ, in hoc caſu, Coadiutor poſſet illam partem percipere, etiamſi coadiutus eſſet excommunicatus, quia tunc illam percipit Iure Pontificio expreſsè ſibi conceſſam; neque excommunicatio Coadiuti, quæ eſt perſonaliſſima, & non egreditur perſonam etiam quoad ſuos effectus poteſt impedire effectum conceſſionis Pontificiæ in altera perſona, vt patet ex Rota coram Pennia *deciſ.* 455. *n.*7. *& n.*2. vnde Epiſcopi non poſſent eiuſmodi diſtributionum perceptionem impedire.

LEX CLXXXIX.

Præfectis Chori ab Epiſcopis non permittenda abſentia frequens, vel diuturna.

SVfficientem in hac re adſtruunt Prudentiæ Epiſcopalis legem Concilia Prouincialia, quæ frequentiam, & diligentiam non mediocrem in obeundo munere ipſis Chori Præfectis ſummoperè commendant, ac præcipiunt; idque Epiſcopali curæ, ac prudentiæ demandant, ne torpeant inuigiles in re tam grandi, Verum quia ex doctrina Doctoris Angelici, aliorumque plurium omiſſiones rei debitæ in ſubditis fiunt cõmiſſiones culpabiles in ſuperioribus operæ pretium eſt in defectu illius, qui ab Epiſcopo præficitur Choro, deficientiam ipſius Epiſcopi veſtigare, & ſi fieri poteſt etiam emendare. Cum igitur ex Nauarr. *de orat. cap.*6. *n.*78. & ex Trullench. *opuſc. de obligat. aſſiſt. in choro dub.*8. *n.*28. peccent Chori Præfecti, quotieſcunque non corrigant, quæ corrigenda ſunt ſpectantia ad recitationem Diuini officij, atque per abſentiam reddantur incapaces adimplendi muneris ſui, ſi Epiſcopus eiuſmodi defectus toleret in ſubdito, erunt Epiſcopo ipſi imputandi, ac propterea abſque legitima cauſa excuſante non poterit Epiſcopus abſẽtiam præfectorum permittere, maximè ſi ſit frequens, & diuturna; habemus enim *ex cap. ſi illud diſt.* 45. quod qui poteſt, & debet corrigere, & non corrigit, ſemper peccat. Hæc tamen doctrina intelligitur, quando abſentia Præfecti eſt culpabilis abſque legitima cauſa; & quando non ſupplet per aliũ, quando commodè ſupplere poteſt; tunc enim excuſato à culpa ſubdito, ab eadem immunis cenſetur etiam ſuperior

rior permittens. Neque hic eſt admittenda eorum doctrina, inter quos eſt Paſqualig. *deciſ.* 86. qui aſſerunt ex abſentia à Choro nunquam eſſe culpandum Præfectum, & multò minus Epiſcopum, cum poſſit Præfectus etiam abſens omnia accuratè præſcribere, & ordinare, quæ ſpectant ad publicam orationem, & recitationem officij Diuini, idque eſſe ſatis ad implendos ſui muneris numeros, licet non ſit præſens, quia Præfecti obligatio non eſt, quod adſtet Choro, ſed quod Chorum perfectè dirigat; Dico namque maximè vrgere in Choro Præfecti præſentiam; quemadmodum vrget in naui naucleri manus ad clauum porrectá; data enim quacunque præſcriptione, ac optima directione, ſemper contingere poteſt, quod adhuc ſit opus pręſentia Pręfecti, ac poſita tali neceſſitate etiam de poſſibili, ac de contingenti, ſemper ſit neceſſaria Pręfecti pręſentia, quę requiritur ad euitandos etiam errores poſſibiles, qui poſſunt contingere.

LEX CLXXXX.

Ammouendi ab Epiſcopis illi Præfecti, qui non implent, vt fas eſt, & æquum, Præfecturæ munus.

PRęſtitutę Epiſcopalis Prudentię legi lex iſta cohęret, ſi enim illud eſt Epiſcoporum onus, vt ad tollendos defectus à Choro, omnem operam impendant, ſequitur clarè, vt teneantur radices ipſas euellere, vel obtruncare ex quibus germina prauitatis erumpunt; idque fit ſolummodò pręfectos deſides, & negligentes ammouendo, vigiles, & accuratos ſubſtituendo. Præfecti verò ab Epiſcopis ammouendi illi ſunt, qui cum teneantur ex officio dirigere Chorum, & recitationem Diuini officij, tamquam orationem quamdam publicam ab Eccleſia inſtitutam ad animarum vtilitatem, & populorum edificationem, hoc ſuis humeris impoſitum onus, aut omninò excutiunt, aut ferre contemnunt. Item illi ammouendi, qui licet munus ſuum impleant, quo ad recitationem officij, optimamque Chori directionem, patiuntur tamen, & tolerant, vt Canonici, vel Clerici aſſiſtentes in Choro, vel inter ſe iurgia faciant, aut in ludicris confabulationibus verſentur, vel id genus alia prętent, quibus non leuiter publica oratio turbatur, magno cum proborum hominum ſcandalo; licet enim Pręfecti non pręficiantur ad eiuſmodi tollendos, vel corrigendos abuſus, ſed tantum ad ritè dirigendam Diuini officij recitationem, nihilo tamen minus debent etiam ea omnia tollere, vel corrigere, quę minimum cultum poſſunt imminuere, aut in cōtemptum perducere, & ſi ipſis deſit animus, vel authoritas corrigendi delinquentes, multò magis alij idoniores, & fortiores ab Epiſcopis ſubſtituendi ſunt. Denique illi Pręfecti ſunt ammouendi, qui in menſes ſingulos ſpiritualia Capitula omittunt iuxtà regulam traditam à Concil. Prouincialibus, cum enim agatur de non leui animarũ damno, quod reparare tenentur Epiſcopi, illicò earum indemnitati per Epiſcopos conſulendum eſt alios eligendo Chori Pręfectos, qui hęc omnia ex neceſſitate agenda ſegniter non omittant.

LEX CXCI.

Diſpoſitiones legatorum, quæ fiunt Eccleſiæ Cathedrali, non ſemper ab Epiſcopis relinquendæ arbitrio Capituli.

PRoponitur hic examinanda Prudētię Epiſcopali quędam diſpoſitio legati indeterminata quo ad vſum, relicta tamen Eccleſię Cathedrali, à quo nimirum ſit determinanda, à Capitulo, an verò ab Epiſcopo, & plerique docent cum Paſqualigo *Q. Moral. Iurid.* 125. talem vſum legati relicti Eccleſiæ eſſe determinandum à Capitulo, non ab Epiſcopo, idque videntur colligere *ex cap. Relatum de teſtam.* vbi habetur, quod Capitulum, & non Epiſcopus repræſentat Eccleſiam, quæ ſola habet ius in omnia bona ſibi à teſtatoribus relicta, & ſola poteſt habere liberam facultatem talia bona adminiſtrandi; volunt ergo iſti DD., Epiſcopum non poſſe ſe ingerere in adminiſtratione, & vſu legati, niſi tamquam de Capitulo, & tamquam caput Capituli, à quo non eſt excludendus in deliberationibus, quæ fiunt à Capitulo, niſi ipſe velit. Si tamen à teſtatore Epiſcopo committeretur præcisè adminiſtratio talis legati, etiam Eccleſię relicti, tunc non poſſet Capitulum ſe ingerere, ſed ad ſolum Epiſcopum ſpectaret diſponere iuxtà Rotam coram Caualero *deciſ.* 639. *n.* 6. & coram Durano *deciſ.*455. *n.*8. Ita etiamſi legatum relinqueretur alicui Capellæ, quę ſit in Cathedrali, & ratione beneficij habeat proprium Rectorem, tunc adminiſtratio non pertinebit ad Capitulum Eccleſiæ, ſed ad Rectorem illius Capellæ iuxtà id, quod tradit *Gloſſ. in cap. Relatum*, & etiam Rota coram Cæſare de Graſſ. *deciſ.*4. *de his, quæ fiunt à maior. part. Capitul.* & coram Durano *deciſ.*292. *n.*19. & ſimiliter differendum eſſet, ſi legatum eſſet relictum Confraternitati, quæ eſſet erecta in Cathedrali; quod habetur *ex cap. cum dilecta de exceſſ. Prælat.* & ex Rota coram Durano *deciſ.* 291. *n.* 20. Enimuerò confraternitates, licet erectæ in Eccleſia Cathedrali, non ſubduntur Capitulo, ſed Epiſcopo, cum eius authoritate erigantur iuxtà Conſtitut. 115. Clement. VIII. *tom.*3. *Bullar.*

LEX CXCII.

Ab Epiſcopis, tamquam ab exequutoribus vltimarum voluntatum cognoſcendæ omnes diſpoſitiones legatorum quomodocumque factæ.

QVidquid ſit, an à Prudentia Epiſcopali ſint permittendæ alieno arbitrio determinationes legatorum quo ad vſum, ſuppoſito quod ſine determinatione talis vſus relinquantur à teſtatoribus legata, vel Eccleſijs, vel Capellis, vel Confraternitatibus, quod tamen non ità liberè fateor, cum ſint hæc duo in legatis, quæ relinquuntur, diſtinguenda, nimirum Ius legatorum, quod ſemper eſt apud eos, quibus relinquuntur, & determinatio vſus ſuppoſito, quod relinquantur ſine determinatione; cum poſſit ſpectare ad Epiſcopos, tamquam ad conie ctores, & cognitores vltimarum voluntatum intentiones teſtatorum interpretari, & cognoſcere, & conſequenter indeterminatas determinare; pro certo hoc loco ſtatuendum eſt, poſſe Epiſcopos, tamquam Prælatos ſe immiſcere in quacumque exequutione legatorum, cognoſcendo diſpoſitiones, & effectuationes eorumdem; nam id clarè habe-

habetur *in cap. A collatione de Appellat. in 6.* vbi Gloſſ. & Doctores communiter id affirmant, conſentiente etiam Rota *deciſ.* 193. *n.* 3. *part.* 4. *recent.* in hac re videri poſſunt omnes, qui ſcripſerunt de teſtamentarijs diſpoſitionibus, & quæ prærogatiuæ tribuantur Epiſcopis in hac materia.

LEX CXCIII.

Soluendæ Penſiones ab Epiſcopis tantum ad ratam fructuum, qui percipiuntur ab Epiſcopatu.

EXtra fines, & leges Epiſcopalis Prudentiæ vagarentur omnes Epiſcopi illi, quibus cum ex Eccleſiæ dote neceſſaria alimenta ſint conſtituta, idque præcipiatur, tum à iure naturæ, quæ pro omni ſtatu neceſſaria præſcribit, tum à Iure Diuino, quod ſpiritualis coniugij bona fecit Epiſcopis propria, vel ſaltem cum Eccleſia Sponſa communia, tum à Iure poſitiuo, quod Epiſcopis ſufficientes redditus ad congruā ſubſtentationem ratione ſtatus præſcribit, quaſi tamen ſuæ obligationis ignari, vel ſuæ ſortis, immo potiùs propriæ neceſſitatis obliti, vellent ita ſemper penſiones ſuis Penſionarijs ſoluere, ac ſi ſingulis annis integros fructus reciperent, nullo habito reſpectu ad euentus, vel infortunia, ex quibus redditus, vel fructus Epiſcopatus ſolent notabiliter minui, vel mutilari; ſanè enim ſic agentes imprudentiſſimè agerent; quia ſemper à præſcripto Iuris naturæ, Iuris Diuini, & poſitiui deflecterent, cum omnia iſta Iura rectæ rationi ſint conſona, nec vllam criminis notam poſſint admittere. Cum itaque Penſiones quæcunque ſint, vt valeant, ſint ex aliqua iuſta cauſa ponendæ, ſemperque ſupra fructus Epiſcopatus conſtituantur, quorum nomine non intelliguntur res Epiſcopi aduentitiæ, non erunt ab Epiſcopis ſoluendæ, niſi ad ratam fructuum, qui annuatim percipiuntur: Quemadmodum enim ſi omnes perirēt fructus, nullo Iure tenerētur Epiſcopi Penſiones ſoluere, ex eo quod pereunte toto obligationis fundamento, perit tota obligatio; ſic ſi tantum quoad partem perirent fructus, etiam quoad partem ceſſaret ſoluendæ Penſionis obligatio; ſicut enim ſe habet totum ad totum, ita proportionaliter ſe habet pars ad partem; quæ tamen doctrina intelligenda eſt, quando aliūde non remanerent pro Epiſcopis neceſſaria ad congruam ſubſtentationem; quia tunc per Pontificia Diplomata, tamquam per legem poſitiuam poſſent Epiſcopi obligari ad ſoluendum pro Penſione omne id, quod ſupereſt congruæ ſubſtentationi; & propter hunc caſum quæcunque lex poſitiua non poteſt obligare contra Ius naturæ, & contra Ius Diuinum, quæ eſt doctrina cōmunis, & communiter recepta in Eccleſia Dei. Addo ad impoſſibile neminem teneri, neque ad impoſſibile poſſe obligari, & ideò cum ex fructibus quocunque caſu imminutis impoſſibile ſit id percipere, quod percipiebatur ex fructibus integris ad ſoluendam integram Penſionem, & ad neceſſaria alimenta decerpenda, nulla quoque erit obligatio ex Iuſtitia ſoluendi, quod ſoluebatur re manente integra in iiſdē fructibus. Quod verò dicitur de Epiſcopis, qui primates ſunt Ordinis Clericalis, dicendum eſt quoque de Beneficiarijs quibuſcunque, in quibus militant rationes eædem, cum *ex cap. Extirpandæ de Praben.* habeamus beneficia quęcunque Eccleſiaſtica eſſe primariò inſtituta ad alendos Beneficiarios ſecundum congruentiam proprij ſtatus,

quam ad alendos alios, etiamſi eſſent pauperes, & egentes.

LEX CXCIIII.

Retinenda ab Epiſcopis congrua ſufficiens ad ſubſtentationem proprij ſtatus, & dignitatis.

ESſet non leui imprudentię nota inurendus Epiſcopus ille, qui ſi modus ſuppeteret ſuſtinendi propriç dignitatis, & gradus onus, & honorem ex ijs, quę ſibi debentur tamquam Eccleſię ſponſo; deeſſet tamen animus, aut ex indebito conſcientię ſcrupulo, aut ex mentis imbecillitate ea iuſtè retinendi, quę ad neceſſariam, & congruam ſubſtentationem cenſentur requiſita; cum enim in vnoquoque perſonarum ſtatu ſint de iure ſtatus, & naturę ea omnia, ſine quibus non poſſet ſtatus aliquis ſubſiſtere, ſi quis vellet iuri ſtatus, cuius non eſt dominus particularis perſona, cedere aut abrenunciare, is ſemper ageret contra naturam, & contra rationem, quæ dictat iura cuiuſcunque ſtatus, & dignitatis eſſe ſuſtinenda, hancque primam eſſe debiti, & debitoris legem, quæ neque in conſcientia debet violari, vt tradunt Doctores omnes de debitis, & debitoribus, qui non tenentur de ijs ſe expoliare, quæ requiruntur ad ſuſtinendum ſtatum ſuum pro ſoluendis debitis ſuis creditoribus. His itaque ſuppoſitis, cum redditus cuiuſcunque Epiſcopatus, & beneficij ſint primariò inſtituti ad hoc, vt decor Eccleſiaſtici Status præ cæteris affulgeat in Eccleſia, & vita cuiuſcunque Eccleſiaſtici, & beneficiarij decenter, & congruè transigatur, clarè deducendum Penſionum ſolutionem nunquam fieri debere alijs, ſi poſſidenti Epiſcopatum, vel beneficium ad hæc ſufficiens non remaneat congrua; quæ doctrina colligitur expreſsè *ex cap. Extirpandæ de Preb.* & acriter ſuſtinetur à M. Ant. Brauo *de opin. improb. excitat.* 9. *n.* 10. *&* 11. qui etiam pro hac ſua doctrina Romæ adprobata, & in lucem edita multos affert Doctores. Qualis verò debeat eſſe ſufficiens congrua non ſatis, neque vnanimi ſenſu expenditur à Doctoribus, at certum eſt ex ipſo nomine pro congrua eſſe intelligendum redditum congruentem ſtatui, non perſonæ, cum primariò decor ſtatus ſuſtinendus ſit, vbi fieri poteſt, & licet ſtatus Epiſcopalis quoad Characterem, & ordinem ſit in omnibus Epiſcopis idem, & vnus, non eſt tamen ęqualis in omnibus, quoad decentiam exteriorem, & exigentiam rerum externarum; plura enim exigit ſtatus Epiſcopi, qui ſit magnus Princeps, & ſtatus Archiepiſcopi Mediolanenſis, quàm ſtatus ſimplicis, & pauperis Epiſcopi; Vnde multi Doctores volunt à Concil. Trident. taxari congruam pro Epiſcopis mille aureorum pro minimo, vbi fieri poteſt, quod indicat in Concil. illud verbum, *ſaltem*; Vera igitur regula congruæ Epiſcopalis, & cuiuſcunque beneficiarij erit deſumenda à conditione ſtatus, etiam ſpectata decentia exteriori, & hæc erit ſemper ab Epiſcopis, & alijs beneficiarijs ſpectata ſtatus proportione retinenda in ſolutione Penſionum, nec video poſſe adduci rationem in contrarium.

LEX

LEX CXCV.

Non ſemper ab Epiſcopis pro congrua retinenda, aut impedienda ſolutiones Penſionum.

NOn ſemper expedit ſcientiæ, & Prudentiæ Epiſcopali examinare caſus, atque tenebris inuolutas dilucidare tricas, in quibus intelliguntur Epiſcopi ipſi, & reliqui etiam beneficiarij ab omni onere Penſionum exēpti; cum enim eiuſmodi caſus ſemper obuerſentur in dubijs, magiſq; præſeferant difficultates ſoluendas, longè opportunius erit Epiſcopali prudentiæ eos prætermittere, quàm inter eorum ambages immorari. Supponunt tamen Doctores communiter tunc onera Penſionum Penſionarios minimè grauare, neque eoſdem obligare. Primò, Quando Penſiones ſine iuſta cauſa ponuntur. Secundò, Quando Penſiones impoſitæ, quæ ſunt de iure poſitiuo, opponuntur iuri Diuino, vel iuri naturæ. Tertiò, Quando Penſiones, quæ habent ſpeciem contractus, deficiunt in requiſitis neceſſarijs ad obligandum. Quartò, Quando Penſiones talem patiuntur exceſſum, vt nec locum relinquant alimentis ſecundum ſtatum perſonæ, nec dent facultatem, vt poſſint erogari pauperibus eleemoſinæ, arctiùs ſemper ſtringente vinculo alend. ſeipſos, ſuoſque pauperes, quàm obligatione ſoluendi Penſiones alienis non egentibus. Quintò, Quando eò aſſurgit Penſionum exceſſus, vt propria dote omninò ſponſa exhęredetur Eccleſia, cum dos Eccleſiæ omninò non poſſit alienari. Sextò, Quando in Bulla Penſionis impoſitæ, non commemorantur alia onera Penſionum impoſita, quibus omnibus neceſſe eſt conſentire. Septimò, Quando Penſiones, quæ ſunt bona Eccleſiæ, non conuertuntur in vtilitatem ipſius Eccleſiæ, vel immediatè, vel mediatè, nimirum illas applicando perſonis, quę poſſint Eccleſiæ inſeruire, aut quæ iam merita, & virtutem exhibuerint in vtilitatem, & illuſtrationem Eccleſiæ, vt ſunt Penſiones, quæ dantur in remunerationem. Quibus conditionibus Pēſionum adduntur etiam aliæ, quæ tamen, cùm non ſint ita communes, relinquuntur. Non ſunt igitur retinendæ, vel impediendæ ab Epiſcopis ſolutiones Penſionum, quando illi, qui tenentur ſoluere, licèt non habeant modum ſoluendi per redditus Epiſcopatus, vel beneficij, habent tamen aliunde; ita tamen vt per bona patrimonialia poſſint ſupplere omni obligationi impoſitæ oneri Epiſcopatus, & etiam debito ſoluendi Penſiones; nam in hoc caſu videntur ceſſare omnes rationes allatæ in fauorem retinentium, vel non ſoluentium Penſiones, cùm verè de facto poſſint, & conſenſerint in illam ſolutionem attenta etiam facultate Patrimoniali, quæ certo modo per conſenſum remanet obligata ad ſolutionem. Si verè tamen tota radix obligationis contractæ ad ſoluendum fuiſſent fructus, vel redditus Eccleſiaſtici, deficiēte radice, & ruente fundamento totius obligationis, deficeret tota obligatio, tàm pro Epiſcopis, quàm pro alijs Beneficiarijs. Solui itaque debent exactè Penſiones, quando habent omnes conditiones, vt ſint ſolubiles; nec Summus Pontifex, nec Deus ipſe poteſt facere, quod ſit ſolubile id, quod de ſe non eſt tale, cùm nulla ſit poteſtas, neque in creatis, neque in Diuinis ad impoſſibile.

LEX

LEX CXCVI.

Retinendæ quandoque Penſionum ſolutiones ab Epiſcopis, non ſolum pro alendis ſe ipſis & familia ſecundùm ſtatum, ſed etiam pro alendis pauperibus propriæ Diœceſis.

VAldè diſſonum eſſet à Scientia, & Prudentia Epiſcopali, ſi ea, quæ proprij muneris, & officij ſunt, penitus ignoraret, docente D. Th. pluribus in locis vnumquemque teneri, aut ſcire, aut quàm citò addiſcere ea, quæ ſpectant ad proprium ſtatum, vt numeros omnes ſui ſtatus, & officij exactè implere poſſit. Cùm igitur teneantur Epiſcopi ſcire ex natura coniugij, quod ipſi contrahunt cum Eccleſia, ſe habere primum, & principale ius intrinſecum ad fructus, & redditus Eccleſiæ, & poſt ipſos ius quoque intrinſecum ad eoſdē habere pauperes, ex eo quod bona Eccleſiæ antiquitus in commune ſubſidiū recepta, fuerint etiam ad hoc inſtituta, vt ſatis conſtat ex primordijs ipſius Eccleſiæ; tenentur vtique ſcire ex conſequenti, ſe non poſſe Penſiones ſoluere, niſi priùs iuri intriñſeco proprio, & iuri intrinſeco pauperum fuerit ſatisfactum; quæ iura vtpotè intrinſeca debent preferri iuribus alienis extrinſecis, ex Iuſtitia enim, & etiam ex Charitate primò ſibi ab vnoquoque conſulendū eſt, deinde alijs, & ſic loquendum de pauperibus, nā in primis proprijs pauperibus, ſiue Diœceſis propriæ ſuccurrendum eſt, quàm pauperibus alienæ ditionis; quod aſſeritur, vt intelligatur etiam illos pauperes, ſi verè pauperes eſſent, quibus eſſent ſoluendæ Penſiones, eſſe poſthabēdos pauperibus proprijs, tum ex Iuſtitia, tum ex Charitate, atque in eiuſmodi caſibus ſemper erit vera lex prudentiæ, innocentiæ, & cōſciētiæ Epiſcopalis, ſolutiones Penſionum retinere, non obſtante quacunque lege poſitiua in contrarium; nam pars illa reddditum, quæ eſt addicta ſoluendis Penſionibus, cùm ſit ſuperflua pars, & non neceſſaria pro alendo Epiſcopo ſecundùm proprium ſtatum, vt verè ſupponitur ex doctrina communi Canoniſtarum, non poteſt, niſi pauperibus applicari; cœteris autem paribus ſemper præferendi ſunt alienis pauperes proprij Epiſcopatus. His exceptis caſibus Penſiones ſunt ſemper ſoluendæ Penſionarijs, quia ſicuti ſupponuntur ex iuſta cauſa impoſitæ, ſic iuſtè exigi poſſunt, & ſolui debent. De penſionibus verò currentibus in Sede vacante eodem modo ratiocinandum eſt, nam ſemper ſoluendæ ſunt, ſi Epiſcopus accepit redditus ſufficientes ad ſoluendum, detractis expenſis neceſſarijs factis ad parandas res neceſſarias ad Epiſcopatum, quæ debent ſolui de redditibus Epiſcopatus, cum fiant in ordine ad illum.

LEX CXCVII.

Fructus Penſionum ab Epiſcopis non reſtituendi ad ratam pro omiſſione Horarum Canonicarum, ſi præter Penſiones obtineant alia beneficia.

CVm non ſit inuſitatum Epiſcopis præter Epiſcopatum quædam alia obtinere beneficia, & præter beneficia ex Indulto Summi Pontificis, quandoque etiam gaudere Penſionibus, erit Prudentiæ Epiſcopalis haud ſpernendum opus, inter fructus Epiſcopatus, beneficiorū, & Penſionum optimè diſcernere, vt debita reſtituendi fructus pro omiſſione Horarum Canonicarum accuratè diſtinguat, & impleat

pleat, neque hic eſt diuturniùs immorandum in fructibus Epiſcopatus, & beneficiorũ, cùm de ijs iam ſatis dictũ ſit, maneatque ſolummodo difficultas de Reſtitutione fructuum Penſionum, poſito, quod Epiſcopus Beneficiarius omittat recitare Horas Canonicas, ad quas tenetur ratione beneficij; videtur namque, quod obligatio recitãdi Horas Canonicas ſit ſubrogata obligationi, quam priùs habebat Pẽſionarius recitandi officium B. M. V. & ideo quod ſicut anteà tenebatur reſtituere fructus Penſionum pro rata attenta omiſſione Officij B. V., ſic poſtmodum teneatur etiam eoſdem fructus pro rata reſtituere omiſſis Horis Canonicis. Certũ enim eſt *ex Conſtit.* 135 *Pij V. tom. 2. Bull.* teneri omnes beneficiarios, & Penſionarios fructus pro rata reſtituere. Siſtendo tamen in fructibus Penſionum, verior doctrina eſt Epiſcopos Penſionarios non teneri ad talem reſtitutionem, quia cum in ipſis, qui non ſunt ſimplices Clerici, nec ſimplices Penſionarij, ceſſet obligatio recitandi Officium B. Virginis, debet etiam ceſſare obligatio reſtituendi fructus pro illius omiſſione impoſita à Conſtitutione Pij V. & hæc doctrina colligitur *ex cap. ſi Papa de Priuil. in 6. & Clemen. ſi ſumus de ſententijs excommunicat.* & ex *Gloſſ. in l. Mancipia*, & ex Rota coram Merlino *deciſ.* 412. *n.* 1. ceſſante enim præſuppoſito obligationis, ceſſat etiam diſpoſitum pro obligatione; maximè quia omnis obligatio eſt ſtricti Iuris, ac proinde nunquam eſt extendenda iuxta *ſi obligationum ſubſtantia, & l. Arrianus ff. de act. & oblig.* & iuxta *deciſ. Rotæ* 436. Addo, obligationem reſtituendi habere pro cauſa obligationem officij, quæ cum nullum habeat locum in beneficiarijs, neque poteſt habere locum effectus, ex *l. ſi pupillus de acquirend. hæred.* & ex *Rota deciſ.* 35. 3. *p.* enimuerò obligatio reſtituendi, quam imponit Pius V. eſt conſequutiua ad obligationem, quam idem Pontifex imponit Penſionarijs recitandi officium B. Virginis, quæ obligatio ſolum imponitur ſimplicibus Penſionarijs, non beneficiatis; neque obligatio oneroſa, odioſa, & pœnalis eſt extendenda, ſed potius reſtringenda, vt patet *ex cap. 1. de Fil. Presbyt. & ex cap. Odia, & ex cap. in Pœnis, & ex Rota deciſ.* 156. omnis igitur obligatio reſtituendi fructus oritur ex obligatione officij, propter quod datur beneficium; Penſio verò iuxta doctrinam communiorem non habet rationem beneficij. De hac re fusè, & doctè agit Paſqualig. *q.* 211. *in ſingul. ſelect. Iurid.* qui multos DD. refert iſtius doctrinæ patronos.

LEX CXCVIII.

Ad fructuum reſtitutionem non ſemper cogendi ab Epiſcopis Capellani omittentes Horas Canonicas.

NOn omnis Capellaniæ fructus dicuntur beneficiales, nec propter officium dati, ac proptereà Epiſcopalis Prudentiæ id erit opus, vt ſemper diſtinguat inter fructus beneficiales Capellaniæ datos propter officium, qui dicuntur fructus Capellaniæ collatiuæ, & inter fructus non beneficiales Capellaniæ non collatiuæ, quæ non trahit ſecum obligationem beneficij, de his namque certum eſt apud omnes, nullam eſſe obligationem reſtituendi, & Capellanos huiuſmodi non poſſe ab Epiſcopis ad reſtitutionem compelli. Difficultas igitur eſt de ſolis fructibus Capellaniæ collatiuæ, quæ datur in titulum beneficij, qui fructus, ſi ſint ita pingues, vt poſſint reſpondere oneri

celebrandi Miſſas, & etiam oneri recitandi Horas Canonicas, certum eſt, quod pro illa parte, quæ reſpondet oneri officij, quod omittitur, ſunt reſtituendi, ſi verò non ſint ita pingues, vt reſpondeant vtrique oneri, ſed ſolum oneri celebrandi Miſſas, in hoc caſu data quacunque omiſſione officij, non ſunt reſtituendi; eſt enim doctrina cõmunis apud Paſqualig. *qu.212. in ſelect. Iurid.* quod quando Beneficiarius præter recitationem officij habet alia onera adiuncta, non teneatur reſtituere fructus reſpondentes alijs oneribus, ſed ſolum reſpondentes oneri Diuini officij; eo igitur modo, quo quis obligatus ad plura onera, ſed principaliter ad officium, propter quod datur beneficiũ, non tenetur reſtituere, niſi fructus debitos omiſſioni officij, & non omiſſioni aliorum onerum, ita obligatus principaliter ad celebrationem Miſſarum ratione Capellaniæ, licet habeat adiunctum aliud onus, ſcilicet recitandi Diuinum officium, non tenebitur reſtituere niſi fructus reſpondentes oneri principali, quinimmò docet Sãchez *lib. 2. Conſil. Moral.* fructus Capellaniæ nullo modo eſſe addictos recitationi officij, ſi tantum ſufficiant pro celebratione Miſſarum, ac propterea ex illo capite, nunquam eſſe reſtituendos; neque in hoc caſu Capellania poteſt vnquam euadere vnum ex illis beneficijs, quæ dantur propter officium, quibus Leo X. *in ſua Conſtitut.* 7. imponit onus reſtituendi fructus. Quod intelligendum eſt, etiamſi Capellania non collatiua erigeretur in beneficium, quia ex intentione fundatoris illius Capellaniæ ſemper fructus darentur ob celebrationem Miſſarum, non pro recitatione officij, quæ Intentio, & diſpoſitio fundatoris per illam nouam erectionem non poteſt mutari, & ſic Capellanus nunquam teneretur reſtituere fructus pro omiſſione officij; niſi tamen fructus, vt dixi, eſſent ita pingues, vt poſſent reſpondere vtrique oneri, in quo caſu eſſent ad ratam reſtituendi.

LEX CXCIX.

Non permittendæ ab Epiſcopis venditiones, redemptiones, extinctiones Penſionum pro pecunia numerata.

SVper eas dumtaxat Penſiones Prudentiæ Epiſcopali incumbit vigilantiæ onus, quæ vel dantur in titulum alicuius beneficij pro aliquo Spirituali miniſterio, vel quæ dantur in titulum quomodocunque Eccleſiaſticum ex eo, quod perſona intra Eccleſiaſticum ordinem conſtituta per tonſuram addita obligatione recitandi officium Beatiſſimæ Virginis adquirit ius aliquod in redditus Eccleſię; de alijs namque Penſionibus purè laicalibus, collatis nimirum in titulum remunerationis pro aliquo laicali ſeruitio non eſt, hic loquẽdum, cum nullo modo ſint ſub ditione, & regimine Epiſcoporum, vt Epiſcopi ſunt. Siſtendo itaque purè in Eccleſiaſticis, quę dicũtur quoquomodo Spirituales, cum ſint fundatæ in iure Clericali, & Eccleſiaſtico recipiendi fructus Eccleſiæ, valdè diſſonum ſemper erit à Prudentia Epiſcopali, ſi earum venditiones, extinctiones, aut redemptiones permittat pro pecunia numerata, cum in eiuſmodi contractibus ſemper aliquid ſimoniacum interueniat ex cõmutatione rei Spiritualis, ſcilicet Penſionis cum Temporali, quæ eſt pecunia. Neque in hac re audiendos exiſtimo Doctores illos, qui putant Penſiones eſſe aliquid purè temporale, cum ſit onus impoſitum fructibus beneficij, quod nihil Spiritualitatis videtur pręſeferre;

ferre; enim verò cum ſit res omninò fundata in re Eccleſiaſtica, & in ſtatu Clericali, non poteſt dici res omninò temporalis, vt dictum eſt. Doctrina tamẽ oppoſita ſua probabilitate nõ caret, & ex illa fortaſſis non damnantur in Eccleſia tot penſionum redemptiones, & extinctiones, quæ quotidiè fiunt; quas tamen auuertere, & impedire optimè ſemper conſultum erit Prudentiæ Epiſcopali; ſaltem ſub dubio, vel ſuſpicione ſimoniæ, quia licet Penſio, vt benè probant ſectatores iſtius doctrinæ, non ſit ius aliquod, aut det ius ad beneficium, quod eſt quid Spirituale, ſed tantum ad fructus beneficij, qui ſunt temporales; ius tamen illud Spirituali modo acceptum, nimirum à Clerico, quatenus eſt perſona Eccleſiaſtica participans in bonis Eccleſiæ ſemper fit aliquo modo ſpirituale, ſaltem vt annexum rei ſpirituali, cum fiat proprium perſonæ Spiritualis intra ordinem Spiritualem, & hanc doctrinam ſequuntur viginti Doctores apud Paſqualig. *deciſ.* 207. vbi etiam affert Deciſionem Rotæ, & Conſtitutionem Pij V.

LEX CC.

Ab Epiſcopis permittenda tantum ceſſio fructuum, non ceſſio iuris in Penſionibus.

A Prudentia Epiſcopali, quæ ſemper cum ſcientia neceſſaria debet eſſe coniuncta faciendum diſcrimen eſt inter ceſſionem fructuum, quæ res purè temporalis eſt, & ceſſionem iuris ſupra fructus Penſionis, quod ius ſemper eſt ſpirituale ex dictis, vtpotè fundatum in Clericatu, & ordine Eccleſiaſtico; & facta hac diſtinctione facilè erit deprehendere, quomodo vnum permitti poſſit abſque ſimoniæ nota, & non alterum; neque audiendi ſunt Leſſ. *l. 2. cap. 22.* & Nauarr. *Conſil. 11. de rebus Eccleſ.* qui dicunt etiam ipſam fructuum ceſſionem ſecum trahere ius ad fructus, quod eſt Spirituale; certum enim eſt hoc ius remanere ſemper in Penſionario, qui ob pecuniã etiam anticipatè ſolutam transfert tantum quamdam facultatem exigendi fructus, ſicut ſolet transferri in Procuratorem, retento ſemper iure in ſe ipſo, quod eſt indiuiſibile à transferente; exigens enim fructus Penſionis nunquam exigit iure proprio, ſed ſemper iure cedentis tales fructus, agitque in illa exactione tãquam Procurator cedentis; atque in hoc quod quis tantum fruatur commodo fructuum alicuius Penſionis, non dicitur frui aliqua re ſpirituali, ſed tantum temporali, quę poteſt vendi, atque pro libito commutari cum alia re temporali. Neque obſtat Canon *in cap. ſi quis obiecerit diſt.* 1. *qu.* 3. vbi dicitur, *qui vnum vendit, ſine quo nec alterum prouenit, neutrum venditum eſſe*, quia in noſtro caſu ceduntur tantum fructus tamquam exacti per Procuratorem, de quibus Penſionarius ſemper poteſt liberè diſponere exigito conuenienti illorum pretio. Neque obſtat *Clementin.* 1. *titul. de rebus Eccleſiaſticis non alienandis, aut extrauag. ambitioſa, aut deciſ. Rota* 632. quia textus illi non loquuntur de ceſſione Penſionum, aut fructuũ earum, ſed ſolum de locatione beneficiorum, & de alienatione rerum Eccleſiæ facta quocumque modo, quæ non debent extendi ad Penſiones, ex eo, quod onera ſunt ſemper reſtringenda; præſertim, quia fructus Penſionis, vt ſæpè dictum eſt, non ſunt aliquid Eccleſiaſticum, & Spirituale, ſed merè temporale.

LEX CCI.

Nemini permittenda ab Epiſcopis ſolutio annua Penſionis ante expeditionem litterarum Apoſtolicarum.

SVmmus Pontifex Sixtus V. in literis Apoſtolicis, quæ expediuntur pro ſolutione annuæ Penſionis, iuſſit apponi irritationem, ſeu annullationem reſeruationis, quotieſcumque ſoluitur Penſio ante expeditionem earumdem literarum Apoſtolicarum, ac propterea ab Epiſcopali prudentia maximè cauendum eſt, ne fiant eiuſmodi illicitæ, ac irritæ ſolutiones; clauſula enim, quę ponitur in quacumque Penſionum reſeruatione continet hæc verba, *Penſionem annuam, &c. perſoluendam reſeruamus, vigore tamen præſentium, nec aliter, alioquin præſens reſeruatio nulla ſit, &c.* ex quibus colligitur, quod ſi Penſio ſoluatur ante expeditionem literarum ſtatim corruit, & fit nulla ipſa reſeruatio, ſic etiam ſentiente Rota *in Veronenſi* die 1. Iulij 1592. coram Millino, & Mantica *deciſ.* 186. *num.* 5. quibus additur ſenſus Lotter. *lib.* 1. *de beneſ. qu.* 37. *n.* 8. Ratio eſt, qa deficiente forma præſcripta à Summo Pontifice, vi cuius tantum ſubſiſtit reſeruatio, neceſſe eſt corruat, & deficiat id, quod tantum intenditur ſub tali forma à Summo Pontifice, immò id quod tantum ſub tali forma ad, robatur à Sede Apoſtolica, nulla enim probatur reſeruatio, niſi ſub tali forma, quæ præſcribitur in literis Apoſtolicis. Verum tamen eſt, quod literæ Apoſtolicæ ſemper intelliguntur expeditæ, quando ſunt plumbatæ, etiamſi non ſint relaxatæ, vnde ad ſolutionem, & exactionem, Penſionis ſolum attendenda eſt data plumbationis, non data relaxationis, cum fieri poſſit, vt poſtquam literæ plumbatæ ſunt, ex aliqua iuſta cauſa non relaxentur; idque habemus expreſsè ex *Gloſſa Antiqua ad Regul.* 53. *Cancell.* ex Rota *in Gadicenſi* die 20. Octobris 1578. coram Brauo, *& in Biſantina* die 4. Iulij 1603. coram Sacrato, quibus præter Loter. & Garziam adhærent alij Doctores.

LEX CCII.

Solutio partis Penſionis etiam ante expeditionem literarum Apoſtolicarum permittenda ab Epiſcopis.

NOn accidit raro, quod in ancipiti verſetur Epiſcopalis Prudentia obaudiens, quoſdam aliquam partem ſoluiſſe Penſionis ante expeditionem literarum Apoſtolicarum; quapropter, vt omne tollatur dubium, ſtatuendum eſt, poſſe Epiſcopos omnes abſque vllo ſcrupulo permittere ſuis ſubditis, vt ſoluant partem annuæ Penſionis non expectata expeditione literarum, non enim permittitur aliquid diſſonum à mente Summi Pontificis, qui prohibet tantum ſolutionem anticipatam totius Penſionis, non partis; quemadmodum enim pars Penſionis non eſt Penſio, ita neque ſolutio partis dicenda eſt ſolutio Penſionis, ſed inchoatio ſolutionis, neque enim ſoluere cenſetur, qui totum non ſoluit *ex l. heredes §. in illa ff familia hereiſcund.* cui adhæret Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancell. Gloſſ.* 63. *nu.* 28. nec ideò pœna annullationis reſeruationis eſt extendenda ad inchoationem ſolutionis, cum pœnæ ſint ſtrictè accipiendæ, & ſemper in fauorabilibus illa facienda interpretatio, quæ ipſas excludat *ex cap. ex literis de Conſtit.* Accedit etiam quod pœna impoſita à lege non habet locum, niſi poſtquam actus eſt perfectus, & conſumatus, vt habemus ex

Gloſſa

Gloſſa *in cap.*1. *Verbò contrahere*, & etiam ex pluribus Iuriſtis apud Paſqualig. *qu.* 10. *Moral. Iurid.* cum itaque annullatio reſeruationis Penſionis ſit pœna impoſita à lege, nimirum à Conſtitutione Sixti V. qui prædictam irritationē iuſſit apponi in literis Apoſtolicis, pœna non debet habere locum, niſi poſt actum completum, & conſumatum, nimirum poſt perſolutam totam integram Penſionem.

L E X CCIII.

Non permittenda ab Epiſcopis ſolutio Penſionis Clerico incedenti ſine habitu, & tonſura Clericali.

SIxtus V. in ſua Conſtitut. 92. *tom.* 2. *Bullar.* in hac re poſuit legem Epiſcopali Prudentiæ ſtatuendo, quod Clerici habentes Penſiones, ſi non deferant habitum Clericalem cum tonſura ſint ipſo Iure priuati Penſione abſque alia citatione, monitione, aut Iudicis miniſterio; quod notant Garz. *de benef. part.*7. *cap.* 1. Viuald. *in expoſit. huius Conſtit.* Lotter. *de re benefic. lib.*1. *q.* 42. additis etiam pluribus Rotæ deciſionibus in hac materia, nimirum *deciſ.* 158. *num.*16. *part.* 1. *recent.* & in Floren. Penſionis 1627. 7. Iunij coram Vbaldo, & in Ceſarauguſtana Penſionis 1622. 3. Iunij coram Coccino, & denique coram Merlino *deciſ.* 382. Lotterius tamen *loco cit.* ex declaratione Sixti V. habita poſt factam primam Conſtitut., aduertit illam primam Cōſtitutionem eſſe intelligendam, non quoad omnes Penſiones; ſed tantum quoad illas, quæ excedunt Sexaginta Ducatos aureos de camera, qui faciunt nonaginta ſex ſcuta argentea, ſiue hæc ſumma conſiſtat in vna tantum Penſione, ſiue in pluribus; quemadmodum etiam notat ex Rota *deciſ.* 382. coram Merlino non habere locum illam Cōſtitutionem Sixti V. quoad Equites Militares, qui capaces ſunt Penſionis ſuppoſito, quod incedant cum habitu, & inſignibus ſuæ militiæ ex Indulto eiuſdem Sum. Pontif. *in Conſtit. declarat. allata in tom.*2. *Bullar.* §. 2. Addit etiam Lotter. *q.*42. *de re benef. n.*53. *lib.* 1. quod obligatio deferendi habitum, & tonſuram Clericalem incipit tantum, quādo Clericus incipit exigere Pēſionem, quod etiam habetur *ex deciſ.* Rotæ 20. *n.*4. coram Ludouiſio, quæ eſt iuxta declarationem eiuſdem Sum. Pontif. Sixti V. vnde ſi poſt conceſſionem Pēſionis moueretur aliqua lis ſuper reſeruatione, non tenebitur Clericus durante lite incedere in habitu. Si quis verò deferret habitum ſine tonſura, cenſeretur vtique Penſione priuatus, vel priuandus ex vi præfatæ Conſtitut., quia Pontifex in illa loquitur copulatiuè de habitu; & tonſura, vt patet ex illis verbis §. 2. *tonſuram, & habitum Clericalem, veſtes ſcilicet talares &c.* & rurſus ex illis, *in futurū autem non niſi actu Clericis in habitu Clericali, & tonſura incedentibus &c.* Ratio eſt, quia habitus Clericalis conſiſtit copulatiuè in veſte talari, & tonſura, vt cum pluribus Iuriſtis docēt etiam Garzias *de benef. part.*7. *cap.*1. & Lotter. *de re benef. lib.*3. *q.* 36. *n.* 74. intelligitur namque habitus Clericalis pro complexo requiſitorum pro ſtatu Clericali ex Eccleſiæ Inſtitutione, quemadmodum etiam idem intelligitur de habitu Regularium ex Inſtituto Religionis.

LEX CCIIII.

Non inhibenda ab Epiſcopis ſolutio Penſionis debita Clerico, niſi conſtet in Iudicio de omiſſa delatione habitus, & tonſura.

INgerit dubitandi locum Prudentiæ Epiſcopali Conſtitutio eadem Sixti V. 92. §. 3. *tom. 2. Bullar.* vbi habentur expreſsè illa verba, *harum ſerie ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolica Poteſtatis plenitudine priuamus, ac ſine vlla monitione, citatione, Iudicis decreto, ac miniſterio ipſo facto priuatos declaramus &c.* ex quibus verbis ſatis clarè colligi videtur ex ſola lege Pontificia, abſque alio Iudicis miniſterio Clericum non deferentem habitum, & tonſuram eſſe priuatum quacumque Penſione, & beneficio. At hoc dubium Epiſcopis facilè tollitur, ſi dicatur Clericum non deferentem habitum, & tonſuram intelligi quidem priuatum Penſione ex ſola lege, ſed tamen ex delicto talem pœnam ſubeunte eſſe conueniendum coram Iudice, non ad iudicandum de ipſa priuatione, ſed de delicto propter quod incurritur pœna priuationis, adhoc vt iudicialiter conſtet; eſſet enim contra Ius naturæ, ſi aliquis priuaretur ex delicto, à quo nō poſſet ſe defendere, & de quo non poſſet facere, vt aliquid cōſtet in contrarium, quo ſe, & à delicto, & à pœna tueatur; dicta namque conſtitutio ſupponit delictum, nimirum, quod Clericus incedat ſine habitu, & tonſura, & ideò ſupponit, quod ſit in eo ſtatu, in quo ſit capax punitionis appoſitę in ipſa lege, vnde ſupponit, quod legitimè conſtet, non poteſt autem conſtare legitimè ſine iudicio, vel miniſterio Iudicis, qui cognoſcat, an vlla ſuppetat excuſatio iuſta, vel defenſio Clerico, & an aliquid poſſit allegare, quod importet diſpenſationem à tali obligatione ex mente legiſlatoris, vel aliquid aliud excuſans à delicto, propter quod tali pœna priuationis non ſit punibile delictum, quę doctrina eſt iuxta ea quę tradit Gloſſa *in Clement. 2. V. Rationabilis de vita, & honeſt. Cleric.* à qua Clementina *inquit Paſqualigus Q. Moral. Iurid.* 181. *n.* 7. Conſtitutio Sixti V. recipit interpretationem; ac propterea, antequam Clericus ſubeat pœnam, debet ſemper audiri, ne indefenſus condemnetur, quod neque Pontifex facere poteſt de plenitudine Poteſtatis, cum nulla ſua lege poſitiua poſſit derogare defenſioni, quę eſt de Iure naturę, quod habemus paſſim in Iure Ciuili, & Canonico, & communiter etiam apud Doctores.

LEX CCV.

Clericis Penſionarijs quandoque permittendus ab Epiſcopis inceſſus ſine habitu Clericali.

EX Conſtitutione Sixti V., quę habetur *in tom. 2. Bullarij* interdicitur Clericis Penſionarijs incedere ſine habitu Clericali, cui Conſtitutioni, cum ſit adnexa declaratio quędam eiuſdem Summi Pontificis habita die vltima Ianuarij 1589. videndum eſt quęnam ſit mens Papę in hac materia circa Clericos Penſionarios, & cum in eadem Conſtitutione fiat mentio de Penſionibus excedentibus ſexaginta aureos de Camera, & de alijs ad talem numerum non pertingentibus, reſoluendum eſt, quinam Clerici Penſionarij teneantur incedere cum habitu, quinam verò ſint illi, qui non teneantur. Iuxta Conſtitut. allatam Pontificis videtur Clericos omnes habentes Penſiones, & Be-

& Beneficia, teneri ad deferendum habitum Clericalem. Ratio eſt quia cum omnes gaudeant commodo beneficij, vel Penſionis, debent etiam oneribus Clericatus ſubiacere, inter quę onera connumeratur etiam delatio habitus Clericalis, & tonſurę; Verum tamen eſt, quod poſt factam à Pontifice declarationem, videntur excipi à tali onere illi, qui non habent Penſiones excedentes ſexaginta aureos de Camera, vt dictum eſt, idque conceditur ex Pontificis Priuilegio, & iam eſt in more poſitum, quod quamplurimi, licet tonſurati non deferant habitum Clericalem, ſaltem talarem, & tamen verè ſunt Clerici, & fruuntur Penſionibus, & beneficijs, etiam ſine habitu incedentes. Remanet tamen difficultas adhuc reſoluenda, an nimirum Clerici non incedentes cum habitu poſſint more Laicorum exercere quędam officia Ciuilia purè Sęcularia, an verò his obſtet Clericatus, ſed hęc quęſtio erit in ſequenti decidenda, ne terminos breuitatis propoſitę tranſgrediamur.

LEX CCVI.

Clericis Penſionarijs numquam ab Epiſcopis permittendum exercitium in officijs Sacularibus Ciuilibus.

PAti poteſt, vt ſupra dictum eſt, Epiſcopalis Prudentia, quod Clerici Penſionarij quandoque etiam ſine habitu Clericali incedant, & numquam ferre debet, quod officia Ciuilia, & purè Sęcularia exerceant, cum expreſsè interdictum habeamus *ex cap. Clerici de Vit. & honeſt. Cleric. & ex cap.* 1. *Ne Clerici, aut Monachi*, vbi ea redditur ratio tamquam finalis ex Apoſtolo, *quod nemo militans Deo implicet ſe in negotijs ſecularibus*; quod etiam colligitur *ex cap. Sacerdotibus eodem tit.* cum igitur ſit lata talis lex propter finem, ne ob negotia ſęcularia diſtrahatur à Deo militia Dei, ſequitur quod debeat extendi ad illa omnia, ex quibus prouenire poteſt diſtractio à ſeruitio Dei, & Eccleſię; par enim eſt, quod Clerici Penſionarij, licet incedant ſine habitu Clericali, vitam tamen agant Clericalem, cum ſint verè Clerici, ſintque à ſęcularibus curis omninò ſeiuncti, cui doctrinę adhęrent multi Doctores, pręſertim Molin. *de Iuſt. & Iur. tract.* 2. *diſp.* 108. Diaz. *in pract. Canon. cap.* 61. Maiol. *de Irregul. lib.* 2. *cap.* 5. Squillant. *de obligat. Cleric. part.* 2. *n.*106. & tandem Panormit. *in cap. Clerici de vit. & honeſt. Cleric.* Neque ex eo quod per Conſtit. Sixti V. diſpēſetur in delatione habitus Clericalis, colligendum eſt diſpenſari etiā in exercitio rerum ſęcularium, quia indulgentia, ſiue illa diſpenſatio Pontificia eſt ſtricti Iuris, neque poteſt extendi ad exercenda munera purè ſęcularia; quę doctrina habetur paſſim in Iure Ciuili *l. ſi quando init. cap. de inoff. Teſtam.* & alibi, & etiam habetur ex Rota coram Ludouiſ. *deciſ.* 353. *num.* 15. maximè, quia non deferre habitum, & exercere negotia ſęcularia ſunt duę obligationes Clericorum diſtinctę inter ſe, & independentes, vnde ex diſpenſatione vnius non poteſt colligi diſpenſatio alterius; tot enim diſpenſationes requiruntur quot ſunt obligationes, vt notat Gonzalez. *ad Reg.* 6. *Cancell.* & etiam habetur ex Rota corā Sacrato, & coram Pennia *deciſ.* 619. *n.* 1. & coram Ludouiſ. *deciſ.* 109. *n.*6.

LEX

LEX CCVII.

Non permittenda ab Epiſcopis conſtitutio Penſionis Clerico illegitimo, vt erigatur in titulum beneficij.

NOn proponitur hic Prudentiæ Epiſcopali conſiderandum, an Clericus illegitimus ſit capax Penſionis quomodocumque tranſlatæ, vel conſtitutæ, quia hoc dubium erit in lege ſequenti reſoluendum, ſed id, quod curæ, & vigilantiæ Epiſcoporum exponitur, eſt, an aliquis ſupra certam partem fructuum beneficij ſeparatorum, vel ſeparandorum poſſit Penſionem conſtituere ad hunc finem, vt in titulum beneficij erigatur; & dicendum eſt, hoc non poſſe Epiſcopos vllo modo permittere *ex cap. de Inceſtis* 35. *q.* 3. *& ex cap. cum cunctis de elect.* nam hoc modo conſtituta Penſio Clericalis, & Eccleſiaſtica regulatur inſtar beneficij, & ideò ſicut Clericus illegitimus eſt incapax beneficij, ita cenſendus erit incapax Penſionis ſic conſtitutæ, quod notat etiam Gigas *de Penſion. q.*1. *num.*1.& Nauarr. *conſil.*11. *de conſtit.* Ratio eſt, quia Penſio ſic conſtituta non habet amplius rationem Penſionis, ſed veri beneficij, cuius Clericus illegitimus ex Iure Canonico ſine diſpenſatione Apoſtolica ſemper eſt incapax. De pura autem Penſionis tranſlatione in Clericum illegitimum, ſuppoſita diſpenſatione ad Clericatum, nõ ſentiunt vnanimiter Doctores, cum plerique velint, ſuppoſita diſpenſatione ad Clericatum, poſſe Penſionem etiã in illegitimum abſolutè transferri abſque noua diſpenſatione; aſſerant verò alij non poſſe transferri abſque noua diſpenſatione, quæ reddat illegitimum talis Penſionis capacem, cum putent iſti Doctores Penſionem ſemper eſſe æquiparandam beneficio. Nos tamen Sententiam noſtram in ſequentibus proferemus.

LEX CCVIII.

Permittenda ab Epiſcopis tranſlatio puræ Penſionis etiam in Clericum illegitimũ, ſuppoſita ſola diſpenſatione ad Clericatum.

HÆſitauit diù Epiſcopalis Prudentia in regione quadam, an Clericus illegitimus obtenta prima diſpenſatione ad Clericatum, eſſet capax Penſionis abſque alia diſpenſatione pro ipſa Penſione obtinenda, vel transferenda; & ratio dubitandi fuit, quia cum ex doctrina multorum Clericus illegitimus ſit incapax beneficij Eccleſiaſtici, niſi obtineat diſpenſationem, videtur conſequenter, quod ſit incapax etiam Penſionis, quæ ſaltem largo modo accipitur à multis nomine beneficij, cum ad titulum Penſionis doceant multi poſſe aliquem ordinari. In qua re tamen ſolidiore doctrina reſoluendum eſt, Clericum illegitimum eſſe capacem Penſionis, neque pro illa obtinenda requiri aliam diſpenſationem, quàm iam obtentam pro Clericatu; pro qua Sententia affert Paſqualigus *q. Moral. Iurid.* præter plures, & plures Doctores etiam perplures Rotæ deciſiones coram Seraphino, & coram Coccino, & coram Durano, & coram Merlino, & coram Blanchetto apud Garziam, & coram Robuſterio, & coram Gypſio, & coram Litta, denique coram Buratto, quæ videri poſſunt apud Scriptores Deciſionum Rotæ. Ratio eſt, quia incapacitas, ſeu inhabilitas illegitimorum quoad beneficia non extenditur ad Penſiones, cum Penſio

ſio

ſio ſit quid valdè diuerſum à beneficio, & Ius Canonicum ſemper faciat diſtinctionem inter Penſionem, & beneficium, vt patet *ex cap. quamuis de Præbendis in 6.* & ex Concil. Trid. *ſeſſ. 21. cap. 2. & ſeſſ. 25. cap. 15. de Reform.* vnde cum inhabilitas, tamquam quid odioſum ſit potius reſtringenda, quàm extendenda, non debet extendi etiam ad Penſiones, quæ verè non ſunt beneficia; maximè quia etiam in Philoſophia à diuerſis non poſſit fieri illatio, quæ doctrina etiam habetur præter Philoſophiam in Iure Ciuili *l. neque natales cap. de Probat. & l. naturaliter, § nihil commune ff. de acquirenda poſſeſſione*, & alibi ſæpè. Ex quibus deducitur, Clericos illegitimos ſolum eſſe incapaces Penſionum propter incapacitatem fundamentalem ad Clericatum, qua ablata per diſpenſationem, remanent capaces, cum illegitimitas opponatur tantum Clericatui, non collationi, trãſlationi, aut receptioni Penſionis, & licet in conceſſione translationis Penſionis non exprimeretur tranſlatio ad illegitimum, adhuc valeret conceſſio, & tranſlatio, cum facultas transferendi ſemper intelligatur extenſa ad omnes capaces, quod notauit etiam Lotter. *de re benef. q. 40. n. 144. lib. 1.* cum Rota *deciſ. 3. de fil. Præsbyt. in Antiq.* An verò valeat Penſio translata, aut collata illegitimo, qui ſuſcepit Clericatum abſque præuia diſpenſatione, non ita certum eſt, cum ſint hinc inde variantes ſententiæ; tutior doctrina eſt, non valere defectu fundamenti capacitatis, quæ fundatur in Clericatu ritè ſuſcepto, ſcilicet cum diſpenſatione, idque colligitur *ex cap. Inter corporalia de tranſlat. Epiſc. & cap. veniens de Præsbyt. non baptizat. ex cap. fin. de reſtitut. ſpoliat.* & etiam ex Iure Ciuili apud Bald. *conſil. 402. n. 3. v. conſiderandum eſt lib. 1.*

LEX CCIX.

Seruanda vt plurimum ab Epiſcopis reſidentia in proprio Epiſcopatu.

EX Concil. Trid. *Seſſ. 6. cap. 1. de reform.* & ex Conſtit. Pij IV. incipiente *In Suprema*, & ex Bulla Vrbani VIII. edita anno 1634. præcipitur Epiſcopis reſidentia in propria Diœceſi, idque ſub peccato mortali, & ſub alijs pœnis ibi contentis, niſi adſit legitima cauſa; quidquid ſit, an reſidentia ſit de Iure Diuino, vel tantum de Iure humano, & præter eiuſmodi pœnas Epiſcopi non reſidentes tenentur ad reſtitutionem fructuum pro rata temporis, quo non reſederint, quæ reſtitutio facienda eſt, vel fabricæ Eccleſiæ, vel pauperibus, abſque alia declaratione, aut ſententia iuxta diſpoſitionem Tridentini, & Gloſſ. *in cap. Epiſcopus 4. de conſecr. diſt. 3.* vbi hoc aſſerunt etiam Genuenſ. *in Manual. Paſt. cap. 31.* Vgolin. *de officio, & poteſt. Epiſcopi cap. 4.* Garzias *part. 1. cap. 2.* & alij plures. Ratio eſt, quia quidquid datur Epiſcopis, ſiue ſit dignitas, & poteſtas, ſiue ſint opes, & redditus, ideò dantur, vt illa in ſalutem, & egeſtatem animarum impendant; ſi verò abſint à ſuis Eccleſijs, neque illarum ſalutem promouere poſſunt, neque indigentiæ prouidere, cum nihil videant in loco diſtanti. Dixi, *ſeruandam, vt plurimum reſidentiam*, non iugi commoratione, cum ad hanc nullo Iure obligentur Epiſcopi, nam pleriſque de cauſis poſſunt abeſſe, & ſaltem per tres menſes ipſis permittitur abſentia, vt patet ex Trid. & ex communi ſententia Doctorum. Quod verò ſine cauſa non poſſint abeſſe vltra tres menſes, & ſi abſint peccent mortaliter, & teneantur ad reſtitutionem fru-

fructuum pro rata temporis, eſt doctrina communis. Doctrina verò ſingularis Paſqualigi *in deciſ. Moral. deciſ.* 473. eſt, Epiſcopos, præter tres menſes taxatos à Concilio, non poſſe abeſſe, neque per quindecim, neque per decem dies, cum vltra talem taxam tẽporis, per quam indulgetur Epiſcopis, quantum indulgeri poteſt, non habeat locum paruitas materiæ, quamuis idẽ Paſqualigus doceat habere rationem paruitatis materiæ duos, vel tres dies ad ſummum; ſed ego non video quomodo Paſqualigus dicat indultum eſſe à Concilio, quantum indulgeri poteſt Epiſcopis in taxa trium menſium ad ſummum, & poſtea doceat, poſſe vlterius indulgeri per duos, aut tres dies, cum ratione trium menſium poſſint habere rationem paruitatis materiæ etiam dies decem, vt patet in alijs rebus, in quibus admittitur paruitas materiæ.

LEX CCX.

Non omnes cauſæ non reſidendi in proprio Epiſcopatu amplectendæ ab Epiſcopis tamquam legitimæ.

Siue Reſidentia Epiſcopalis ſit de Iure Diuino, vt putauit Caiet. *ſecunda ſecundæ q.* 85. *art.* 5. Couuar. *lib.*3. *var. cap.*13. Diaz. *in Praxi crim. can. cap.* 52. Nauar. *in Manual. cap.*35. Azor. *Inſtit. Moral. part.*2. *lib.*7. Bellarm. *in Opuſcul. ad Nepotem contr.*22. Garzia *part.* 3. *de beneſ.* cum alijs pluribus; ſiue ſit de Iure tantum humano, vt voluere alij quamplures apud citatos Doctores, & apud Ambroſ. Catharin. *de reſid. Epiſc.* & Leonardum Venetum eodem tractatu, plures admittendæ ſunt cauſæ excuſantes à reſidentia, inter quas an ſit infirmitas habitualis, & perpetua, relinquo examinandum Nauarr. *lib.* 2. *tit.*23. Barboſæ *part.* 3. *alleg.*53. *n.*9. Leyuæ *lib.*4. *cap.*5. & alijs. Inter cauſas autem legitimas, quæ enumerantur à Concil. Trid. eſt Chriſtiana Charitas, vrgens neceſſitas, debita obedientia, euidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ vtilitas; quibus etiam poſitis cauſis tenentur Epiſcopi in abſentia beneplacitum Apoſtolicum obtinere, & ſuis Eccleſijs ita prouidere, vt nullum inde, ſi fieri poteſt, patiantur detrimentum; cum autem eiuſmodi cauſæ excuſantes, non ex vno tantum rationabili motiuo cõtingere queant, ſed ex pluribus, & pluribus; idcircò erit opus Prudentiæ Epiſcopalis ea diligenter examinare, ne conſcientia illudatur, ad id ſemper ſpecialiter mentis aciem conuertendo, vt nimirum ſemper abſit animarum detrimentum, & Eccleſiæ præiudicium. An verò liceat Epiſcopis abeſſe etiam alijs de cauſis, præter enumeratas, variæ ſunt opiniones, & doctrinæ, quas afferunt Corradus *in diſp. Apoſt.* Barboſ. *part.* 3. *alleg.* 53. & Squillant. *de obligat. Epiſc. part.* 1. *cap.* 2. vbi docent Epiſcopos, poſſe abeſſe tempore peſtis, dummodò ſatis prouideat per Miniſtros, & Eleemoſinas; afferentes etiam, poſſe abeſſe certis temporibus ob aeris intemperiem; quorum doctrinæ fauet illa ſententia, quæ docet, reſidentiam eſſe tantum de Iure humano, & ideò ipſi ſemper præualere Ius naturæ, quod dictat eſſe propriæ vitæ, & ſaluti conſulendum, quando fieri poteſt, abſque ſalutis ſpiritualis animarum detrimento.

LEX CCXI.

Reſidentia intra Diœceſim, licet fiat in loco exempto, ſemper habenda pro reſidentia, quoad effectum alternatiuæ.

NOn adeò facilè negotium eſt Epiſcopali Prudentiæ deprehendere, an ſit gaudendum alternatiua, cum reſident Epiſcopi intra Diœceſim, ſed in loco omninò exempto, nec eorum iuriſdictioni vllo modo ſubiacenti, videtur namque idem prorſus eſſe extra propriam Diœceſim commorari, ac in loco exempto reſidere; cum locus exemptus ſit extra ditionem ipſius Epiſcopi, præſertim ſi in illo loco exempto nullam poſſit Epiſcopus iuriſdictionem exercere, quod notat Garzia *part. 5. de benef. c. 1. num. 704. ex cap. cum Epiſcopum de offic. Ord. in 6.* vnde videtur deducendum, non poſſe Epiſcopos gaudere beneficio alternatiuæ defectu reſidentiæ, & corporalis præſentiæ in propria Diœceſi. Hoc tamen non obſtante ſtatuendũ eſt, Epiſcopos omnes commorantes in locis exemptis propriæ Diœceſis, ſiue exerceant, ſiue non exerceant Iuriſdictionem cenſendos eſſe tamquam verè reſidentes, atque adeò gaudentes alternatiua, cum verè ſint præſentes etiam corporaliter propriæ Diœceſi, vbi ſufficit, quod poſſint præeſſe, & prouidere omnibus ſuis, quæ eſt cauſa finalis reſidentiæ ipſis iniunctæ; maximè quia vt plurimum etiam loca exempta ſunt loca propriæ Diœceſis, & Iuriſdictionis, nedum materialiter, ſed etiam formaliter, quoad ſubiectionem, cum ex Trid. *Seſſ. 7. cap. 8. de refor.* ſtatuatur, quod Epiſcopus viſitare poſſit etiam Eccleſias exemptas, quemadmodum etiam *ſeſſ. 21. cap. 8.* iniungitur Epiſcopis, vt viſitent quæcumque beneficia, tàm curata, quàm non curata etiam exempta: Ex quibus conſtat, Epiſcopos commorantes etiam in locis exemptis propriæ Diœceſis, retinere Iuriſdictionem, ſi non in actu, ſaltem in habitu, atque ibi ſemper poſſe proprium munus Epiſcopale exercere, quod ſufficit ad reſidentiam requiſitam à Regula Cancellariæ. An verò reſidentia, vbicumque fiat, debeat fieri toto integro menſe alternato, vt præſeferat beneficium alternatiuæ, non eſt vna in hac re DD. Sententia, docent enim Gonzalez *ad regulã octauam Cancell. Gloſſ. 4. q. 5.* & Garzia *de benef. p. 5. cap. 1. num. 695.* non eſſe neceſſarium, vt reſidentia fiat toto integro menſe alternato, ſed ſatis eſſe, quod ſit Epiſcopus in reſidentia, quando beneficium vacat, quibus tamen non adhærent alij plures apud Paſqualig. *Q. Moral. Iurid.* 50. qui volunt neceſſariam eſſe reſidentiam pro toto integro menſe, etiam horis computatis à media nocte primi, & vltimi diei. Quænam verior ſit ſententia ex praxi dijudicandum eſt; ſolent enim etiam horę computari, & plures ſunt in hac materia Rotæ deciſiones *in Fauent.* coram Blanchetto. *in Segobienſ.* coram Iuſto. *in Sulmonenſ.* coram Lancellot. coram Millino, & coram Ludouiſ. quæ omnes ſuo annorum ordine facilè videri poſſunt.

LEX CCXII.

Reſidentia, tametſi coacta, extra Diœceſim non habenda pro reſidentia quoad effectum alternatiuæ.

SVppoſita lege ſupradictæ doctrinæ ea quoque nunc lex Epiſcopali Prudentiæ indicenda eſt, qua prò certo habeatur apud omnes Epiſcopos, reſi-

celebrandi Miſſas, & etiam oneri recitandi Horas Canonicas, certum eſt, quod pro illa parte, quæ reſpondet oneri officij, quod omittitur, ſunt reſtituendi, ſi verò non ſint ita pingues, vt reſpondeant vtrique oneri, ſed ſolum oneri celebrandi Miſſas, in hoc caſu data quacunque omiſſione officij, non ſunt reſtituendi; eſt enim doctrina cõmunis apud Paſqualig. *qu.212. in ſelect. Iurid.* quod quando Beneficiarius præter recitationem officij habet alia onera adiuncta, non teneatur reſtituere fructus reſpondentes alijs oneribus, ſed ſolum reſpondentes oneri Diuini officij; eo igitur modo, quo quis obligatus ad plura onera, ſed principaliter ad officium, propter quod datur beneficiũ, non tenetur reſtituere, niſi fructus debitos omiſſioni officij, & non omiſſioni aliorum onerum, ita obligatus principaliter ad celebrationem Miſſarum ratione Capellaniæ, licet habeat adiunctum aliud onus, ſcilicet recitandi Diuinum officium, non tenebitur reſtituere niſi fructus reſpondentes oneri principali, quinimmò docet Sãchez *lib. 2. Conſil. Moral.* fructus Capellaniæ nullo modo eſſe addictos recitationi officij, ſi tantum ſufficiant pro celebratione Miſſarum, ac propterea ex illo capite, nunquam eſſe reſtituendos; neque in hoc caſu Capellania poteſt vnquam euadere vnum ex illis beneficijs, quæ dantur propter officium, quibus Leo X. *in ſua Conſtitut. 7.* imponit onus reſtituendi fructus. Quod intelligendum eſt, etiamſi Capellania non collatiua erigeretur in beneficium, quia ex intentione fundatoris illius Capellaniæ ſemper fructus darentur ob celebrationem Miſſarum, non pro recitatione officij, quæ intentio, & diſpoſitio fundatoris per illam nouam erectionem non poteſt mutari, & ſic Capellanus nunquam teneretur reſtituere fructus pro omiſſione officij; niſi tamen fructus, vt dixi, eſſent ita pingues, vt poſſent reſpondere vtrique oneri, in quo caſu eſſent ad ratam reſtituendi.

LEX CXCIX.

Non permittendæ ab Epiſcopis venditiones, redemptiones, extinctiones Penſionum pro pecunia numerata.

SVper eas dumtaxat Penſiones Prudentiæ Epiſcopali incumbit vigilantiæ onus, quæ vel dantur in titulum alicuius beneficij pro aliquo Spirituali miniſterio, vel quæ dantur in titulum quomodocunque Eccleſiaſticum ex eo, quod perſona intra Eccleſiaſticum ordinem conſtituta per tonſuram addita obligatione recitandi officium Beatiſſimæ Virginis adquirit ius aliquod in redditus Eccleſię; de alijs namque Penſionibus purè laicalibus, collatis nimirum in titulum remunerationis pro aliquo laicali ſeruitio non eſt, hic loquẽdum, cum nullo modo ſint ſub ditione, & regimine Epiſcoporum, vt Epiſcopi ſunt. Siſtendo itaque purè in Eccleſiaſticis, quę dicũtur quoquomodo Spirituales, cum ſint fundatæ in iure Clericali, & Eccleſiaſtico recipiendi fructus Eccleſiæ, valdè diſſonum ſemper erit à Prudentia Epiſcopali, ſi earum venditiones, extinctiones, aut redemptiones permittat pro pecunia numerata, cum in eiuſmodi contractibus ſemper aliquid ſimoniacum interueniat ex cõmutatione rei Spiritualis, ſcilicet Penſionis cum Temporali, quæ eſt pecunia. Neque in hac re audiendos exiſtimo Doctores illos, qui putant Penſiones eſſe aliquid purè temporale, cum ſit onus impoſitum fructibus beneficij, quod nihil Spiritualitatis videtur præſeferre;

ferre; enim verò cum ſit res omninò fundata in re Eccleſiaſtica, & in ſtatu Clericali, non poteſt dici res omninò temporalis, vt dictum eſt. Doctrina tamē oppoſita ſua probabilitate nō caret, & ex illa fortaſſis non damnantur in Eccleſia tot penſionum redemptiones, & extinctiones, quæ quotidiè fiunt; quas tamen auuertere, & impedire optimè ſemper conſultum erit Prudentiæ Epiſcopali; ſaltem ſub dubio, vel ſuſpicione ſimoniæ, quia licet Penſio, vt benè probant ſectatores iſtius doctrinæ, non ſit ius aliquod, aut det ius ad beneficium, quod eſt quid Spirituale, ſed tantum ad fructus beneficij, qui ſunt temporales; ius tamen illud Spirituali modo acceptum, nimirum à Clerico, quatenus eſt perſona Eccleſiaſtica participans in bonis Eccleſiæ ſemper fit aliquo modo ſpirituale, ſaltem vt annexum rei ſpirituali, cum fiat proprium perſonæ Spiritualis intra ordinem Spiritualem, & hanc doctrinam ſequuntur viginti Doctores apud Paſqualig. *deciſ.* 207. vbi etiam affert Deciſionem Rotæ, & Conſtitutionem Pij V.

LEX CC.

Ab Epiſcopis permittenda tantum ceſſio fructuum, non ceſſio iuris in Penſionibus.

A Prudentia Epiſcopali, quæ ſemper cum ſcientia neceſſaria debet eſſe coniuncta faciendum diſcrimen eſt inter ceſſionem fructuum, quæ res purè temporalis eſt, & ceſſionem iuris ſupra fructus Penſionis, quod ius ſemper eſt ſpirituale ex dictis, vtpotè fundatum in Clericatu, & ordine Eccleſiaſtico; & facta hac diſtinctione facilè erit deprehendere, quomodo vnum permitti poſſit abſque ſimoniæ nota, & non alterum; neque audiendi ſunt Leſſ. *l.2. cap.22.* & Nauarr. *Conſil. 11. de rebus Eccleſ.* qui dicunt etiam ipſam fructuum ceſſionem ſecum trahere ius ad fructus, quod eſt Spirituale; certum enim eſt hoc ius remanere ſemper in Penſionario, qui ob pecuniā etiam anticipatè ſolutam transfert tantum quamdam facultatem exigendi fructus, ſicut ſolet transferri in Procuratorem, retento ſemper iure in ſe ipſo, quod eſt indiuiſibile à transferente; exigens enim fructus Penſionis nunquam exigit iure proprio, ſed ſemper iure cedentis tales fructus, agitque in illa exactione tāquam Procurator cedentis; atque in hoc quod quis tantum fruatur commodo fructuum alicuius Penſionis, non dicitur frui aliqua re ſpirituali, ſed tantum temporali, quę poteſt vendi, atque pro libito commutari cum alia re temporali. Neque obſtat Canon *in cap. ſi quis obiecerit diſt. 1. qu. 3.* vbi dicitur, *qui vnum vendit, ſine quo nec alterum prouenit, neutrum venditum eſſe*, quia in noſtro caſu ceduntur tantum fructus tamquam exacti per Procuratorem, de quibus Penſionarius ſemper poteſt liberè diſponere exigito conuenienti illorum pretio. Neque obſtat *Clementin. 1. titul. de rebus Eccleſiaſticis non alienandis, aut extrauag. ambitioſa, aut deciſ. Rota* 632. quia textus illi non loquuntur de ceſſione Penſionum, aut fructuū earum, ſed ſolum de locatione beneficiorum, & de alienatione rerum Eccleſiæ facta quocumque modo, quæ non debent extendi ad Penſiones, ex eo, quod onera ſunt ſemper reſtringenda; præſertim, quia fructus Penſionis, vt ſæpè dictum eſt, non ſunt aliquid Eccleſiaſticum, & Spirituale, ſed merè temporale.

LEX CCI.

Nemini permittenda ab Epiſcopis ſolutio annua Penſionis ante expeditionem litterarum Apoſtolicarum.

SVmmus Pontifex Sixtus V. in literis Apoſtolicis, quæ expediuntur pro ſolutione annuæ Penſionis, iuſſit apponi irritationem, ſeu annullationem reſeruationis, quotieſcumque ſoluitur Penſio ante expeditionem earumdem literarum Apoſtolicarum, ac propterea ab Epiſcopali prudentia maximè cauendum eſt, ne fiant eiuſmodi illicitæ, ac irritæ ſolutiones; clauſula enim, quę ponitur in quacumque Penſionum reſeruatione continet hæc verba, *Penſionem annuam, &c. perſoluendam reſeruamus, vigore tamen præſentium, nec aliter, alioquin præſens reſeruatio nulla ſit, &c.* ex quibus colligitur, quod ſi Penſio ſoluatur ante expeditionem literarum ſtatim corruit, & fit nulla ipſa reſeruatio, ſic etiam ſentiente Rota *in Veronenſi* die 1. Iulij 1592. coram Millino, & Mantica *deciſ.* 186. *num.* 5. quibus additur ſenſus Lotter. *lib.* 1. *de benef. qu.* 37. *n.* 8. Ratio eſt, qa deficiente forma præſcripta à Summo Pontifice, vi cuius tantum ſubſiſtit reſeruatio, neceſſe eſt corruat, & deficiat id, quod tantum intenditur ſub tali forma à Summo Pontifice, immò id quod tantum ſub tali forma adrobatur à Sede Apoſtolica, nulla enim probatur reſeruatio, niſi ſub tali forma, quæ præſcribitur in literis Apoſtolicis. Verum tamen eſt, quod literæ Apoſtolicæ ſemper intelliguntur expeditæ quando ſunt plumbatæ, etiamſi non ſint relaxatæ, vnde ad ſolutionem, & exactionem, Penſionis ſolum attendenda eſt data plumbationis, non data relaxationis, cum fieri poſſit, vt poſtquam literæ plumbatæ ſunt, ex aliqua iuſta cauſa non relaxentur; idque habemus expreſsè ex *Gloſſa Antiqua ad Regul.* 53. *Cancell.* ex Rota *in Gadicenſi* die 20. Octobris 1578. coram Brauo, *& in Biſantina* die 4. Iulij 1603. coram Sacrato, quibus præter Loter. & Garziam adhærent alij Doctores.

LEX CCII.

Solutio partis Penſionis etiam ante expeditionem literarum Apoſtolicarum permittenda ab Epiſcopis.

NOn accidit raro, quod in ancipiti verſetur Epiſcopalis Prudentia obaudiens, quoſdam aliquam partem ſoluiſſe Penſionis ante expeditionem literarum Apoſtolicarum; quapropter, vt omne tollatur dubium, ſtatuendum eſt, poſſe Epiſcopos omnes abſque vllo ſcrupulo permittere ſuis ſubditis, vt ſoluant partem annuæ Penſionis non expectata expeditione litterarum, non enim permittitur aliquid diſſonum à mente Summi Pontificis, qui prohibet tantum ſolutionem anticipatam totius Penſionis, non partis; quemadmodum enim pars Penſionis non eſt Penſio, ita neque ſolutio partis dicenda eſt ſolutio Penſionis, ſed inchoatio ſolutionis, neque enim ſoluere cenſetur, qui totum non ſoluit *ex l. heredes* §. *in illa ff familia herciſcund.* cui adhæret Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancell. Gloſſ.* 63. *nu.* 28. nec ideò pœna annullationis reſeruationis eſt extendenda ad inchoationem ſolutionis, cum pœnæ ſint ſtrictè accipiendæ, & ſemper in fauorabilibus illa facienda interpretatio, quæ ipſas excludat *ex cap. ex literis de Conſtit.* Accedit etiam quod pœna impoſita à lege non habet locum, niſi poſtquam actus eſt perfectus, & conſumatus, vt habemus ex Gloſſa

Gloſſa *in cap.* 1. *Verbo contrahere*, & etiam ex pluribus Iuriſtis apud Paſqualig. *qu.* 10. *Moral. Iurid.* cum itaque annullatio reſeruationis Penſionis ſit pœna impoſita à lege, nimirum à Conſtitutione Sixti V. qui prædictam irritationẽ iuſſit apponi in literis Apoſtolicis, pœna non debet habere locum, niſi poſt actum completum, & conſumatum, nimirum poſt perſolutam totam integram Penſionem.

LEX CCIII.

Non permittenda ab Epiſcopis ſolutio Penſionis Clerico incedenti ſine habitu, & tonſura Clericali.

SIxtus V. in ſua Conſtitut. 92. *tom.* 2. *Bullar.* in hac re poſuit legem Epiſcopali Prudentiæ ſtatuendo, quod Clerici habentes Penſiones, ſi non deferant habitum Clericalem cum tonſura ſint ipſo Iure priuati Penſione abſque alia citatione, monitione, aut Iudicis miniſterio; quod notant Garz. *de benef. part.* 7. *cap.* 1. Viuald. *in expoſit. huius Conſtit.* Lotter. *de re benefic. lib.* 1. *q.* 42. additis etiam pluribus Rotæ deciſionibus in hac materia, nimirum *deciſ.* 158. *num.* 16. *part.* 1. *recent.* & in Floren. Penſionis 1627. 7. Iunij coram Vbaldo, & in Ceſarauguſtana Penſionis 1622. 3. Iunij coram Coccino, & denique coram Merlino *deciſ.* 382. Lotterius tamen *loco cit.* ex declaratione Sixti V. habita poſt factam primam Conſtitut., aduertit illam primam Cõſtitutionem eſſe intelligendam, non quoad omnes Penſiones, ſed tantum quoad illas, quæ excedunt Sexaginta Ducatos aureos de camera, qui faciunt nonaginta ſex ſcuta argentea, ſiue hæc ſumma conſiſtat in vna tantum Penſione, ſiue in pluribus; quemadmodum etiam notat ex Rota *deciſ.* 382. coram Merlino non habere locum illam Cõſtitutionem Sixti V. quoad Equites Militares, qui capaces ſunt Penſionis ſuppoſito, quod incedant cum habitu, & inſignibus ſuæ militiæ ex Indulto eiuſdem Sum. Pontif. *in Conſtit. declarat. allata in tom.* 2. *Bullar.* §. 2. Addit etiam Lotter. *q.* 42. *de re benef. n.* 53. *lib.* 1. quod obligatio deferendi habitum, & tonſuram Clericalem incipit tantum, quãdo Clericus incipit exigere Pẽſionem, quod etiam habetur *ex deciſ.* Rotæ 20. *n.* 4. coram Ludouiſio, quæ eſt iuxta declarationem eiuſdem Sum. Pontif. Sixti V. vnde ſi poſt conceſſionem Pẽſionis moueretur aliqua lis ſuper reſeruatione, non tenebitur Clericus durante lite incedere in habitu. Si quis verò deferret habitum ſine tonſura, cenſeretur vtique Penſione priuatus, vel priuandus ex vi præfatæ Conſtitut., quia Pontifex in illa loquitur copulatiuè de habitu; & tonſura, vt patet ex illis verbis §. 2. *tonſuram, & habitum Clericalem, veſtes ſcilicet talares &c.* & rurſus ex illis, *in futurũ autem non niſi actu Clericis in habitu Clericali, & tonſura incedentibus &c.* Ratio eſt, quia habitus Clericalis conſiſtit copulatiuè in veſte talari, & tonſura, vt cum pluribus Iuriſtis docẽt etiam Garzias *de benef. part.* 7. *cap.* 1. & Lotter. *de re benef. lib.* 3. *q.* 36. *n.* 74. intelligitur namque habitus Clericalis pro complexo requiſitorum pro ſtatu Clericali ex Eccleſiæ Inſtitutione, quemadmodum etiam idem intelligitur de habitu Regularium ex Inſtituto Religionis.

LEX CCIIII.

Non inhibenda ab Epiſcopis ſolutio Penſionis debita Clerico, niſi conſtet in Iudicio de omiſſa delatione habitus, & tonſura.

INgerit dubitandi locum Prudentiæ Epiſcopali Conſtitutio eadem Sixti V. 92. §. 3. *tom.* 2. *Bullar.* vbi habentur expreſsè illa verba, *harum ſerie ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolica Poteſtatis plenitudine priuamus, ac ſine vlla monitione, citatione, Iudicis decreto, ac miniſterio ipſo facto priuatos declaramus &c.* ex quibus verbis ſatis clarè colligi videtur ex ſola lege Pontificia, abſque alio Iudicis miniſterio Clericum non deferentem habitum, & tonſuram eſſe priuatum quacumque Penſione, & beneficio. At hoc dubium Epiſcopis facilè tollitur, ſi dicatur Clericum non deferentem habitum, & tonſuram intelligi quidem priuatum Penſione ex ſola lege, ſed tamen ex delicto talem pœnam ſubeunte eſſe conueniendum coram Iudice, non ad iudicandum de ipſa priuatione, ſed de delicto propter quod incurritur pœna priuationis, adhoc vt iudicialiter conſtet; eſſet enim contra Ius naturæ, ſi aliquis priuaretur ex delicto, à quo nō poſſet ſe defendere, & de quo non poſſet facere, vt aliquid cōſtet in contrarium, quo ſe, & à delicto, & à pœna tueatur; dicta namque conſtitutio ſupponit delictum, nimirum, quod Clericus incedat ſine habitu, & tonſura, & ideò ſupponit, quod ſit in eo ſtatu, in quo ſit capax punitionis appoſitę in ipſa lege, vnde ſupponit, quod legitimè conſtet, non poteſt autem conſtare legitimè ſine iudicio, vel miniſterio Iudicis, qui cognoſcat, an vlla ſuppetat excuſatio iuſta, vel defenſio Clerico, & an aliquid poſſit allegare, quod importet diſpenſationem à tali obligatione ex mente legiſlatoris, vel aliquid aliud excuſans à delicto, propter quod tali pœna priuationis non ſit punibile delictum, quę doctrina eſt iuxta ea quę tradit Gloſſa *in Clement.* 2. *V. Rationabilis de vita, & honeſt. Cleric.* à qua Clementina *inquit Paſqualigus Q. Moral. Iurid.* 181. *n.*7. Conſtitutio Sixti V. recipit interpretationem; ac propterea, antequam Clericus ſubeat pœnam, debet ſemper audiri, ne indefenſus condemnetur, quod neque Pontifex facere poteſt de plenitudine Poteſtatis, cum nulla ſua lege poſitiua poſſit derogare defenſioni, quę eſt de Iure naturę, quod habemus paſſim in Iure Ciuili, & Canonico, & communiter etiam apud Doctores.

LEX CCV.

Clericis Penſionarijs quandoque permittendus ab Epiſcopis inceſſus ſine habitu Clericali.

EX Conſtitutione Sixti V., quę habetur *in tom.*2. *Bullarij* interdicitur Clericis Penſionarijs incedere ſine habitu Clericali, cui Conſtitutioni, cum ſit adnexa declaratio quędam eiuſdem Summi Pontificis habita die vltima Ianuarij 1589. videndum eſt quęnam ſit mens Papę in hac materia circa Clericos Penſionarios, & cum in eadem Conſtitutione fiat mentio de Penſionibus excedentibus ſexaginta aureos de Camera, & de alijs ad talem numerum non pertingentibus, reſoluendum eſt, quinam Clerici Penſionarij teneantur incedere cum habitu, quinam verò ſint illi, qui non teneantur. Iuxta Conſtitut. allatam Pontificis videtur Clericos omnes habentes Penſiones,

& Be-

& Beneficia, teneri ad deferendum habitum Clericalem. Ratio eſt quia cum omnes gaudeant commodo beneficij, vel Penſionis, debent etiam oneribus Clericatus ſubiacere, inter quę onera connumeratur etiam delatio habitus Clericalis, & tonſurę; Verum tamen eſt, quod poſt factam à Pontifice declarationem, videntur excipi à tali onere illi, qui non habent Penſiones excedentes ſexaginta aureos de Camera, vt dictum eſt, idque conceditur ex Pontificis Priuilegio, & iam eſt in more poſitum, quod quamplurimi, licet tonſurati non deferant habitum Clericalem, ſaltem talarem, & tamen verè ſunt Clerici, & fruuntur Penſionibus, & beneficijs, etiam ſine habitu incedentes. Remanet tamen difficultas adhuc reſoluenda, an nimirum Clerici non incedentes cum habitu poſſint more Laicorum exercere quędam officia Ciuilia purè Sęcularia, an verò his obſtet Clericatus, ſed hęc quęſtio erit in ſequenti decidenda, ne terminos breuitatis propoſitę tranſgrediamur.

LEX CCVI.

Clericis Penſionarijs numquam ab Epiſcopis permittendum exercitium in officijs Sæcularibus Ciuilibus.

PAti poteſt, vt ſupra dictum eſt, Epiſcopalis Prudentia, quod Clerici Penſionarij quandoque etiam ſine habitu Clericali incedant, & numquam ferre debet, quod officia Ciuilia, & purè Sęcularia exerceant, cum expreſsè interdictum habeamus *ex cap. Clerici de Vit. & honeſt. Cleric. & ex cap.* 1. *Ne Clerici, aut Monachi*, vbi ea redditur ratio tamquam finalis ex Apoſtolo, *quod nemo militans Deo implicet ſe in negotijs ſecularibus*; quod etiam colligitur *ex cap. Sacerdotibus eodem tit.* cum igitur ſit lata talis lex propter finem, ne ob negotia ſęcularia diſtrahatur à Deo militia Dei, ſequitur quod debeat extendi ad illa omnia, ex quibus prouenire poteſt diſtractio à ſeruitio Dei, & Eccleſię; par enim eſt, quod Clerici Penſionarij, licet incedant ſine habitu Clericali, vitam tamen agant Clericalem, cum ſint verè Clerici, ſintque à ſęcularibus curis omninò ſeiuncti, cui doctrinę adhęrent multi Doctores, pręſertim Molin. *de Iuſt. & Iur. tract.* 2. *diſp.* 108. Diaz. *in pract. Canon. cap.* 61. Maiol. *de Irregul. lib.*2. *cap.* 5. Squillant. *de obligat. Cleric. part.* 2. *n.*106. & tandem Panormit. *in cap. Clerici de vit. & honeſt. Cleric.* Neque ex eo quod per Conſtit. Sixti V. diſpēſetur in delatione habitus Clericalis, colligendum eſt diſpenſari etiā in exercitio rerum ſęcularium, quia indulgentia, ſiue illa diſpenſatio Pontificia eſt ſtricti Iuris, neque poteſt extendi ad exercenda munera purè ſęcularia; quę doctrina habetur paſſim in Iure Ciuili *l. ſi quando init. cap. de inoff. Teſtam.* & alibi, & etiam habetur ex Rota coram Ludouiſ. *deciſ.*353. *num.* 15. maximè, quia non deferre habitum, & exercere negotia ſęcularia ſunt duę obligationes Clericorum diſtinctę inter ſe, & independentes, vnde ex diſpenſatione vnius non poteſt colligi diſpenſatio alterius; tot enim diſpenſationes requiruntur quot ſunt obligationes, vt notat Gonzalez. *ad Reg.* 6. *Cancell.* & etiam habetur ex Rota corā Sacrato, & coram Pennia *deciſ.* 619. *n.* 1. & coram Ludouiſ. *deciſ.*109. *n.*6.

LEX

LEX CCVII.

Non permittenda ab Epiſcopis conſtitutio Penſionis Clerico illegitimo, vt erigatur in titulum beneficij.

NOn proponitur hic Prudentiæ Epiſcopali conſiderandum, an Clericus illegitimus ſit capax Penſionis quomodocumque tranſlatæ, vel conſtitutæ, quia hoc dubium erit in lege ſequenti reſoluendum, ſed id, quod curæ, & vigilantiæ Epiſcoporum exponitur, eſt, an aliquis ſupra certam partem fructuum beneficij ſeparatorum, vel ſeparandorum poſſit Penſionem conſtituere ad hunc finem, vt in titulum beneficij erigatur; & dicendum eſt, hoc non poſſe Epiſcopos vllo modo permittere *ex cap. de Inceſtis* 35. *q.* 3. *& ex cap. cum cunctis de elect.* nam hoc modo conſtituta Penſio Clericalis, & Eccleſiaſtica regulatur inſtar beneficij, & ideò ſicut Clericus illegitimus eſt incapax beneficij, ita cenſendus erit incapax Penſionis ſic conſtitutæ, quod notat etiam Gigas *de Penſion. q.*1. *num.*1.& Nauarr. *conſil.*11. *de conſtit.* Ratio eſt, quia Penſio ſic conſtituta non habet amplius rationem Penſionis, ſed veri beneficij, cuius Clericus illegitimus ex Iure Canonico ſine diſpenſatione Apoſtolica ſemper eſt incapax. De pura autem Penſionis tranſlatione in Clericum illegitimum, ſuppoſita diſpenſatione ad Clericatum, nõ ſentiunt vnanimiter Doctores, cum plerique velint, ſuppoſita diſpenſatione ad Clericatum, poſſe Penſionem etiã in illegitimum abſolutè transferri abſque noua diſpenſatione; aſſerant verò alij non poſſe transferri abſque noua diſpenſatione, quæ reddat illegitimum talis Penſionis capacem, cum putent iſti Doctores Penſionem ſemper eſſe æquiparandam beneficio. Nos tamen Sententiam noſtram in ſequentibus proferemus.

LEX CCVIII.

Permittenda ab Epiſcopis tranſlatio pura Penſionis etiam in Clericum illegitimũ, ſuppoſita ſola diſpenſatione ad Clericatum.

HÆſitauit diù Epiſcopalis Prudentia in regione quadam, an Clericus illegitimus obtenta prima diſpenſatione ad Clericatum, eſſet capax Penſionis abſque alia diſpenſatione pro ipſa Penſione obtinenda, vel transferenda; & ratio dubitandi fuit, quia cum ex doctrina multorum Clericus illegitimus ſit incapax beneficij Eccleſiaſtici, niſi obtineat diſpenſationem, videtur conſequenter, quod ſit incapax etiam Penſionis, quæ ſaltem largo modo accipitur à multis nomine beneficij, cum ad titulum Penſionis doceant multi poſſe aliquem ordinari. In qua re tamen ſolidiore doctrina reſoluendum eſt, Clericum illegitimum eſſe capacem Penſionis, neque pro illa obtinenda requiri aliam diſpenſationem, quàm iam obtentam pro Clericatu; pro qua Sententia affert Paſqualigus *q. Moral. Iurid.* præter plures, & plures Doctores etiam perplures Rotæ deciſiones coram Seraphino, & coram Coccino, & coram Durano, & coram Merlino, & coram Blanchetto apud Garziam, & coram Robuſterio, & coram Gypſio, & coram Litta, denique coram Buratto, quæ videri poſſunt apud Scriptores Deciſionum Rotæ. Ratio eſt, quia incapacitas, ſeu inhabilitas illegitimorum quoad beneficia non extenditur ad Penſiones, cum Penſio

ſio ſit quid valdè diuerſum à beneficio, & Ius Canonicum ſemper faciat diſtinctionem inter Penſionem, & beneficium, vt patet *ex cap. quamuis de Prabendis in* 6. & ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. *& ſeſſ.* 25. *cap.* 15. *de Reform.* vnde cum inhabilitas, tamquam quid odioſum ſit potius reſtringenda, quàm extendenda, non debet extendi etiam ad Penſiones, quæ verè non ſunt beneficia; maximè quia etiam in Philoſophia à diuerſis non poſſit fieri illatio, quæ doctrina etiam habetur præter Philoſophiam in Iure Ciuili *l. neque natales cap. de Probat. & l. naturaliter,* § *nihil commune ff. de acquirenda poſſeſſione,* & alibi ſæpè. Ex quibus deducitur, Clericos illegitimos ſolum eſſe incapaces Penſionum propter incapacitatem fundamentalem ad Clericatum, qua ablata per diſpenſationem, remanent capaces, cum illegitimitas opponatur tantum Clericatui, non collationi, trãſlationi, aut receptioni Penſionis, & licet in conceſſione tranſlationis Penſionis non exprimeretur tranſlatio ad illegitimum, adhuc valeret conceſſio, & tranſlatio, cum facultas transferendi ſemper intelligatur extenſa ad omnes capaces, quod notauit etiam Lotter. *de re benef. q.* 40. *n.* 144. *lib.* 1. cum Rota *deciſ.* 3. *de fil. Præsbyt. in Antiq.* An verò valeat Penſio translata, aut collata illegitimo, qui ſuſcepit Clericatum abſque præuia diſpenſatione, non ita certum eſt, cum ſint hinc inde variantes ſententiæ; tutior doctrina eſt, non valere defectu fundamenti capacitatis, quæ fundatur in Clericatu ritè ſuſcepto, ſcilicet cum diſpenſatione, idque colligitur *ex cap. Inter corporalia de tranſlat. Epiſc. & cap. veniens de Præsbyt. non baptizat. ex cap. fin. de reſtitut. ſpoliat.* & etiam ex Iure Ciuili apud Bald. *conſil.* 402. *n.* 3. *v. conſiderandum eſt lib.* 1.

LEX CCIX.

Seruanda vt plurimum ab Epiſcopis reſidentia in proprio Epiſcopatu.

Ex Concil. Trid. *Seſſ.* 6. *cap.* 1. *de reform.* & ex Conſtit. Pij IV. incipiente *In Suprema*, & ex Bulla Vrbani VIII. edita anno 1634. præcipitur Epiſcopis reſidentia in propria Diœceſi, idque ſub peccato mortali, & ſub alijs pœnis ibi contentis, niſi adſit legitima cauſa; quidquid ſit, an reſidentia ſit de Iure Diuino, vel tantum de Iure humano, & præter eiuſmodi pœnas Epiſcopi non reſidentes tenentur ad reſtitutionem fructuum pro rata temporis, quo non reſederint, quæ reſtitutio facienda eſt, vel fabricæ Eccleſiæ, vel pauperibus, abſque alia declaratione, aut ſententia iuxta diſpoſitionem Tridentini, & Gloſſ. *in cap. Epiſcopus* 4. *de conſecr. diſt.* 3. vbi hoc aſſerunt etiam Genuenſ. *in Manual. Paſt. cap.* 31. Vgolin. *de officio, & poteſt. Epiſcopi cap.* 4. Garzias *part.* 1. *cap.* 2. & alij plures. Ratio eſt, quia quidquid datur Epiſcopis, ſiue ſit dignitas, & poteſtas, ſiue ſint opes, & redditus, ideò dantur, vt illa in ſalutem, & egeſtatem animarum impendant; ſi verò abſint à ſuis Eccleſijs, neque illarum ſalutem promouere poſſunt, neque indigentiæ prouidere, cum nihil videant in loco diſtanti. Dixi, *ſeruandam, vt plurimum reſidentiam*, non iugi commoratione, cum ad hanc nullo Iure obligentur Epiſcopi, nam pleriſque de cauſis poſſunt abeſſe, & ſaltem per tres menſes ipſis permittitur abſentia, vt patet ex Trid. & ex communi ſententia Doctorum. Quod verò ſine cauſa non poſſint abeſſe vltra tres menſes, & ſi abſint peccent mortaliter, & teneantur ad reſtitutionem fru-

fructuum pro rata temporis, eſt doctrina communis. Doctrina verò ſingularis Paſqualigi *in deciſ. Moral. deciſ.* 473. eſt, Epiſcopos, præter tres menſes taxatos à Concilio, non poſſe abeſſe, neque per quindecim, neque per decem dies, cum vltra talem taxam tẽporis, per quam indulgetur Epiſcopis, quantum indulgeri poteſt, non habeat locum paruitas materiæ, quamuis idẽ Paſqualigus doceat habere rationem paruitatis materiæ duos, vel tres dies ad ſummum; ſed ego non video quomodo Paſqualigus dicat indultum eſſe à Concilio, quantum indulgeri poteſt Epiſcopis in taxa trium menſium ad ſummum, & poſtea doceat, poſſe vlterius indulgeri per duos, aut tres dies, cum ratione trium menſium poſſint habere rationem paruitatis materiæ etiam dies decem, vt patet in alijs rebus, in quibus admittitur paruitas materiæ.

LEX CCX.

Non omnes cauſæ non reſidendi in proprio Epiſcopatu amplectendæ ab Epiſcopis tamquam legitimæ.

SIue Reſidentia Epiſcopalis ſit de Iure Diuino, vt putauit Caiet. *ſecunda ſecundæ q.* 85. *art.* 5. Couuar. *lib.*3. *var. cap.*13. Diaz. *in Praxi crim. can. cap.* 52. Nauar. *in Manual. cap.*35. Azor. *Inſtit. Moral. part.*2. *lib.*7. Bellarm. *in Opuſcul. ad Nepotem contr.*22. Garzia *part.* 3. *de benef.* cum alijs pluribus; ſiue ſit de Iure tantum humano, vt voluere alij quamplures apud citatos Doctores, & apud Ambroſ. Catharin. *de reſid. Epiſc.* & Leonardum Venetum eodem tractatu, plures admittendæ ſunt cauſæ excuſantes à reſidentia, inter quas an ſit infirmitas habitualis, & perpetua, relinquo examinandum Nauarr. *lib.* 2. *tit.*23. Barboſæ *part.* 3. *alleg.*53. *n.*9. Leyuæ *lib.*4. *cap.*5. & alijs. Inter cauſas autem legitimas, quæ enumerantur à Concil. Trid. eſt Chriſtiana Charitas, vrgens neceſſitas, debita obedientia, euidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ vtilitas; quibus etiam poſitis cauſis tenentur Epiſcopi in abſentia beneplacitum Apoſtolicum obtinere, & ſuis Eccleſijs ita prouidere, vt nullum inde, ſi fieri poteſt, patiantur detrimentum; cum autem eiuſmodi cauſæ excuſantes, non ex vno tantum rationabili motiuo cõtingere queant, ſed ex pluribus, & pluribus; idcirco erit opus Prudentiæ Epiſcopalis ea diligenter examinare, ne conſcientia illudatur, ad id ſemper ſpecialiter mentis aciem conuertendo, vt nimirum ſemper abſit animarum detrimentum, & Eccleſiæ præiudicium. An verò liceat Epiſcopis abeſſe etiam alijs de cauſis, præter enumeratas, variæ ſunt opiniones, & doctrinæ, quas afferunt Corradus *in diſp. Apoſt.* Barboſ. *part.* 3. *alleg.* 53. & Squillant. *de obligat. Epiſc. part.* 1. *cap.* 2. vbi docent Epiſcopos, poſſe abeſſe tempore peſtis, dummodò ſatis prouideat per Miniſtros, & Eleemoſinas; aſſerentes etiam, poſſe abeſſe certis temporibus ob aeris intemperiem; quorum doctrinæ fauet illa ſententia, quæ docet, reſidentiam eſſe tantum de Iure humano, & ideò ipſi ſemper præualere Ius naturæ, quod dictat eſſe propriæ vitæ, & ſaluti conſulendum, quando fieri poteſt, abſque ſalutis ſpiritualis animarum detrimento.

LEX CCXI.

Reſidentia intra Diœceſim, licet fiat in loco exempto, ſemper habenda pro reſidentia, quoad effectum alternatiua.

NOn adeò facilè negotium eſt Epiſcopali Prudentiæ deprehendere, an ſit gaudendum alternatiua, cum reſident Epiſcopi intra Diœceſim, ſed in loco omninò exempto, nec eorum iuriſdictioni vllo modo ſubiacenti, videtur namque idem prorſus eſſe extra propriam Diœceſim commorari, ac in loco exempto reſidere; cum locus exemptus ſit extra ditionem ipſius Epiſcopi, præſertim ſi in illo loco exempto nullam poſſit Epiſcopus iuriſdictionem exercere, quod notat Garzia *part. 5. de benef. c. 1. num. 704. ex cap. cum Epiſcopum de offic. Ord. in 6.* vnde videtur deducendum, non poſſe Epiſcopos gaudere beneficio alternatiuæ defectu reſidentiæ, & corporalis præſentiæ in propria Diœceſi. Hoc tamen non obſtante ſtatuendũ eſt, Epiſcopos omnes commorantes in locis exemptis propriæ Diœceſis, ſiue exerceant, ſiue non exerceant Iuriſdictionem cenſendos eſſe tamquam verè reſidentes, atque adeò gaudentes alternatiua, cum verè ſint præſentes etiam corporaliter propriæ Diœceſi, vbi ſufficit, quod poſſint præeſſe, & prouidere omnibus ſuis, quæ eſt cauſa finalis reſidentiæ ipſis iniunctæ; maximè quia vt plurimum etiam loca exempta ſunt loca propriæ Diœceſis, & Iuriſdictionis, nedum materialiter, ſed etiam formaliter, quoad ſubiectionem, cum ex Trid. *Seſſ. 7. cap. 8. de refor.* ſtatuatur, quod Epiſcopus viſitare poſſit etiam Eccleſias exemptas, quemadmodum etiam *ſeſſ. 21. cap. 8.* iniungitur Epiſcopis, vt viſitent quæcumque beneficia, tàm curata, quàm non curata etiam exempta; Ex quibus conſtat, Epiſcopos commorantes etiam in locis exemptis propriæ Diœceſis, retinere Iuriſdictionem, ſi non in actu, ſaltem in habitu, atque ibi ſemper poſſe proprium munus Epiſcopale exercere, quod ſufficit ad reſidentiam requiſitam à Regula Cancellarię. An verò reſidentia, vbicumque fiat, debeat fieri toto integro menſe alternato, vt præſeferat beneficium alternatiuæ, non eſt vna in hac re DD. Sententia, docent enim Gonzalez *ad regulã octauam Cancell. Gloſſ. 4. q. 5.* & Garzia *de benef. p. 5. cap. 1. num. 695.* non eſſe neceſſarium, vt reſidentia fiat toto integro menſe alternato, ſed ſatis eſſe, quod ſit Epiſcopus in reſidentia, quando beneficium vacat, quibus tamen non adhærent alij plures apud Paſqualig. *Q. Moral. Iurid.* 50. qui volunt neceſſariam eſſe reſidentiam pro toto integro menſe, etiam horis computatis à media nocte primi, & vltimi diei. Quænam verior ſit ſententia ex praxi dijudicandum eſt; ſolent enim etiam horę computari, & plures ſunt in hac materia Rotæ deciſiones *in Fauent.* coram Blanchetto. *in Segobienſ.* coram Iuſto. *in Sulmonenſ.* coram Lancellot. coram Millino, & coram Ludouiſ. quæ omnes ſuo annorum ordine facilè videri poſſunt.

LEX CCXII.

Reſidentia, tametſi coacta, extra Diœceſim non habenda pro reſidentia quoad effectum alternatiua.

SVppoſita lege ſupradictæ doctrinæ ea quoque nunc lex Epiſcopali Prudentiæ indicenda eſt, qua pro certo habeatur apud omnes Epiſcopos,

reſidentiam,licet coactam,extra Diœceſim nulla ratione pro reſidentia habendam eſſe, cum in regula Cancellarię ſupracitata de alternatiua habeantur illa verba *ipſis quandiù apud Eccleſias, ſeu Diœceſes ſuas verè ac perſonaliter reſederint dumtaxat*, ex quibus ſatis innoteſcit, requiri reſidentiam cum perſonali,& corporali pręſentia, & cum verba ſint pręciſa, non eſt ab ipſis recedendum; nec ſufficit, quod reſidentia in loco propinquo ęquipolleat reſidentię perſonalis pręſentię; in hoc enim caſu nihil facit ęquipollentia; quemadmodū, nec iuuat dicere, quod Epiſcopus tunc dicatur perſonaliter reſidere, cum per ipſum non ſtat, vt reſideat; eſt enim tantum implenda appoſita conditio, quando eſt moraliter poſſibilis, non quando eſt impoſſibilis, vt docent cōmuniter DD.; Dico enim,hoc totum verum eſſe, cum legiſlator apponens conditionem aliquam certam tacitè, vel interpretatiuè non excludit omnē aliam conditionem contrariam, quod non euenit in hoc caſu, in quo nimis ſtricta ſunt verba diſponentis, & ideò ſtrictiſſimè intelligenda. Hęc ideò dicta ſunt,quia non rarò contingit, quod vel Principibus impedientibus, vel aliqua alia cogente cauſa; plerumque Epiſcopi nō poſſunt proprijs ouibus adſtare,nec in proprijs Epiſcopatibus reſidere, ea adacta neceſſitate, vt viciniores ſibi eligant locos in omni meliori modo, quo poſſunt, proprię regendæ Eccleſiæ adſtant; in quo caſu cum Gonzalez ad *reg.*8. *Cancel. q.*9. *n.*2. opinati ſunt plures, Epiſcopos ſic extra Diœceſim reſidentes gaudere alternatiua, quod videntur etiam intelligere *ex Clementin.* 1. *de foro compet.* vbi ſtatuitur, *Epiſcopos impeditos ingredi proprias Diœceſes, poſſe in aliena Diœceſi propinqua exercere iuriſdictionem contra impedientes, eos ſcilicet citando, & contra ipſos procedendo &c.* Vnde patet in eiuſmodi, & ſimilibus caſibus reſidētiam in propria Diœceſi, videri commutatam à Iure in reſidentiam in aliena Diœceſi; quod videtur ſufficere ad gaudendum alternatiua.

LEX CCXIII.

Abſentia ab Epiſcopatu non differenda ab Epiſcopis vltra tres menſes.

PLures annumerantur iuſtæ cauſæ à Canoniſtis, quibus licet Epiſcopis abeſſe ab Epiſcopatu, etiam vltra tres menſes, quas hic ſupęruacaneum eſſet afferre, cum notiſſimæ ſint, etiam ex Trid. quod tamen extra illas *cap.* 1. *de refor. ſeſſ.*23. ſtatuit ne Epiſcopi abſint à Diœceſi vltra tres menſes, ſiue hoc temporis ſpatium ſingulis annis ſit continuum, ſiue interruptum; vbi etiam ſimul adhortatur Epiſcopos omnes, ne permittant eorum abſentiam contingere in Aduentu, Natiuitate, Quadrageſima, Reſurrectione, Pentecoſte, vel in feſto Corporis Chriſti. Quod temporis ſpatium pro abſentia, videtur etiam concedere Dignitaribus, Canonicis, Præbendatis, & alijs eiuſmodi, dummodo tamen ſuarum Eccleſiarum Conſtitutiones longius ſeruitij tempus non requirant, quia in hoc caſu Trid. *Seſſ.*24. *cap.*12. *de refor.* non intendit maiorem licentiam concedere,quam cōcedunt Conſtitutiones Eccleſiæ. Quod verò abſentia ab Epiſcopatu etiam per tres tātū menſes requirat aliquā cauſā, docent communiter Canoniſtæ, aſſerentes pro cauſa ſufficere etiam quamdam à laboribus animi remiſſionem, vt Epiſcopus inde vegetior, & robuſtior fiat in tractando Eccleſiæ regimine. Si verò etiam in illis tribus menſibus graue

graue aliquod damnum immineret Eccleſiæ, vel Gregi, nulla ratione, vel cauſa liceret Epiſcopis abeſſe ab Epiſcopatu, cum quilibet Paſtor teneatur animam ſuam ponere pro ouibus ſuis, imminente ipſarum periculo. Qualia verò eſſe debeant eiuſmodi imminentia Eccleſiæ, vel Gregis pericula, non eſt vnanimis Canoniſtarum ſenſus, cum illa diuerſimodè explicent, neque in hac re eſt nobis diuturniùs immorandum.

LEX CCXIV.

Non iungendum ab Epiſcopis trimeſtre antecedentis anni cum trimeſtri anni ſubſequentis pro licita abſentia ab Epiſcopatu.

AGeret ſemper contra mentem Concil.Trid. *loc. cit.* Epiſcopalis Prudentia, ſi trimeſtri vnius anni adnecteret trimeſtre alterius anni; mens namque Concilij ea eſt, vt explicant communiter DD. vt Epiſcopi per modicum tempus abſint à ſuo Epiſcopatu, quod tempus modicum ipſum Concilium ſpatio duorum, vel ad ſummum trium menſium concludit; ſi verò ſex menſes iungerentur in vnum, non eſſet amplius modicum tempus, cum eſſet integri anni medietas, neque eſſet amplius parua in vno anno materia. Scio tamen Doctores nonnullos in hac coniunctione ſex menſium nullam agnoſcere deformitatem, cum dicant vnum trimeſtre ad vnum annum referri, & alterum ad alium annum, & ſic ſemper verificari, quod Epiſcopus tantum per tres menſes abſit in anno, iuxta conceſſionem Concilij; at tutior doctrina ſemper erit, notabilem abſentiam declinare, ſiue abſentia reſpondeat vni tantum anno, ſiue duobus, quemadmodum etiam non eſt permittendum Epiſcopis, quod tempus cōceſſum pro vna viſitatione liminum Apoſtolorum vniatur cum alia viſitatione; non ſolum quia ſecum trahit talis mora notabilem abſentiam ab Epiſcopatu, ſine legitima cauſa, ſed etiam quia Eccleſia non obtinet finem intentum ex talibus viſitationibus, qui finis eſt, vt ſtatis temporibus prçſtetur obſequium Summo Pontifici per vices interpolatas, & etiam quod Summus Pontifex de triennio in triennium habeat exactā de ſtatu Eccleſiarū Epiſcopalium informationē, quæ ſanè haberi non poteſt, niſi Epiſcopi redeant ad ſuas Eccleſias, quas nouiter cognoſcant, vel nouis viſitationibus, vel nouis alijs eiuſmodi modis, quod impedit, ne vnam Sacrorum liminum viſitationem, cum alia ſtatim poſſint coniungere. Si verò adſint legitimæ cauſæ abſentiæ præſcriptæ à Concil. *Seſſ.*23. *cap.*1. *de refor.* nempe Chriſtiana Charitas, vrgens neceſſitas, debita obedientia, ac euidens Eccleſię, vel Reipublicæ vtilitas, abſque vllo ſcrupulo poterunt Epiſcopi abeſſe vltra trimeſtre, quod ſemper conceditur à Concil. vltra illas cauſas, etiam ad relaxandum animum, vt tradunt Azor. *part.*2. *lib.*7. *cap.*4. *qu.*9. Santarell. *var. reſolut. qu.*4. *n.*5. & alij plures cum ipſis.

LEX CCXV.

Abſentia ab Epiſcopatu non ſemper pro non reſidentia reputanda.

OBtutibus Epiſcopalis Prudentiæ non ſunt hoc loco obijciendæ cauſæ, quibus à Sacris Concilijs, & Canonum Conſtit. excuſantur Epiſcopi à non reſidendo, nam omnibus notiſſimæ ſunt, eaſque nouiter recenſet Brauus

nus *Excitat.* 16. *de improbabil. opinion.* vbi tamen rigidè nimis videtur de Epiſcoporum reſidentia loqui, quemadmodum etiam loquitur de cæteris ad reſidentiam addictis. Occurrit itaque hic examinandum, an omnis abſentia ab Epiſcopatu ſit non reſidentia vocanda, & pro non reſidentia reputanda; poteſt enim contingere caſus, quod aliquis Epiſcopus vicinus Ciuitati Capitali ad obeunda negotia frequenter ad illam accedat, atque à propria Diœceſi recedat, cum animo tamen cito reuertendi; in quo caſu dubitandum venit, an talis Epiſcopus ſic abſens dicatur non reſidere. Scio Doctores plures in eam abijſſe ſentẽtiam, vt docerẽt, Epiſcopos in modica diſtantia à ſuo Epiſcopatu exiſtentes, verè cenſendos eſſe tamquam reſidentes; cum poſſint facili negotio adſtare, ne dum ouium ſuarum curæ veluti Paſtores, ſed etiam facilè eorum egeſtatibus manus admouere, atque Eccleſiæ regimini tamquam Principes præeſſe, ob quæ præſtanda videtur exigi reſidentia Epiſcopalis, at aliò collimat noſtra doctrina tradenda, cum ſupponat Epiſcopos non in tam modica diſtantia, ſed in longè maiori commorari, quo tamen non obſtante Epiſcopi abſentes cenſeantur verè reſidentes, ea potiſſimum ratione, quod animus citò reuertendi in quocunque abſente breui reuerſuro, non faciat abſentem formaliter, ſed præſentem, *ex l. poſtliminij*, §. *poſtliminio*, *ff. de capt. & poſtlim. reuerſ. & ex l.* 1. §. *habitare, ff. de his, & ex l. qua fugitiuus, ff. de edib.* Ex quibus habetur, omnes diſcedentes cum animo citò reuertendi, non cenſeri recedere; ex eo fortaſſis, quod mora breuis relinquit animum perſonæ abſentis affixum loco, à quo recedit, quod ſufficit ad faciendam pręſentiam moralem, in qua fundatur reſidentia, vt ſcitè aduertit Paſqualig. *qu.* 45. *Morali Iurid.* qui ſubdit non eſſe conſiderandam reſidentiam, tamquam nudam, & materialem ſolius corporis præſentiam, ſed eſſe attendendam viuam, & formalem animi præſentis applicationem, ratione cuius corpus ipſum, quod applicatur ab animo ad agendum, dicitur eſſe præſens, & quodammodo reſidere, vbi reſidet animus ipſe; vnde ex doctrina Ciuili, & Canonica, non dicitur quis ibi eſſe, vbi adeſt corpore, ſi animo abſit, neque reſidentia dicitur vera reſidentia, ſi abſit animus ibi permanendi, iuxta ea, quæ tradunt Archidiac. *in cap. licet de Elect. in* 6. Corneus *Conſil.* 244. & alij. Cum ergo qui recedit à propria Diœceſi animo breui reuertendi, retineat animum reſidendi, non dicitur interrumpere reſidentiam, quia remanet pars principalior, quæ conſiſtit in animo applicante perſonam ad reſidendum, & inuigilandum curæ animarum.

LEX CCXVI.

Quacumque abſentia ab Epiſcopatu habenda pro non reſidentia ad effectum gaudendi alternatiua.

Ex doctrina ſupra tradita non ſatis deprehendi poteſt ab Epiſcopali Prudentia doctrina hoc loco tradenda; quamuis enim dictum ſit abſentiam ab Epiſcopatu animo cito reuertendi habendam eſſe pro morali, & continuata præſentia, quo ad effectum reſidendi, ſeu adſtandi animarum, & Eccleſiæ regimini, eo quod animus reſidendi faciat viuam, & formalem reſidentiam, cũ ſit principalior pars pſonę reſidentis, à qua prouenit operatio præſens, & continuata, etiam data materiali corporis abſentia: attamen aliter ratiocinan-

nandum eſt de præſentia, quæ requiritur ex Bulla Greg.XIII. ad hoc,vt Epiſcopi gaudeant alternatiua, cum requiratur vera corporalis præſentia, vt demonſtrant Gonzalez *ad Regul.8.Cancell. Gloſſ.4. num.14. & 84.* Garz. *part.5. de benef.; cap.1. nu.465. & 468.* Lotter. *de benef. lib.2. qu.40. nu.38.* Rota *in Salman. Canonicatus* 20. Iunij 1572. coram Oradino, *& in Segobienſ. Beneficij* 28. Martij 1604. coram Iuſto, & ratio deſumitur ex ipſis verbis *Cancell. de Alternatiua*, quæ talia ſunt, *ipſis quandiu apud Eccleſias, ſeu Diœceſes ſuas verè, ac perſonaliter reſederint dumtaxat*, ex quibus clarè innoteſcit, Pontificem concedendo alternatiuam,vt habeat effectum,exigere perſonalem reſidentiam, quæ haberi non poteſt ſine corporis, & totius perſonæ præſentia; at hęc doctrina etiam ex eo conſtat, quod illa verba in Regula Cancellariæ ſignificantia pręſentiam, & reſidentiam corporalem addita ſunt ad excludendam ſolam reſidentiam formalem conſiſtentem in animo applicato ad regimen Eccleſiæ, etiam in loco diſtanti; nam dictio *quamdiu* importat idem, ac donec, ſeu, quoad, & conſequenter conditionem, ſine qua non, quæ conditio impleri debet in forma ſpecifica,&non per ęquipollens, vt notant Surdus, Ruin. Socin. Bartol. & alij *ad l. qui hæredi, & ad l. Mauius ff. de condit.* quemadmodum etiam dictio *dumtaxat* tamquam reſtrictiua, & taxatiua excludit omnes alios caſus reſidentiæ extra perſonalem, & corporalem iuxta *l 3. §. cum Titio, &c. & l.2. de leg.* quod habetur etiam *ex cap. cum Eccleſia de verb. ſignif. & ex cap.1. de temp. ordin. in 6. & ex Clementin.1. de ſequeſt. & poſſeſſ.* Vnde concludendum, quod ſi non interueniat reſidentia perſonalis, & corporea,nunquam intelligenda eſt conceſſio alternatiuæ.

LEX CCXVII.

Admittenda ab Epiſcopis legitima præſcriptio etiam contra obligationem reſidentiæ, & ſeruitij perſonalis in quacumque Capellania.

QVæcumque ſpectant ad optimum Eccleſiæ regimen nefas eſt Prudentiæ Epiſcopali ignorare, & cum non rarè contingat Capellanias quaſdam vacare,quę diſpoſitione teſtatoris reſidentiam, & ſeruitium perſonale pręſtandum requirebant, ex eo quod tenerentur Capellani per ſe ipſos Miſſas celebrare; ideò ſciendum eſt, conditiones appoſitas in fundatione cuiuſcumque Capellaniæ ſiue beneficij poſſe præſcriptionem pati, ſi concurrant neceſſaria ad præſcribendum, ſic docente Nauar. *Conſil.1. n.1.* & alij apud Paſqualig. *q.113.Moral.Iurid.* cum enim iura cuiuſcumque fundationis in eiuſmodi caſibus tranſeant ad Eccleſiam, contra quam poteſt habere locum præſcriptio; poſſunt etiam præſcriptionem pati quæcumque conditiones poſitæ in fundatione,quod aſſolet euenire, quando tractu temporis longæui conditiones appoſitæ abeunt in deſuetudinem, nunquam reſidentibus Capellanis,nec per ſe ipſos celebrantibus; nimirum pro tanto temporis interuallo, quod ſufficiat ad præſcribendum. Quibus ſic expoſitis ſine dubio admittenda eſt ab Epiſcopis præſcriptio ſupradicta; ita vt præſcriptis illis conditionibus appoſitis in fundatione cuiuſcumque Capellaniæ,ſiue beneficij poſſit quæcumque Capellania, vel beneficium conferri ſimplici Clerico, qui neque potentia ſit, vel velit eſſe Sacerdos, & ratio eſt, quia detractis conditionibus legitimè præſcriptis, remanet

ſolum

ſolum obligatio eligendi Capellanum, qui tot Miſſas celebret ex diſpoſitione fundatoris, atque adeo euadit ſimplex inſtitutio Capellaniæ, dempta obligatione reſidentiæ, & ſeruitij perſonalis; vnde ſimplex Clericus nouiter inſtitutus in illa Capellania poterit per alium ſatisfacere oneri Miſſarum; Quæ doctrina colligitur ex duplici declaratione S. Congregat. apud Garziam *de benefic. p.7. cap.1. num.87.* vbi habetur expreſſe, *habentem Capellaniam non teneri ad ſuſcipiendum Sacerdotium, niſi in fundatione cautum ſit, vt Capellanus per ſe ipſum celebret*; data autem temporis præſcriptione idem eſt, ac ſi in fundatione non eſſet cautum de reſidentia, & perſonali ſeruitio, vt per ſe patet.

LEX CCXVIII.

Admittendus ab Epiſcopis ad Capellaniam ſimplex Clericus, tametſi ex fundatione ſit inſtitutus Capellanus Sacerdos, qui Miſſas celebret.

HÆret plerumque Epiſcopalis Prudentia, cum præſentatur, vel eligitur ad Capellaniam ſimplex Clericus nondum Sacerdos, cum tamen ex inſtitutione Capellaniæ dicatur eſſe præſentandum, vel eligendum Capellanũ, qui Miſſas celebret; vnde ad tollendam ab animis Epiſcoporum omnem hæſitationem, ſtatuendum eſt, poſſe in his caſibus admitti etiam ſimplicem Clericum, nondum Sacerdotem. Ratio eſt, quia ex diſpoſitione fundationis, ſeu inſtitutionis Capellaniæ, ſolum imponitur onus celebrandi Miſſas ipſi Capellano electo, vel præſentato, cui oneri poteſt per alium ſatisfacere, cum nunquam intelligatur onus perſonale, niſi id in ipſa fundatione expreſſè cautum ſit. Quæ doctrina eſt plurium Doctorum apud Paſqualig. *qu.13. Moral. Iurid.* præter Barboſ. *de poteſt. Episc. alleg.29. n.43.* Quinimmò etiamſi teſtator dixiſſet, quod præſentetur, ſiue inſtituatur Sacerdos, qui Miſſas celebret, adhuc poſſet per alium Miſſarum celebratio fieri, & Capellania ex inſtitutione nunquam eſſet à Capellano per ſe ipſum exercenda, licet diceretur Capellania Sacerdotalis, & ſemper poſſet ſimplici Clerico conferri. Sic habemus ex Rota *in Firmana Altaris* 5. Decemb. 1594. coram Blanchetto apud Garz. *de benefic.p.10. cap.2.n.37. & in Pampilonenſi Sacrificij* 11. Februarij 1591. apud Gonzalez *in Regul.Cancell. Gloſſ.5. nu.85.* vbi eamdem ſententiam tenet Alphonſus de Leone *de offic. Capell. praxi 6. num.* 213. ex quibus colligendum eſt, non requiri in Capellano eligendo, vel præſentando qualitatem Sacerdotij, niſi in inſtitutione exprimatur obligatio per ſe ipſum celebrandi; vnde licet dicatur in fundatione, eſſe eligendum Sacerdotem, qui Miſſas celebret, non per hoc deſignatur qualitas pro idoneitate eligendi, ſed qualitas muneris exercendi, quod cum per alium impleri poſſit, non eſt intelligenda tamquam qualitas perſonalis propria perſonæ electæ, ſed tamquam qualitas requiſita, ad ſatisfaciendum oneri, cui ſatis eſt, quod per alium ſatiſfiat.

LEX CCXIX.

Pœna inflicta à Summis Pontificibus contra non deferentes habitum, & tonſuram, non intelligenda ab Epiſcopis per non vſum, vel per vſum contrarium abrogata.

NE Epiſcopalis Prudentia in nimiam erumpat ſeueritatem contra

tra non deferentes habitum, & tonſuram, affert Garzias quamdam doctrinam *p.7. de benef. cap.1.n.24.* qua conatur oſtendere Clericos in hoc delinquentes non priuari ipſo facto penſionibus, & beneficijs, neque collationes ipſis factas eſſe ex tali delicto nullas, ex eo, quod Conſtitutio illa Sixti V. non ſit vſu recepta, immò quod ſit per non vſum abrogata; quo autē fundamenro hoc dicat Garzias, haud facilè īnoteſcit; quinimmò Loter. *de rebus benef. qu.26. num.92. lib.3. ex Rota in Tullenſi Penſionis* 21. Aprilis 1621. coram Coccino docet hanc legem Pontificiam, neque fuiſſe abrogatam per non vſum, neque potuiſſe abrogari, quæ doctrina an vera ſit, quoad ſecundam partem examinabitur infra. Certò igitur ſtatuendum eſt, illam Cōſtitutionē Sixti V. nō fuiſſe abrogatam, & conſequenter ab Epiſcopis ſemper conſiderandam eſſe tamquam rem in ſuo robore, & vigore permanentem. Ratio eſt, quia, vt experientia conſtat in quocumque iudicio manutenetur, etiam ab ipſa Rota, quæ ſemper iudicat cum tali manutentione, vt conſtat *ex deciſ.* 158. *part.*1. *recent. nu.*16. *& in Eborenſi Penſionis* 7. Iunij 1627. coram Vbaldo, *& in Cæſar auguſtana Penſionis* 3. Iunij 1623. coram Coccino, & coram Merlino *deciſ.*382. *num.* 1. quod ſufficit ad probandum, quod talis Conſtit. adhuc ſit in ſuo robore, & ſit vſu recepta. Neq; hoc, quod ab aliquibus non ſeruetur, poteſt concludi, quod ſit introducta conſuetudo contraria, quia potius dicendus eſt abuſus, cū ſit coniunctus cum violatione legis, quæ licet non obſeruaretur à maiori parte, actus illi non obſeruantiæ non ſunt actus inconcuſſi, cum ſint ſemper interrupti per iudicia, & ſententias in contrarium, quod ſufficit ad euertendam omnem conſuetudinem; actus enim contrarij frequentes conſuetudini in contrarium non permittunt, nec ſinunt eam vires ſumere iuxta ea, quæ tradunt Bartol. *in l. ſemper in ſtipulat. in fine ff. de regul. Iuris,* Surd. *Conſil.* 393. *num.*23. Schadrec. *de Feud. p.*10. *ſect.*20. *num.*167. & alij plures Iuriſtæ cum Rota coram Ludouiſ. *deciſ.*162. *num.*9. & coram Merlino *deciſ.*554. *n.*3. Volunt tamen nonnulli alij Doctores cum Lotter. *qu.*35. & Rota *deciſ.*356. *part.*1. *recent. num.*9. quod ſi in aliquo loco dicta Conſtitutio, vt plurimum non ſeruaretur, id ſufficeret ad euitandam pœnam.

LEX CCXX.

Etiam leges Pontificiæ quandoque intelligendæ ab Epiſcopis per non vſum abrogatæ.

FAuendum quidem eſt pro viribus ab Epiſcopis legibus, & Conſtitutionibus Pontificijs, ſint ne, an nō præter rationem vſum, & conſuetudinem; vnde in hac re non eſt audiendus Lotter. *de re benef. qu.*26. *lib.*3. *num.*40. vbi docet in legibus Pontificijs, non poſſe allegari non vſum, quia cum tales leges non habeant poteſtatem à populo, vt reliquæ leges ſæculares, ſed à Deo immediatè, neque per mille annos poteſt earum vis deſinere quocumque vſu, ſeu quacumque conſuetudine poſita in contrarium; quin immò idem Lotter, abſurdiſſimam putat doctrinam oppoſitam, & affert *deciſ. Rotæ* 83. *num.*1. coram Cauallero, vbi allegantur etiam ex Iuriſtis Salon. & Alexander; cum hac tamen exceptione, niſi adſit ſcientia Papæ probans illum contrarium vſum. Verum quidquid ſit de hac doctrina, communior ſententia eſt, leges quoque Pontificias poſſe per contrarium vſum, & conſuetudinem abrogari

abrogari, & colligitur non ſolum ex doctrina communi Theologorum cũ D. Thoma 1. 2. *qu.* 93. ſed etiam ex Summiſtis *V. Conſuetudo*, & ex Canoniſtis *in cap.fin.de Conſuetud.* in quo expreſsè declaratur, conſuetudinem rationabiliter introductam, & legitimè præſcriptam poſſe habere vim abrogandi quodcumque Ius poſitiuum, cum id habeat ex ſe rationabilis conſuetudo abſque ſcientia Pontificis, quæ gratis requiritur à Lotterio, & id etiam habetur ex Rota coram Mohed. *deciſ.* 1. *de Conſtitut. & deciſ.* 8. *nu.* 1. *de locat. & deciſ.* 896. *num.* 1. *part.* 3. *lib.* 3. *diuerſ.* Neque obſtat, quod Pontifex leges ſuas ferat authoritate immediatè accepta à Deo, quia ex hoc ſolum deducitur, quòd ipſe ſolus poſſit leges ferre independenter à populo, non verò quod per non vſum, vel contrariam conſuetudinem non poſſint abrogari, quia vnaquæque lex cenſetur poſita ſeruata natura legis, quæ eſt talis, vt ſemper contra ipſam poſſit præualere conſuetudo rationabilis; cum enim tota vis legis ſita ſit in ratione, tunc poterit, & debebit cedere quæcumque lex, quando ex ipſa ratione nouiter inſurgente inducitur ceſſatio ipſius legis, præſertim ſi noua ratio inſurgens ſit conformis Iuri naturæ, quæ eſt prima lex, & magis intrinſeca cuicumq; homini, vt habemus ex Iure ciuili *l. cum ratio ff. de bon. damnat. & l. ſcire oportet* §. *ſufficit ff. de excuſat. tut.*

LEX CCXXI.

In Canone, & Edicto prohibente Clericis delationem armorum intelligenda, & comprehendenda ab Epiſcopis etiam arma inſeruientia venationi, & aucupio.

CVm venatio, & à fortiori aucupatio conceſſa ſit Clericis recreandi animi cauſâ, exceptis temporibus viſitationis, ſolemnitatum, Prædicationis, & aliarum huiuſcemodi functionum Eccleſiæ, vt docent multi Doctores apud Paſqualig. *Q. Moral. Iurid.* 187. videtur clarè intelligendum ab Epiſcopali Prudentia, non eſſe Clericis prohibita illa arma, quæ inſeruiunt venationi tantum, & aucupio, & ſic in Canone, vel Edicto non eſſe intelligendos tamquam comprehenſos quoſdam Sclopetos ad id inſtitutos, ac propterea Clericos illos deferentes nullas incurrere pœnas inflictas contra deferentes arma. Firmat Paſqualig. *loc. cit.* hanc doctrinam alijs rationibus; 1. quod arma, quæ prohibentur cum ſimus in odioſis ratione pœnæ impoſitæ, intelliguntur tantum arma offenſiua, non defenſiua, ſiue ad venationem, & aucupium inſtituta; 2. quod quælibet ſtatuta accipiunt interpretationem à Iure communi, vt tradunt communiter Iuriſtæ *in l.* 1. §. *lex falcidia*, & etiam Canoniſtæ cum Rota coram Millino *deciſ.* 359. *n.* 10. *& deciſ.* 512. *in fine part.* 1. *diuerſ.* cum autem Ius cõmune, quod prohibet arma, intelligatur non comprehendere illa, quæ deſeruiunt venationi, ſic etiam erit intelligendum Ius, & Statutum particulare Epiſcopale. Verum quidquid ſit de hac doctrina eiuſque rationibus ſtatuẽdum eſt arma quælibet eſſe Clericis pro-

probibita, earumque delationem eſſe pœnis Canonis, Statuti, vel Edicti ſubiectam; nam ſi intelligerentur prohibita ſola arma offenſiua, quodcumque genus armorum poſſet non eſſe prohibitum, ſi tantum ad defenſionem deferrentur, vt verè à multis, tum Laicis, tum Clericis poſſunt deferri. Addo arma eſſe Clericis prohibita, vt impropria Status Clericalis ipſumque ſtatum valdè dedecentia, cum is ſit finis prohibendi arma Clericis, & non ceſſante fine legis in vniuerſali, neque in vniuerſali ceſſet lex. Vnde nulla ratione ex hoc poterit armorum delatio cohoneſtari, neque recreationis gratia, quæ aliter, & aliunde percipi poteſt; omnis enim armorum delatio, etiamſi ſit ſimplicis Sclopeti, præbet occaſionem violentijs, percuſſionibus, & homicidijs, ac ideò in legibus iure prohibetur. Excipiuntur tantum aliqui caſus, in quibus delatio armorum etiam Clericis permitti poteſt, de quibus in ſequenti; at pro nunc concludendum eſt, Clericorum arma defenſiua non eſſe Sclopetos, ſed lacrymas, & orationes, vt habemus *ex cap. conuenior, & cap. Porrò, & ex Gloſſa in cap. ex multa*, & alibi.

LEX CCXXII.

Delatio armorum quandoque Clericis ab Epiſcopis permittenda.

ÆQuum eſt quandoque iuſtâ de cauſa etiam Clericis armorum delationem ſecluſo ſcandalo permittere, immo imprudenter agerent Epiſcopi, ſi illam ſemper, & ſine temporum, vel rerum contingentium diſcrimine interdicerent, præſertim ſi ab hoſtibus metuerentur inſultus; tunc enim ab ipſo Iure naturæ armorum delatio ad defenſionem, quaſi per legem imperatur, cum nemo ſit Dominus propriæ vitæ, nec illam poſſit exponere mortis periculo: vbi autem lex naturæ imperat, ceſſat omnis alia lex, & ſtatutum, & ceſſant omnes pœnæ, ſiue ipſo facto inflictæ, ſiue comminatæ, & hæc eſt doctrina communis, tum Iuriſtarum, tum Canoniſtarum, & pro hac doctrinâ plures à Paſqualigo *Q. Moral. Iurid.* 188. citantur Canones, & Doctores, quos omnes hic recenſere nimis longum eſſet. Ratio doctrinę eſt, quia nulla lege tolli poteſt defenſio, quam præcipit Ius naturæ, quæ eſt prima lex intrinſeca homini, ergo neque vlla lege poterunt prohiberi media neceſſaria ad talem defenſionem, quæ ſunt arma, quæ ad hunc finem deferuntur; quemadmodum enim conceditur etiam occiſio inimici, quando eſt neceſſaria ad defenſionem cum debitis circumſtantijs, & moderamine inculpatæ tutelæ, ita poterũt concedi arma, nec occidens hoſtem cum debitis circumſtãtijs ſubeſt pœnæ Irregularitatis, vt habemus *in Clement. ſi Furioſus de homicidio*. An verò in hoc caſu ſit neceſſaria Epiſcopi licentia, varius eſt Doctorum ſenſus, & hinc inde opinio probabilis; tutior tamen pars erit licentiam petere, & obtinere; ſicut idem dicitur in materia diſpenſationum, quæ ſemper fieri debent ex cauſa, & tutius eſt, vt cauſa à ſuperiore cognoſcatur, licet quandoque ex ſola cauſa intrinſeca fieri poſſint, præſertim ſi cauſa ſit euidens, quando enim cauſa eſt euidens de ſe ſoluit omnem obligationẽ, vt docet D. Thomas *ſecunda ſecundæ qu. 147. art. 4. in corpore*, & cum ipſo Doctores plures.

LEX CCXXIII.

Mandata Apoſtolica ad diſpenſandum, ſiue ad alias gratias faciendas ab Epiſcopis ſuſpendenda ob mortem mandantis, ſiue Pontificis concedentis.

EX ſupraposita lege, eam veluti conſentaneam, ac conſequentem poteſt ſibi conſtituere legem Prudentia Epiſcopalis, quod nimirum, ſi agatur non de gratijs iam factis, ſed de faciendis, quæ ſpirant morte concedentis, debeant Epiſcopi ſuſpendere mandatorum exequutionem, diſpenſationes, & quaſcumque alias prouiſiones ex gratia faciendas; id enim, quod ſupponitur contentum in mandatis Pontificijs ad Epiſcopos eſt tantum poteſtas quædam diſpenſandi, ſiue prouiſionis, & gratiæ faciendæ, quæ verè non eſt gratia iam facta à Pontifice, ſed adhuc facienda ab Epiſcopis delegatis, & cum per mortem ceſſet poteſtas illa in delegante, ceſſat etiam in delegato, quod verificatur etiam in mandante, & mandatario. Neque eſt vlla paritas de gratia facienda, & gratia iam facta à Pontifice, quia hæc iam dicitur ad ſuum eſſe deducta, licet pro complemento pendeat ab exequutione, quæ eſt quid extrinſecum rei iam factæ à Pontifice; illa verò nondum dicitur deducta ad eſſe, ſed deducenda ab Epiſcopo, cuius poteſtas demandata perit in morte demandãtis; quæ doctrina intelligitur etiam de beneficijs; quãdo Summus Pontifex mandat prouideri alicui certę perſonæ de certo beneficio vacante. Tota igitur doctrinæ vis in eo conſiſtit, quod diſtinguatur facta gratia à gratia facienda; & hæc diſtinctio colligenda eſt ex mandatis ipſis Apoſtolicis, quæ auuratè ab Epiſcopis conſideranda ſunt. De hac re videri poteſt *q.41. Moral. Iurid.*

LEX CCXXIV.

Gratia obtenta, & Epiſcopis demandata tantum propter exequutionem, etiam ſecuta morte Pontificis concedentis, nequaquam ab ipſis ſuſpendenda, tamquam expirata.

STat pro lege Epiſcopali Prudentiæ indicta illud morale, & Canonicum vulgatiſſimum, *quod gratia non ſpirant morte concedentis*, quemadmodum pœnæ dicuntur expirare morte infligentis. Quoniam verò vnaquæque lex ſuam patitur exceptionem, neque de omni omninò gratia verificari poteſt, vt patet ex Iure Canonico, ex quo habemus, quamplures inueniri gratias obtentas à Summo Pontifice, atque Epiſcopis demandatas, non tamquam factas, ſed tamqùam faciendas, poſitis talibus, & talibus circumſtantijs, idcircò videndum eſt quænam illæ ſint, quæ mortuo Pontifice concedente ſint ſuſpendendæ ab Epiſcopis, tamquam infectæ, & expiratæ, quænam verò ſint exequutioni mandandæ. Atque vniuerſaliter loquendo dicendum eſt, gratias omnes ſiue ſint diſpenſationum, ſiue beneficiorum, quę intelliguntur iam factæ, etiam ſecutâ morte concedentis, non eſſe ab Epiſcopis ſuſpendendas; ſed exequutioni mandandas, tametſi res eſſet integra poſt mortem concedentis; & hæc doctrina deſumitur *ex cap. ſicut nulla §. ſecus de prabend. in* 6. vbi habetur, quod ſolum illa gratia expirat morte concedentis, quæ committitur, ſeu demandatur exequutori concedenda, ſeu facienda, vt indicant illa verba *ſi ſuper prouiſione certa perſona facienda ſit data poteſtas* certum enim eſt,

quod

quod prouiſio facienda non continet gratiam prouiſionis factæ, quemadmodum è contra gratia iam facta, & completa nunquam poteſt eſſe facienda, neque vt talis ſuſpendenda; quæ doctrina clarius patet *ex cap. ſi ſuper gratia de offic. delegat. in* 6. cuius verba; cum plura ſint, breuitati ſtudens non refero; Tunc verò intelligitur ſemper gratia facienda, quando conceditur tantum facultas ad concedendum, ſeu faciendum, & nullum adhuc ius eſt quæſitum parti per gratiæ impetrationem à Summo Pontifice,& tunc intelligitur gratia facta, quando demandatur tantum exequutioni à Summo Pôtifice, vt videat ſi preces veritati nitantur, & ſtatim exequutioni mandet diſpenſationem, vel gratiam obtentam, in quo caſu etiam ante exequutionem tribuitur Ius parti, quia verè gratia eſt facta, licet pro exequutione quædam alia demandentur à Pontifice; vnde in hâc re, vt aduertit Hyeronim. Paulus in Praxi Cancellariæ decipiuntur Doctores, plures non aduertẽtes ad ſtilum Cancellariæ, quæ licet expediat ſæpè ſæpiùs mandata de faciendo, ſiue de prouidendo, non propterea dicuntur continere ſemper illa mandata gratiã faciendam, cum plerũque contineant gratiam factam, ſed tantum à delegatis exequutioni mandandam.

LEX CCXXV.

Inter Epiſcopos viciniores delegatos à Sede Apoſtolica, non ſunt ſemper intelligendi Epiſcopi loco viciniores, & minus diſtantes.

ADlaborat plerumque Epiſcopalis Prudentia ad intelligentiam alicuius Apoſtolici Reſcripti, in quo aſſolet cauſa quędam, vel aliquid aliud Epiſcopo viciniori ex delegatione committi, nec ſatis percipit, quemnam ex vicinioribus Epiſcopis debeat eligere, niſi ſpecialiter ſit in Reſcripto nominatus, eo prę́ſertim quod ſępè ſępiùs duo, vel tres Epiſcopi finitimi ſint in ęquali diſtantia ab aliquo Epiſcopatu, vel ſaltẽ in quaſi ęquali, & in eiuſmodi caſibus Prudentia Epiſcopalis quò ſe vertat penitùs ignorat. Concil. Trid. *Seſſ.24. de refor. cap.9.* videtur diſponere, quod ſit ſemper intelligendus ille Epiſcopus vicinior, qui habet ſuam Cathedralem alteri Cathedrali viciniorem, & conſequenter, quod is ſit ſemper ex delegatione deligendus, in quacumque cauſa vicinior à Sede Apoſtolica delegetur. At licet hęc proximitas, ſeu vicinitas poſſit intelligi ex allato Concilio; alia tamen vicinitas ab Epiſcopis intelligi poterit; Ea nimirum, ex qua Diœceſes ipſę finitimę, ſiue habentes in proximiori loco ſua confinia, dicũtur viciniores ad differentiam illarum Diœceſium, quę nôn ſunt finitimę, neque inuicem habentes confinia; vnde in his caſibus etiam Epiſcopi locô magis diſtantes quoad ſuas Cathedrales, poterunt accipi tamquam viciniores, & eligi ad differentiam aliorum non habentium confinia, & ſic erit in arbitrio cuiuſcumque Epiſcopi eligere quem libuerit ex finitimis, dummodo non ſit ſpecialiter à Sede Apoſtolicâ nominatus; omnes enim Epiſcopi finitimi dicuntur viciniores ad excluſionẽ Epiſcoporum non finitimorum. Addo, quod in eiuſmodi caſibus poſſet ab Epiſcopo Nouarienſi intelligi Epiſcopus vicinior ille, qui habet confinia Diœceſis minus diſtantia à finibus proprię Diœceſis, vt eſſet E. G. Metropolitanus, cuius Diœceſis confinia diſtant tantummodo per ſex milliaria, vel Epiſcopus Papienſis, cuius pars Diœceſis

diſtat vix per milliare; in comparatione Epiſcopi Vercellensis, vel Vegleuanensis, quorum confinia magis diſtant à Dœceſi Nouariensi. Quędam de eiuſmodi vicinitate tangit Paſqualig. *in Quæſt. Iurid. q.6.*

LEX CCXXVI.

Admittenda ſine contradictione Delegatio Epiſcopi facta à Sede Apoſtolica ſpecialiter nominati, tamquam vicinioris, licet re vera non ſit loco vicinior.

NOn sine ratione hęſitabit quęcũque Prudentia Epiſcopalis, an ſit admittenda tamquam non ſubreptitia illa vicinioris Epiſcopi delegatio, etiã ſpecialiter nominati, qui non ſit re vera vicinior cęteris; videtur namque nullam reddere illam delegationem expreſſio falſi, quę facta eſt in ſupplici libello, cum verba delegationis habeant clauſulam *qui vt aſſeritur vicinior Ordinarius eſt*, si quidem non ille, qui delegatur vicinior eſt, ſed alter; cum ſint tamen vtrique finitimi, ſcilicet habentes Dioeceſes confines, licet vnus minus loco diſtet, quàm alter, qui ſupponitur delegatus. Ad tollendam igitur eiuſmodi hęſitationem in caſibus, qui contingere poſſunt, ſciendum Epiſcopis eſt ſolam expreſſionem falsi circa cauſam finalem poſſe vitiare reſcriptũ Pontificium, vel conceſſionem, quęcumque ſit; non verò expreſſionem falsi circa cauſam impulsiuam; ſic docentibus cum Gloſſ. *in cap. ex parte &c.* quampluribus Doctoribus, quos refert Paſqualig. *quæſt. 7. Moral. Iurid.* cuius doctrinę ea ratio eſt, quia ſola cauſa finalis regulat diſpoſitionem reſcribentis, vel concedentis, & facit illam ſubsiſtere tamquam ſibi commenſuratam, vnde licet deficiat cauſa impulsiua; adhuc ſubſiſtet diſpoſitio, cum adhuc habeat ſuum fundamentum, & adęquatum motiuum, & proinde non ceſſet voluntas, quę ſemper trahitur à fine, quo ceſſante, ipſa non ceſſat; cauſa autem finalis eſt ſemper electio, & delegatio perſonę idoneę pro exequutione literarum Apoſtolicarum, & maior vicinitas eſt tantum cauſa impulsiua; & ideò etiamsi eſſet falſa expreſſio circa ipſam non poſſet nullam reddere delegationem. Addo ex ſuprapoſitis, neque eſſe falſam expreſſionem maioris vicinitatis, quia ille Epiſcopus delegatus, cum ſit finitimus, ſemper dicitur vicinior reſpectu illius, qui non eſt finitimus, neque habet fines ſuę Dioeceſis confines Dioeceſi, pro qua ſupponitur facta delegatio. Videri poſſunt quamplurimi textus Ciuiles, & Canonici pro hac materia apud Paſqualig. *l. c.*

LEX CCXXVII.

Admittenda ab Epiſcopis ſignationes gratioſa facta à Sum. Pontifice etiam ante expeditionem literarum in forma conſueta.

HAud frequens is caſus contingere poteſt Prudentiæ Epiſcopali, cum vt plurimum Epiſcopis, aut illorum miniſtris exhibeantur litterę conceſſionis in forma conſueta: at ſi daretur caſus, in quo aliquis obtenta à Sum. Pontifice gratia, ſolam ſupplicis libelli ſignationem exhiberet nondum facta literarum expeditione, in hoc caſu cenſenda eſſet ab Epiſcopis gratia completa, atque, vt talis eſſet ab ipſis ſine dilatione admittenda; gratia enim non habet aliam efficientem cauſam, quàm voluntatem Sum. Pontificis, vnde hac poſita,

poſita, & ſufficienter manifeſtata per ſignationem ſupplicationis, habetur completa ipſa gratia; completus ſiquidem, & perfectus effectus habetur per cauſam completam, & perfectam, vt euenit in hoc caſu, & licet ex Rota *deciſ.* 458. *ex nouiſſimis* habeamus expeditionem literarum Apoſtolicarum eſſe neceſſariam ad perficiendam gratiam, cum in ipſa expeditione dentur executoriæ, & apponantur neceſſariæ clauſulæ ad perfectionem; id tantum intelligendum eſt de quadam perfectione extrinſeca in foro fori, vt ſcilicet conſtet authoritatiuè de tali conceſſione, non verò de perfectione intrinſeca gratiæ. Quod vero ad perfectionem gratiæ ſufficiat, quod tantum ſit ſignata ſupplicatio deſumitur *ex Clement. Dudum de ſepult. & ex extrauag. etſi Dominici de pœna, & remiſſione*, & etiam ex ipſa Rota coram Burato *deciſ.* 110. *n.* 12. *quæ eſt Maceratenſis prædij* die 25. Maij 1615. & ex alijs pluribus Doctoribus quos refert Paſqualig. *deciſ.* 411. Clauſulæ igitur, quæ apponuntur in literis non ſpectant ad perficiendam gratiæ conceſſionem, ſed tantum ad quamdam explicationem conceſſionis; ſunt enim formulæ ad hoc tantum inſtitutæ, quæ tamen ſemper ſupponunt conceſſionem gratiæ iam perfectiſſimè factam; & ideò vnuſquiſque obtentâ gratiâ à Sum. Pontifice, & ſignata poteſt illa vti cum omni quiete in foro conſcientiæ.

LEX CCXXVIII.

Expectandæ ab Epiſcopis expeditiones litterarum in diſpenſationibus, facultatibus, & abſolutionibus, quæ fiunt Romæ à Sacra Pænitentiaria.

EX dictis, & ex doctrina aliorum quamplurium, poteſt ſatis innoteſcere Prudentiæ Epiſcopali, conceſſiones factas à Sum. Pontif., & iam ſignatas alia perfectione literarum Apoſtolicarum non indigere, vt ſuum ſortiantur effectum: at valdè diſparem eſſe rationem de facultatibus, & gratijs, quæ obtinentur à Sacra Pænitentiaria; quæ quidem cum agat, vt tribunal delegatum à Sum. Pontif. in hac delegatione, recipit etiam formas præſcriptas concedendi facultates, & diſpenſationes, quas ſicut ipſa non poteſt concedere, ita neque poteſt immutare; cum igitur ſine eiuſmodi formis præſcriptis non habeantur conceſſiones, & pertineant quodammodo ad eſſentiam, & ſubſtantiam conceſſionis, hinc eſt, quod nunquam reputandæ ſint pro conceſſis, abſolutiones, diſpenſationes, & cæteræ facultates Pænitentiariæ, ni præſententur literæ conceſſionis in forma, tale enim eſt præſcriptum delegantis, vt Delegatus non agat niſi in tali forma, ad quam eſt coarctata authoritas illa delegata, quoad exercitium. Accedit quod in literis Pænitentiariæ præſcribitur multoties modus exequutionis Epiſcopis, qui ab ipſis ſciri non poteſt, niſi expectent literas ipſas. Supponitur autem hic caſus, quod literæ expediantur pro Epiſcopis, quod ſæpè poteſt contingere, cum quædam opera iniungenda poſſint demandari etiam Epiſcopis iuxtà caſus contingentes.

LEX CCXXVIIII.

Non cenſendi ab Epiſcopis excommunicati in Bulla Cœnæ, qui mutant verba in litteris Apoſtolicis rei veritatem non inficientia.

PLerumque fit, quod Epiſcopalis Prudentia neſciat quo ſe vertat,

cum præſentãtur Epiſcopis Apoſtolicę litteræ exequutioni mandandæ; contingit enim, vel ſaltem poteſt contingere, quod verba Breuis, ſiue gratiam, ſiue Iuſtitiam continentis immutẽtur, atque adeò dubitetur, an ab immutãtibus talia verba incurratur excommunicatio poſita in Canone ſexto Bullæ Cœnæ contra falſificãtes litteras Apoſtolicas; volunt enim plerique Doctores, quod etiam mutantes vnicum tantum verbum E. G. *Honeſta in Iuſta* ſint cenſendi falſarij, & verè excommunicati, cum etiam per mutationem vnius verbi fiat mutatio veritatis, dum ponitur vnum verbum pro altero, in quo conſiſtit falſitas; quam doctrinam ſuſtinent præſertim Hoſtien. *lib.* 5. *Abbas in cap. ex litteris*, Sylueſt. *V. Excomm.* Caiet. *in ſum. V. excomm.* & alij. Verior tamen, & communior doctrina eſt ea, quæ aſſerit non eſſe cenſendos excommunicatos in Bulla Cœnæ immutantes tantum aliqua verba, quæ non tangunt ſenſum, neque inficiunt veritatem. & hanc ſuſtinent decem, & octo Doctores Claſſici, quos refert Paſqualig. *qu. Moral. Iurid.* 227. Ratio doctrinæ eſt, quia non dicitur falſificari ſcriptura, neque falſi crimen committi, quando non fit immutatio veritatis ad decipiendum, vt habemus apud Iuriſtas communiter *in l. quod ſit falſum, &c.* at in mutatione vnius verbi, vel etiam plurium verborum, quæ non tangunt ſenſum, non fit immutatio veritatis ad decipiendum, ergo, &c. Additur, quod nulla mutatio verborum, in qua retinetur idem ſenſus, de ſua natura eſt falſificatiua, nam permanente eodem ſenſu, permanet eadem veritas, vt patet etiam in formis ſacramentorum, quorum verba poſſunt ſine ſcrupulo mutari, ſi retineant eamdem ſubſtantialem ſignificationem, vt docent communiter Theologi. Denique habemus etiã ex communi Theologorum ſententia, quod materia leuis non poteſt prohiberi ſub excommunicatione, quæ ſolum pro graui peccato poteſt imponi. Neque obſtat, quod in Bulla Cœnę declarentur excommunicati etiam illi, qui mutant puncta, & virgulas, vnde multò magis erunt excommunicati, qui mutant litteras; Reſpondeo namque id ſolum eſſe intelligendum de punctis, virgulis, & litteris, quæ variant ſenſum, & veritatis expreſſæ ſignificationem, poſſunt enim hæc omnia mutare ſenſum, ſi apponantur, vbi non ſunt apponenda; non verò de omnibus punctis, & virgulis, ac litteris, cum ex horum mutatione, additione, vel imminutione in certis ſcripturæ locis non mutetur ſenſus, nec fiat falſitas rei expreſſæ, vt conſideranti facilè conſtabit.

LEX CCXXX.

Habendi ab Epiſcopis tamquam excommunicati in Bulla Cœnæ, qui falſificant litteras Apoſtolicas, aut ex toto, aut ex parte, etiamſi illis non vtantur ad decipiendum.

SPeculatiuè nimis monet Paſqualigus *qu. Moral. Iurid.* 228. Prudentiam Epiſcopalem, ne habeat pro excommunicatis in Bulla Cœnæ falſificantes litteras Apoſtolicas, ſi illis non vtantur ad decipiendum, vel ſi id agant mortuo modo, ſcilicet cum animo illis litteris falſificatis non vtendi; vult enim ipſe talem falſificationem prohiberi ſub excommunicatione tantum in ordine ad vſum, & ad deceptionem, cum hæc ſit cauſa finalis talis legis, quę regulat mentem legiſlatoris, vt habetur

tur ex Iure Ciuili, & Canonico. Verum meo iudicio hæc doctrina non poteſt ſubſiſtere, quia excommunicatio non fertur contra vtentes litteris falſificatis Apoſtolicis, ſed fertur cōtra falſificantes, & falſificatio, vt locum habeat non requirit vſum, cum ſit quid antecedens ad vsũ, & habeat ſuũ effectum jam completum, antequam adueniat vſus; habetur enim totum id, ſuper quod cadunt verba Canonis ante vſum, & ideo ipſa Canonis verba debent ſuum effectum ſortiri, vt habetur etiam *ex l. Nomen filiorum §. Habere ff. de verbor. ſignificat. & etiam ex cap. Relatum de Cleric. non reſiden. & ex cap. Cum in cunctis §. Clerici de elect.* Addo in ſuperiori lege demonſtratum eſſe ſatis præcipuum obiectum talis prohibitionis fuiſſe falſificationem, ſiue veritatis annullationem, quæ habetur independenter ab vſu, neque intentio vtendi, vel non vtendi facit id ad rem, cum ſit actus internus, nec cadat ſub prohibitione Eccleſiæ, quidquid dicat Paſqualigus *loc. cit.* licet enim multi actus externi prohibeantur ab Eccleſia, quatenus pendent ab internis, à quibus deſumunt malitiam moralem, in hoc tamen caſu hæc doctrina non hâbet locum, cum per ſe, & directè prohibeatur ſolus actus externus falſificandi litteras Apoſtolicas, cum talis actus de ſua natura temeritatem, irreuerentiam, & contemptum inducat contra Sedem Apoſtolicam præciſo quocumque alio actu interno, & ideò ſe ſolo poteſt eſſe obiectum prohibitionis, licet non fiat ad decipiendum.

LEX CCXXXI.

Nemo ab Epiſcopis admittēdus ad audiendas confeſſiones, tametſi ſit Regularis, niſi ab ipſis verè iudicetur idoneus.

EX Trident. *Seſſ. 23. cap. 15. de reform.* habetur expreſsè quemcumque ad audiendas confeſſiones admittendum, debere prius, vel per examen, ſi hoc videatur neceſſarium, vel aliunde idoneũ iudicari ab Epiſcopis; ſi enim quis admitteretur non cognita eius idoneitate, vel per examen, vel aliunde, non poſſet excuſari Epiſcopus à mortali, ne dum quia ageret contra præſcriptum Concilij in re graui, ſed etiam quia negligeret munus ſuum Paſtorale, oueſq; ſuas exponeret perditionis periculo. An verò pro beneficijs parochialibus examen ſit neceſſarium, & ſit de forma Sacri Concilij, ita vt ſine illo nullus Parochus poſſit adprobari præcisè quoad ſcientiam, non eſt vna, & eadem Doctorum Sententia; communior tamen eſt, quod ſit ſatis, vt aliquo modo quicumque admittendus ad cōfeſſiones innoteſcat, & iudicetur idoneus; nec modo ſermo eſt de admittendis per concurſum, ad quem plura alia requiruntur à Trid. Potior difficultas in hac re eſt, an Epiſcopi per ſolas atteſtationes ſuperiorum Regularium circa ſufficientiam, & idoneitatem ſubditorum poſſint illos idoneos reputare, & iudicare, non habita aliũde notitia, nec ſibi conſtante aliunde eorum idoneitate. Nonnulli DD. volunt, Epiſcopos non poſſe ex eo, quod in nulla re poſſit iudicium, vel ſententia ferri, niſi cognita cauſa; approbatio enim eſt declaratio idoneitatis per modum ſententiæ, & iudicij. Alij tamen communiùs volunt, poſſe Epiſcopos

ſtare

ſtare iudicio, & relationi Superiorum Regularium, cum per eorum examen, & iudicium ſatis ipſis conſtare poſſit de idoneitate, & poſſunt eorũ iudicio vti, ac ſi eſſet iudiciũ ab ipſis ad hãc rem delegatum, vt etiam ſolent Epiſcopi ſuorum Examinatorum iudicio ſtare, licet ipſis immediatè non conſtet de idoneitate, ſuperiores autem Regulares tenentur ſub mortali recta teſtimonia ex recto iudicio Epiſcopis exhibere, vt ipſis poſſit præſtari fides, cum in tali caſu Epiſcopi cenſeantur eorum fidelitati committere cognitionẽ cauſæ, & in virtute eorum relationis, & teſtificationis ſubditos Regulares adprobare; dicitur namque etiam Summus Pontifex in cauſis grauiſſimis ſtare relationi, & examini alicuius Sac. Congregationis, vt paſſim conſtat. An verò grauatus in examine per ſuſpectos Examinatores, poſſit ab ipſis appellare, & petere, vt iterum ſubijciatur examini, videtur ſatis deciſum ex pluribus Rotæ deciſionibus, quas affert Paſqualig. *in addit. ad Lauret. n.*1400.

LEX CCXXXII.

Confeſſariorum idoneitas ſemel tantum ab Epiſcopis adprobanda, ſed pluries examinanda.

AD tollendas omnes Confeſſariorum, etiam Regularium prætenſiones, ſeu præſumptiones, quas habent vigore Priuilegiorum, hæc ſit lex ab Epiſcopali Prudentia ad praxim reducenda, quod ſcilicet facta ſemel ipſorum approbatione abſoluta pro confeſſionibus audiendis non reuocent amplius in dubium talem approbationem, cum ſit per modum ſententiæ, quæ de ſua natura eſt irreuocabilis, ſed relinquentes integram talem approbationem, quæ eſt abſoluta idoneitatis declaratio, reuocent tamen quandoque ad examen Confeſſarios omnes, vt eos contineant in ſtudij neceſſarij exercitio pro exercendis confeſſionibus; poſſunt enim Paſtores quoties voluerint, recognoſcere ſufficientiam Confeſſariorum in ordine ad regendas oues; ex quo deducitur, poſſe Confeſſarios omnes etiam Regulares, iam approbatos, etiam abſolutè ab Epiſcopo Prædeceſſore, reuocari ad examen ab Epiſcopo Succeſſore, non ad ferendam nouam ſententiam circa approbationem iam factam, ſed illam recognoſcendam, & ad faciendum experimentum de ſufficientia; & in hanc doctrinam conueniunt DD. omnes, qui ſunt in oppoſita opinione circa nouam Confeſſariorum approbationem, & etiam eſt doctrina conformis Trid. vt teſtatur Quaranta *V. Confeſſor.* & conformis etiam Conſtit Pij V. editæ anno 5. ſui Pontificatus, alijſque Sacris Canonibus. Ad tollendas autem difficultates, quas ſolent Epiſcopis Regulares Confeſſarij afferre, quod nimirum, cum ſint ſemel approbati, poſſint ſemper confeſſiones audire in Diœceſi, in qua ſemel facta eſt approbatio; optimum erit Epiſcopis conſilium præ oculis habere decretum Sac. Congreg. Concilij emanatum die 2. Iulij 1587. in quo relinquitur ipſorum arbitrio approbationem ad tempus limitare, ſcilicet cum limitata facultate; quidquid ſit, an poſſit approbatio abſolutè facta limitari, nec ne, cum doceat Paſqualig. *loc. cit.* poſſe tantum fieri approbationem ſecundum menſuram repertæ idoneitatis, ſemper enim liberum eſt Epiſcopis, etiam ſtante idoneitate, approbare Confeſſarios ad tempus, cum ex aliquo motiuo maioris boni communis poſſit tempus etiam idoneis

neis

nels Confeſſarijs reſtringi, vt ſuum munus perfectiùs obeant. Addo quod ſi pro libito Epiſcoporum poſſunt ad examen vocari, poterunt etiam pro limitato tempore ad confeſſiones deputari; poterunt enim non cenſeri ex tali motiuo abſolutè idonei, quidquid dicant in contrarium multi DD. in hac materia.

LEX CCXXXIII.

Non admittendi ad audiendas confeſſiones ab Epiſcopis Confeſſarij electi à Confraternitatibus vigore Priuilegiorum, ſine ipſorum approbatione.

NVllum priuilegium poteſt eximere Confeſſarios à requiſita approbatione facienda per Epiſcopos, cum id habeatur expreſsè ex Trident. & ex Conſtitut. Clementis VIII. quę incipit *Quacumque à Sede Apoſtolica*. Vnde datis quibuſcumque priuilegijs pro quacũque Confraternitate, ne dum erunt præſentandi Epiſcopis Cõfeſſarij electi; ſed etiam erunt ab ipſis pro confeſſionibus approbandi; nam licet Sacerdotibus quibuſdam priuilegiatis de Iure antiquo eſſet ſufficiens præſentatio, de Iure tamen nouo præſentationi ſuperaddita eſt approbatio, ſine qua vnuſquiſque inualidè abſolutionem impenderet à peccatis; & ideò etiam Regulares, qui ſupponunt ſe poſſe in quacũque Diœceſi audire confeſſiones, ſuppoſito, quod ſint ſemel approbati in vna ab vno Epiſcopo, valdè decipiuntur, cum ſit neceſſaria approbatio à quocumque Epiſcopo pro ſua Diœceſi; approbatio enim vnius tantum Epiſcopi, cũ ſit actus authoritatiuus, & Iuriſdictionis, non poteſt ſe extendere extra limites propriæ Diœceſis, & conſequenter ex illa ſola approbatione non ſunt Confeſſarij cenſendi vbique locorum approbati; Hæc obiter dicta ſunt ad demonſtrandam neceſſitatem approbationis ab Epiſcopis locorum pro excipiendis confeſſionibus, non obſtante quocumque priuilegio. Non ſunt igitur admittendi ab Epiſcopis tales Confeſſarij electi à Confraternitatibus ſine approbatione, cum priuilegia Confraternitatum cadant tantum ſupra poteſtatem eligendi, non ſupra poteſtatem approbandi, & tales electi perinde ſunt quoad approbationem, ſicuti omnes alij Confeſſarij, qui debent ſemper ab Epiſcopis approbari. Non requiritur tamen hæc approbatio, quę ſtatuitur in Trid. *Seſſ.23. cap.*15. pro ſæcularibus, etiam pro Regularibus in ordine ad ſuos Regulares, nam ſufficit, quod ſint approbati à ſuis Superioribus pro ſuorum ſubditorum confeſſionibus audiendis, & ratio eſt, quia cum Sæculares ſint commiſſi curæ Epiſcoporum, de quibus etiam tamquam de ouibus proprijs tenentur rationem reddere, debent etiam recognoſcere quoad idoneitatem Miniſtros omnes, quos aſſumunt Coadiutores in proprijs paſcendis ouibus; quæ ratio non militat in Regularibus, qui non pertinent ad ipſorum curam, ſed ad curam tantum ſuorum ſuperiorum. An verò, quod dictũ eſt de Regularibus quoad approbationem Confeſſariorum, ſit dicendum etiam de Equitibus Hieroſolymitanis non eſt vna, & eadem Doctorum ſententia. Ego tamen cum Nauarr. *de elect. for. q.*69. *n.* 23. Ricc. *in prax. reſolut.* 170. *num.*2. *p.* 4. Paſqualig. *in addit. num.* 1437. & alijs putarem idẽ eſſe dicendum de ipſis, ac de Regularibus, cum & ipſi ſint verè Religioſi ſub ſuis ſuperioribus conſtituti. Immò Sanchez *in ſelect. diſp.*49. *num.*10. hoc exten-

dit etiam ad Sacerdotes Ordinis Sancti Iacobi Alcantaræ, & Calabrauæ, quos ait, non indigere approbatione ordinarij pro audiendis confeſſionibus militum ſuorum ordinum, hoſque poſſe eligere Sacerdotem non approbatum ab Epiſcopis, quæ tamen doctrina, cum multas patiatur difficultates, forſan alibi ſoluendas, pro nunc non vlteriùs examinanda eſt.

LEX CCXXXIIII.

Nullus, niſi idoneus, deputandus ab Epiſcopis ad excipiendas confeſſiones.

IAm dictum eſt ſatis ab Epiſcopis eſſe cognoſcendam, & approbandam eorum idoneitatem, qui deputantur ad excipiendas confeſſiones, idque definitur in Tridentino, & in varijs Sacrorum Canonum Textibus, præſertim *in c. Inter cætera de offic. Ordinar.* Difficultas eſt, ſi aliquis Epiſcopus ex aliquo humano reſpectu deputaret in Confeſſarium aliquem non idoneum, quid ſit dicendum in tali caſu de tali approbatione, Epiſcopum namque idem agentem, & ſuarum curam animarum negligentē peccare mortaliter, apud omnes in cōfeſſo eſt, at nullam eſſe approbationē, & talem deputatum non poſſe abſoluere, non omnes Doctores fatentur. Ego tamen dicerem, & nullam eſſe approbationem, & ſic deputatos carere omni poteſtate abſoluendi, cum in Trid. *Seſſ.* 23. *cap.* 15. *de refor.* duo tamquam neceſſaria requiſita ponantur, ſine quibus non poteſt miniſtrari Sacramentum Pœnitentiæ, nimirum idoneitas in ipſo Sacerdote, & approbatio fundata in ipſa idoneitate; quibus deficientibus deficit commune fundamentum poteſtatis abſoluendi, & ſi quis abſoluit, inualidè abſoluit. Approbationem verò factam ab Epiſcopo ſine idoneitate, omninò nullam eſſe tradunt Suarez *diſp.* 28. *de Pænit. ſect.* 7. Reginal. *l.* 1. *prax. for. Pænit. num.* 197. Bonac. *de Sacram. q.* 7. *punct.* 3. Iordan. *tom.* 1. *var. lucubrat. titul.* 4. *de Pænit.* & alij plures. Aduertendum eſt tamen, non eſſe neceſſariam idoneitatem, quæ dicitur talis abſolutè, & abſolutè probata, vel probanda, nam maior, vel minor idoneitas non variat ſpeciem idoneitatis, vt etiam conſtat ex principio philoſophico; ſufficit namque quod Sacerdos cognoſcatur, & probetur idoneus ab Epiſcopis, & ad ſummum minus idoneus erit approbandus ad certum tempus, vt temporis progreſſu magis idoneus inueniatur, & poſſit poſtmodum abſolutè probari, & quod dicitur de Epiſcopis, intelligitur etiam de ipſorum Vicarijs Generalibus, qui ex vi mandati Vicariatus poſſunt examinare, & approbare Sacerdotes pro confeſſionibus audiendis, niſi id expreſsè ipſis prohibeatur, & limitetur facultas; qui etiam ex cauſa poſſunt ſuſpendere Confeſſarios ab exercitio, quamuis nunquam dicatur ſuſpenſa facultas, quæ habetur ex vi Ordinis Sacerdotalis, quam neque poſſunt ipſi Epiſcopi ſuſpendere, quidquid dicant aliqui in contrarium.

LEX CCXXXV.

Non admittendus ab Epiſcopis ad Confeſſiones Sacerdos quicumque ſit, ſiue Regularis, ſiue Sæcularis, qui abiurauit de vehementi.

EX *c. ad abolendum*, quod ibi notatur vniuerſè *de Hæreticis, & ex c. Inter de Purgat. Canonic. & ex c. Tuarum itidem de Purgat. Canonic.* & ex ſenſu communiori

niori Doctorum omnes illi, qui abiurant de vehementi, cenſentur graui infamia notati, & conſequenter ſuſpenſi ab omni officio, & beneficio, cùm etiam poſt abiurationem remaneat infamia facti per Hoſtienſ. Abbat. Felin, & alios *in text.* apud Lauret. *q.4.n.*1401. vnde videtur ſequi eſſe etiam inhabiles ad miniſtrandum Sacramentum confeſſionis, neque ad illud poſſe ab Epiſcopis promoueri. Locatus verò *in fine prax. oper. Iudicial.* affert Decretum, ſeu declarationem Cong. S. Officij, vbi expreſsè habetur, quod abiurantes de vehementi non ſint admittendi ad audiendas confeſſiones, quod etiam tradunt Alphonſ. de Leone *de offic. confeſſ. part.*2. Ricc. *deciſ.*218. Genuenſ. *in prax. Archiepiſc. cap.*45. & alij. Hanc tamen doctrinam, ait Paſqualig. *in addit. num.* 1042. non eſſe intelligendam, niſi de confeſſionibus Sæcularium, quia id habetur expreſsè ex Decreto, non verò de confeſſionibus Regularium, vnde infert, quod ſi Sacerdos fuerit Regularis cum licentia ſuorum ſuperiorum, poſſe audire confeſſiones aliorum Regularium, cum de huiuſmodi confeſſionibus non loquatur Decretũ. Abiurantes autem de leui poterunt admitti ad confeſſiones, cum ceſſent rationes omnes ſuprapoſitæ. Quin immò refert Lauret. de Franchis *quæſt.* 4. emanaſſe Decretum Cong. Generalis Inquiſitionis pro Curia Archiepiſcopali Neapolitana die 6. Martij 1596. in quo fuit dictum, Sacerdotem quemlibet non eſſe arcendum ab Exercitio omnium ordinum, & Miniſterio Sacramentorum, ex eo quod de leui abiurauerit; & poſſe etiam confeſſiones Sæcularium audire; dummodò nihil aliud obſtet in contrarium. Neque obſtant traditę doctrinę pro abiurãtibus de vehementi, Pariſ. Doctrina, *Conſil.* 2. *n.* 18. *&* *conſil.*188. *volum.*4. Rolan. *conſil.* 63. & aliorum, qui aſſerunt etiam Hæreticos formales, qui prima vice tantum abiurauerunt, non effici inhabiles ad beneficia, nam, quidquid ſit de tali doctrina, inhabilitas ad beneficia non eſt comparanda cum inhabilitate ad conficienda, & miniſtranda Sacramenta, quæ poteſt eſſe res animarum ſaluti magis præiudicialis, & quia à diuerſis non fit illatio, & in pœnalibus ſemper ſtandum eſt ſtricto Iuri.

LEX CCXXXVI.

Non arcendi ab Epiſcopis abiurantes de vehementi ab audiendis confeſſionibus tamquam Irregulares.

NOn eſt idem in Iure Canonico, quod abiurantes de vehementi non ſint ab Epiſcopis admittendi ad audiendas confeſſiones ex aliqua notâ, vt ſupra cum nonnullis Doctoribus obſeruatum eſt, & quod ſint ab ijſdem reijciendi à tali munere, tamquam Irregulares; Neque apud omnes certum eſt, quod eiuſmodi abiurantes poſt abiurationem criminis, & pænitentiam adhuc notentur infamia facti, licet id ab aliquibus ſupponatur, vt dictum eſt ſupra. Ricc. tamen *deciſ.* 218. *num.* 5. *part.*2. cum alijs, cum doceat, Sacerdotes per abiurationem de vehementi verè fieri Irregulares, vult etiam conſequenter, eſſe arcendos ab audiendis confeſſionibus; docet enim ipſe Irregularitatem contrahi ex publica pænitentia, vt habetur in *c. Placuit diſt.* 50. *& abiurationem publica pænitentia ex c. Accuſatus* §. *Heret. in* 6. Alij tamen quamplures oppoſitum docent cum Nauarr. *conſil.* 16. vbi, vt confirmet abiurationem etiam de vehemẽti non inducere Irregularitatem refert exem-

plum cuiuſdam Prælati,qui die ſequenti poſt abiurationem de vehementi dicitur, ſtatim Miſſam celebraſſe, atque ex hoc fuiſſe cõmendatum à Papa;erat enim in Curia Romana, quod ſanè factum probatum non fuiſſet, ſi ille Prȩlatus ex abiuratione incidiſſet in Irregularitatem; & hæc doctrina videtur magis probabilis, cum notet Paſqualig. *in addit. num.*1403. non eſſe verum, quod publica pænitentia inducat Irregularitatem,cum hoc non habeatur *ex dicto c. Placuit*; immò potius colligatur oppoſitum, dum in ipſo ſtatuitur,quod publicè Pænitentes non admittantur ad Clerum, niſi neceſſitas, aut vſus exegerit; vnde non reijciuntur abſolutè, ſed admittuntur ſub conditione; quod vſus, hoc eſt, conſuetudo id exigat, vt ibi explicat Gloſſ. Addo publicos Pænitentes dici quamdiù durat publica Pænitentia, non quando hæc eſt iam tranſacta, vel impleta, nec ita certum eſt abiurationem de vehementi obtinere vim publicæ pænitentiæ, qualis antiquitus erat in vſu per certas publicas demonſtrationes, quæ per certum tempus imponebantur in populorum ædificationem. Ratio potiſſima eſt, quia Irregularitas non poteſt contrahi, niſi ex eo, quòd eſt expreſſam in Iure; nullo autem Iure probatur talis Irregularitas, & ideò neque eſt admittenda; immò dato, quod publicè, & ſolemniter Pænitentes eſſent Irregulares, non ideò extendenda eſſet Irregularitas ad abiurantes, cum non extendatur à Iure; nec in eiuſmodi pœnis valet omnis paritas rationis, vt ſatis dictum eſt.

LEX CCXXXVII.

Reſeruandi aliqui caſus ab Epiſcopis in quacunque Diœceſi.

EX Trid. *Seſſ.* 14. *c.*7. *& ſeſſ.* 24. *c.*11. *& ex Clement. Dudum*, datur Epiſcopis facultas,immò eſt Epiſcoporum Priuilegium, vt poſſint ſibi quorumdam peccatorum abſolutionem reſeruare, idque habent ex vi ordinariȩ Iuriſdictionis, quam habet vnuſquiſque in propria Diœceſi in foro conſcientiȩ. Facienda autem eſt ab ipſis reſeruatio, eo prȩſertim intento, vt grauiora peccata grauiori iudicio ſubdantur, quo melius corrigi poſſint, & emendari, & vt acriori metu correpti homines ſceleſti à ſuis ſceleribus fortiùs arceantur. Ideò reſeruari debent tantum grauiora crimina, & quȩ frequentiùs perpetrari ſolent ad illa auuertenda, immò eradicanda; & hȩc peccata reſeruanda recenſet Barboſ. *de poteſt. Epiſ. p.* 3. *alleg.* 51. Vnde non debent reſeruari ab Epiſcopis caſus iam reſeruati à Sede Apoſtolica, vel contenti in Bulla Cœnȩ; neque alij caſus parui momenti,neque caſus graues, ſi ſint purè interni, nec habeant connexionem cum externis, ad hoc, vt poſſint Eccleſiȩ iudicio ſubiacere, cum hȩc de purè occultis non iudicet. Caſus autem ab Epiſcopo reſeruatos, & verè cadentes ſub reſeruatione nemo poteſt ex quocumque priuilegio abſoluere, niſi in articulo mortis, in quo ceſſat omnis peccatorum, & cenſurarum reſeruatio;neque in hoc poteſt Regularibus fauere quodcũque ſuppoſitum priuilegium, cum omnia priuilegia in hac materia ſupponantur abolita, & reuocata per Bullas Gregorij XIII. Vrbani VIII. & Alexandri VII. qui poſtremò damnauit tamquam erroneam

roneam opinionem contrariam; Vnde dato, quod aliquis haberet ampliſſimã facultatem à Papa abſoluendi ab omnibus cenſuris, & peccatis etiam ipſi Papæ reſeruatis, non per hoc intelligeretur habere facultatem abſoluendi etiam à reſeruatis Epiſcopo, tametſi Epiſcopus inter caſus à ſe ipſo reſeruatos, reſeruaſſet etiam aliquem caſum reſeruatum Papæ; eo enim ipſo, quod euadit ille caſus reſeruatus ab Epiſcopo, non poteſt abſque eius licentia, & authoritate abſolui, licet ſit caſus iam reſeruatus Papæ; idque præ cæteris tradit Graffius *p. 1. deciſ. lib. 1. c.* 13. ex declaratione Gregorij XIII. quæ incipit, *cum à Sacra*, cui doctrinæ additur Decretum Clement. VIII. vbi ſtatuitur, neque Societatis Ieſu Religioſos, neque alios quoſcumque Regulares quomodolibet priuilegiatos, etiamſi obtineant facultatem abſoluendi à quibuſcumque caſibus, & cenſuris reſeruatis Summo Pontifici, poſſe abſoluere à reſeruatis Ordinarijs locorum, ne dum intra Italiam, vt videtur limitare hoc Decretum, ſed etiam extra, ex alijs conſtitutionibus Pontificijs, quæ loquuntur vniuerſaliter, vt optimè aduertit Caballut. *in Theor. & prax. Iur. Canon. lib. 1. cap.* 11. & hinc ſequitur nullo modo eſſe tolerandos ab Epiſcopis illos Regulares, qui ex priuilegijs ſupponunt ſe habere omnem facultatem abſoluendi quoſcumque caſus reſeruatos; quin etiam *per Clementin.* 1. *de priuileg.* excommunicantur illi Regulares, qui præſumunt, ſe poſſe abſoluere à culpa, & à pœna, cum id ſit præſumere, ſe poſſe concedere Indulgentiam Plenariam, quam ſolus Pontifex poteſt concedere, de qua re videndi ſunt plures Doctores, quos citat Squillant. *p.* 3. *c.* 21. *n.* 12.

LEX CCXXXVIII.

Nullus caſus reſeruatus Papæ ab Epiſcopis reſeruandus.

EX Decreto Sac. Cong. ſub die 29. Nouemb. 1602. facto de mandato Clement. VIII. quod refert Quaranta *in Sum. Bullar. V. Caſus Reſeruati*, nullus caſus ſpecialiter reſeruatus Sedi Apoſtolicæ poteſt ab Epiſcopis reſeruari; rationem affert Paſqualig. *in addit.* ad Lauret. *n.* 1412. quia vbi Pontifex manum apponit cenſentur ligatæ manus Epiſcoporum, qui ſunt inferiores, idque tradit *ex c. vt noſtrum, de Appellat. & ex extrauag. ad Roman. de Præbendis*. Quod etiam videtur conſonum ordini Hierarchico Eccleſiæ, cum nullus inferior ſe debeat ingerere in rebus ſuperioris; Difficultas potior in hac materia eſt de Hæreſi purè interna occulta, & mentali, quam volunt quamplures eſſe Summo Pontifici reſeruatam, eo quod ſit verè, & completè hæreſis, cum ſola mente perficiatur, & cõſummetur, & ideo habeat etiam adnexam excommunicationem, ratione cuius tantum dicitur reſeruari, vt docet Paſqualig. *l. c.* & de hac quæritur, an poſſit, & debeat ab Epiſcopis reſeruari. In Sententia illorum, qui dicunt hæreſim etiam purè occultam, & mentalem eſſe Pontifici reſeruatam, & habere adnexam excommunicationẽ alijſque pœnis ſubiacere, dicendum eſt, non poſſe ab Epiſcopis reſeruari ratione ſuprà allata, cum iam ſit reſeruata Pontifici, neque poſſit inferior mittere manum in meſſem ſuperioris; at in Sententia aliorum, qui hoc negant, & ſunt Doctores pluſquam triginta tres enumerati à Paſqualigo, vbi ſupra, fortaſſis non ita facilè difficultas propoſita

ta poteſt reſolui, cum hæreſis purè mentalis ſit caſus purè occultus, & actus internus; qui ex doctrina cõmuni non ſubiacet diſpoſitioni, neque iudicio Eccleſiæ, atque adeò nec videatur, poſſe ab Epiſcopis reſeruari. Ego tamen non video, cur hæreſis purè mẽtalis non poſſit reſeruari ab Epiſcopis, cum ipſi plura peccata reſeruent ad differentiam Apoſtolicæ Sedis, quibus nulla eſt adnexa cenſura, & ſi poſſunt pro libito peccata mortalia reſeruare, poterunt etiam reſeruare hęreſim purè mentalem, cum ſit ſemper peccatum mortale contra virtutem fidei, licet non tranſeat ad actum externum, vnde ſicut Epiſcopi poſſent ſibi reſeruare, ſi vellent, odium Dei, quod eſt peccatum conſummatũ in voluntate, neſcio, cur non poſſint etiam reſeruare hæreſim, quæ conſummatur in ſola mente, cum ſit error in intellectu, & id, quod dicitur de hæreſi mentali, dicendum eſt de quocumque alio actu purè interno; nulla enim adeſt diſparitas, aut ratio in contrarium. Quid verò requiratur, vt hæreſis mentalis fiat aliquo modo externa, ita vt ſubiaceat cenſuræ Pontificiæ, nec poſſit in eo caſu ab Epiſcopo reſeruari, tamquam res iam reſeruata Pontifici diſertè exhibet doctiſſimus Paſqualig. *n.* 1415. *in addit.* vbi fusè agit de hac materia.

LEX CCXXXIX.

Permittenda ſine ſcrupulo ab Epiſcopis electio confeſſary etiam non approbati cuicumq; Cardinali, & Epiſcopo.

TAmetſi ex probabili hinc inde doctrina liberum fortaſſis Epiſcopali Prudentiæ ſit confeſſarij non approbati electionem Cardinalibus, & Epiſcopis permittere, vel non permittere, conſultiùs tamen ſemper erit Epiſcopis in hac re Eccleſiæ magnatibus fauere, & eorũ ſuppoſitis priuilegijs indulgere. Quemadmodum enim ex regulis odia ſunt reſtringenda, ſic ampliandi fauores, præſertim, cum vllo modo per Trid. *Seſſ.* 25. *cap.* 15. *de refor.* non videatur ſublatum priuilegium conceſſum Prælatis *in cap. fin. de Pænitentia*, quo ad eiuſmodi electionem, cum decretum Concil. Trid. reſtringatur, tantum ad Sæculares, etiam Sacerdotes, quo nomine non intelliguntur Cardinales, & Epiſcopi, ratione ſublimioris dignitatis, ex qua deberent ſpecialiter nominari; ſicut etiam eorum priuilegium inſertum in corpore iuris, deberet à Trid. ſpecialiter abrogari, ſi verè intelligendum eſſet abrogatum; Cardinales namque, & Epiſcopi, etiamſi ſint extra Diœceſim; ſeu locum, in quo poſſunt exercere iuriſdictionem, habent tamen hanc facultatem ex priuilegio facto dignitati, quæ facultas eſt in ordine ad tribuendam iuriſdictionẽ cuicumque confeſſario etiam non approbato, eo ipſo, quod ab ipſis eligitur virtute priuilegij: Neque Cardinales, & Epiſcopi quicumque ſint, & vbicũque ſint ſubduntur Ordinarijs in foro pænitentiali; vult enim Trid. nullum confeſſarium, poſſe excipere confeſſiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, niſi ſit approbatus à ſuo Ordinario, ea ratione, vt quiſque cognoſcat Paſtorẽ ſuum, & vt confeſſarij dependeant ab Epiſcopis in adminiſtrando Sacramento Pænitentiæ eorum ſubditis, quæ ratio ceſſat in Cardinalibus, & Epiſcopis, qui ratione ſuperioris, vel ſaltem paris dignitatis non poſſunt Ordinarijs ſubiacere. Cardinales verò, & Epiſcopi eo ipſo, quod eligunt ſibi confeſſarios, dicuntur eos approbare pro ſe ipſis tantum, ſicque per talem approbationem

nem idoneos facere, cum non dicatur ex Trid. confeſſarius idoneus, niſi ſit approbatus; & ex eodem Concil. debeat ſemper eligi confeſſarius idoneus. De hac re videri poteſt Paſqualig. *deciſ.* 85. 86. 87. & deinceps; qui licet videatur varius, & ſibi contrarius in eiuſmodi deciſionibus quoad modum dicendi, & explicandi ſuam doctrinam; ſibi tamen eſt ſemper conſtans quoad ſubſtantiam; docet enim Epiſcopos per electionem approbare confeſſarios ex priuilegio, ſiue id faciant ipſi immediatè per authoritatem receptam à Sum. Pontifice in priuilegio, ſiue mediatè vtendo ipſa Sum. Pontif. authoritate, quæ ſit illa, quæ in eiuſmodi caſibus confeſſarios approbet, hoc parum refert, dummodo confeſſarij cenſeantur verè approbati; quæ doctrinæ explicatio fauet admodum etiam Epiſcopis Titularibus tantum, non habentibus Eccleſiam, neque iuriſdictionem. An verò Epiſcopi non Titulares ſuas habentes Eccleſias, etiam extra Diœceſim, habeant eamdem iuriſdictionem, quam habent in Diœceſi quoad proprium regimen Epiſcopale, nemini dubium eſſe poteſt, cum ipſa Epiſcopalis dignitas ex parte ſui ſemper ſecū trahat adnexam iuriſdictionem, quæ ſemper eadem eſt, & tantum per accidens poteſt impediri defectu ſubditorum, qui ſi deſint, deeſt ſubiectū exercendæ iuriſdictionis, non ipſa poteſtas exercendi, ex quo ſequitur quod Epiſcopi omnes, etiam extra Diœceſim poſſunt approbare confeſſarios ſubditos, approbare Reliquias, & ea omnia exercere, quæ non ſpectant ad iuriſdictionem contentioſam, vel ad Pontificalia; & ſi poſſunt approbare confeſſarios pro alijs, multò magis pro ſe ipſis.

LEX CCXXXX.

Non omnibus, licet exemptis, & priuilegiatis permittendus ab Epiſcopis priuilegij vſus, quoad electionem confeſſarij non approbati.

QVod vni, aut aliquibus in præcellenti dignitate conſtitutis permittitur, nequaquam eſſe cæteris indiſcriminatim permittendum, dictamen eſt non ſolius Epiſcopalis Prudentiæ, ſed prudentiæ vniuerſalis politicæ, non enim in omnibus æqualis eſt virtutis, ac meriti menſura, neque paritas dignitatis, atque præcellentiæ, ideò neque æqua lance librandus fauor ſingulis impertiendus. Quod verò præter Cardinales, & Epiſcopos queant plerique alij ſuperiores, & Prælati gaudere priuilegio ſibi confeſſarium eligendi, etiam non approbatum, vt ſunt Protonotarij participantes, & etiam non participantes, Referendarij Apoſtolici, Sacræ Rotæ Auditores, reliqui etiam Prælati, & ſuperiores exempti, atque etiam in aliquorum Sententia Parochi, Plebani, Archypresbyteri, & alij plures aliquod genus dignitatis, & ſuperioritatis oſtentantes, non eſt hic, neq; omninò inficiendum, neque ex parte fatendum, ſed id tantum ſtatuendum, quod licet prænumeratis gradibus inſigniti, poſſent verè gaudere illo priuilegio poſito *in cap. fin. de Pœnitentia*, eadem in ipſis militante ratione, quæ in Cardinalibus, & Epiſcopis; non proinde prudenter agerent Epiſcopi, ſi talis priuilegij vſum omnibus indifferenter permitterent, cum ſit ab ipſis attendēda perſonarum conditio, & qualitas; non enim ideò, quod priuilegia ſubſiſtant tenentur Epiſcopi vtentibus illis ſemper indulgere, & fauere, cum plerumque

rumq; poſtulet optimi regiminis ratio in Eccleſia, vt eiuſmodi priuilegiorum vſus ex cauſa impediatur; neq; in hac rè reclamantes ſemper expedit audire, cum ſit ſatis prouiſum ex prudentia Epiſcopali, vt in ſuo robore priuilegia conceſſa relinquantur, etiam ſi eorum vſus non permittatur, in quo ſuam poteſtatem abſque nota, ſemper poſſunt Epiſcopi oſtendere, vt docent multi Doctores apud Tann. & Hurtad. *de priuileg.* quidquid dicat Peyerin. in contrarium *de priuil. Regul.*

LEX CCXLI.

Inhibendus ab Epiſcopis ingreſſus mulierum in Monaſteria Regularium ſub quocumque prætextu licentiarum.

PRæſcribunt legem in hac materia Epiſcopali Prudentiæ Pontificiæ Conſtitutiones plures præſertim illa Pij V. 20. *allata tom. 3. Bullar.* & illa Gregorij XIII. 28. §. 1. in quibus reuocantur omnes licentiæ conceſſæ quibuſcumque perſonis fœminei ſexus, ne audeant impoſterum ingredi Monaſteria Regularium illarum prætextu, & quoad Monaſteria Monialium, tàm mulieribus, quàm viris idem præcipitur ſub pęna excõmunicationis ipſo facto incurrendæ, & ſimiliter ſub eadem pęna excõmunicationis latæ ſententię, & priuationis dignitatis, beneficiorũ, officiorum, & inhabilitatis ad illa obtinenda, additâ ſuſpenſione à Diuinis, idem pręcipitur ſuperioribus omnibus, & quibuſcumque alijs vtriuſque ſexus, ne ſcilicet audeant ingredi facere, aut ingreſſum permittere. Eiuſmodi autem inhibitiones, & pęnę cenſendæ ſunt ab Epiſcopis latæ, pręſertim contra illos viros, vel mulieres, qui præſumunt ingredi clauſuram Monaſteriorum prætextu licentiarum, quod apertè conſtat ex textu conſtitutionis Pij V. §. cuius verba videri poſſunt in *Bullar. tom. 2.* An verò dictæ conſtitutiones Pontificię comprehendant tantum mulieres ingredientes clauſuram prętextu licentiarum, vel locum habeant etiã quoad omnes omninò mulieres ingredientes etiam ſine prętextu, in ſequenti lege ſtatuendum erit; adſunt namque Doctores interpretes pro vtraque parte, quorum opinio poteſt eſſe probabilis, licet à nobis probabilio ſit pręferenda, eaque ab Epiſcopis ſit amplectenda; non enim ideò, quod verba conſtitutionum Pontificiarum videantur dirigi ad mulieres facultates, & licentias ingrediendi clauſuram prætendentes, talia verba ſunt intelligenda reſtrictiuè, vt optimè demonſtrat Paſqualig. *q. 171. moral. Iurid.* contra Suarez, ſed demonſtratiuè hoc eſt, demonſtrando, quod illę conſtitutiones comprehendant etiam mulieres pręſumentes habere licentias, pręter reliquas omnes, non habentes huiuſmodi licentias; quando enim identitas rationis extendit legem, & ſit in ipſa mentio de aliquibus perſonis, cenſetur facta demonſtratiuè, & ampliatiuè, non reſtrictiuè, iuxta regulas Iuris Ciuilis, & etiam Iuris Canonici, vt habemus apud Bald. *in l. de quibus V. Item nota ff. de legibus*, & apud Gloſſ. *in Clementin. V. præſidentes de reſcript.*

LEX CCXLII.

Neque permittendus ab Epiſcopis ingreſſus mulierum in clauſuram ſine prætextu licentiarum.

MOnetur Epiſcopalis Prudentia à pleriſque Doctorum, ne ex ſu-

pra allatis conſtitutionibus Pontificijs facili negotio deducat, pęnas contentis prohibitionibus annexas omnes omninò mulieres afficere, eas quoque, quæ ſine prętextu licentiarum clauſuras Monaſteriorum ingrediuntur; volunt namque Doctores illi non pauci, quos affert Paſqualig. *Q. moral. iurid.* 170. ſub illis conſtitutionibus comprehendi tantum mulieres, quæ titulo licentiarum ingrediuntur, aut admittuntur, ac proinde impoſitas pęnas non habere locum, quando ſecluſo prætextu licentiarum, quæ omnes fuere reuocatæ, ingrediuntur, aut admittuntur; dicunt enim ſatis conſtare ex verbis Bull. dirigi tales prohibitiones, & pęnas ſolummodo ad mulieres prætendentes habere tales licentias, & facultates; neque prohibitio facta, & pęna iniuncta certis mulieribus extendenda eſt ad alias, aut ad reliquas omnes. Verum tamen eſt, quod ſanior intelligentia illarum conſtitutionum eſt, quod comprehendant mulieres omnes ſine diſcrimine, quod colligitur ex declaratione facta à Pio V. Cardinali Cribello viuæ vocis araculo, de qua ipſe authenticè teſtatus eſt, & talem atteſtationem profert Quaranta *in ſum. Bullar. V. Monaſteria &c.* & propter hanc declarationem, hanc partem ſequuntur Doctores innumeri; licet Suarez *diſp. 22. de cenſur. & tom. 4. de Relig.* dubitet de tali declaratione, & etiam de vi obligante talis declarationis, ſuppoſito, quod re vera de illa conſtet authenticè. Quod verò conſtitutiones Pontificię diſponant quo ad omnes mulieres, deſumitur ex cauſa finali in illis aſſignata præſertim in illa Pij V. §. 1. quæ eſt, *ne per ingreſſum mulierum quies profitentium regularem vitam perturbetur; ne dum ex magna ipſorum moleſtia, ſed etiam cum graui laicorum ſcandalo*; cum igitur hæc cauſa finalis habeat locum quo ad omnes omninò mulieres intelligendum eſt ſub illa omnes comprehendi; tanta enim eſt amplitudo legis, quanta eſt cauſæ finalis, & motiuę pro tali lege, quod habetur cõmuniter ex Iuriſtis in iure ciuili, *& ex Clementin. pr.* & ex Rota *deciſ.* 234. *n. 2. part. 2. diuerſ.* Addo, quod communis obſeruantia in hac re ipſas conſtitutiones Pontificias ſatis interpretatur, quæ etiam habet vim ex praxi Pęnitentiariæ, quæ nunc temporis etiam viget.

LEX CCXLIII.

Non permittenda ab Epiſcopis omnis furtiua introductio mulierum in clauſuras Monaſteriorum.

ADmodum cautè incedendum eſt in hac materia à Prudentia Epiſcopali, quia licet ſub diſpoſitione conſtitutionis Gregorij XIII. videantur contineri tantum prohibitiones, & pęnæ contra introducentes prætextu licentiarum, nec videatur tam clarum intentum diſpoſitionis in conſtitutione Pij V., an ſcilicet comprehendat etiam furtiuas mulierum introductiones, cum in his ceſſet ratio, & cauſa finalis adducta, quæ eſt perturbatio quietis regularis, & ſcandalum laicorum, & quæcumque lex debeat reſtringi ad terminos ſuæ rationis, etiamſi verba aliquid amplius ſignificent, vt habetur ex Iure ciuili. Attamen id ſummoperè cauendum eſt Epiſcopis, ne facilè permittant huiuſmodi furtiuas introductiones, cum plerumque poſſint fieri ad malum finem; vnde ab ipſis in hac materia tutiori doctrinæ hærendum eſt, & debent ſupponere introductiones mulierum etiam furti-

uas prohiberi, & eſſe ſub cenſuris, & pœnis poſitas à Pio V.; maximè quia ita ſeruatur in praxi Pœnitentiariæ; & ratio iſtius doctrinæ eſt, quia neque in furtiua mulierum introductione ceſſat ratio, & cauſa finalis legis Pontificiæ ind ctæ, cum verè etiam per talem introductionē perturberur maximè quies religioſa, & regularis diſciplina, & eſſet maximum ſcandalum, ſi manifeſtaretur; vnde per accidens eſt, ſi actu non cauſet, & ſufficit, quod ſit res de ſe apta ſcandalum cauſare, ſi manifeſtaretur, & ſic cum ſemper duret ratio finalis in lege contenta, durat etiam prohibitio legis, & pœna per legem impoſita. Quod verò conſtitutiones Pontificiæ non ſint tantum intelligendæ de publica mulierum introductione, ſed etiam de occulta, & furtiua demōſtrant plures Doctores apud Paſqualig. *Q. moral. Iurid.* 171. *n.* 6. aſſerentes non fuiſſe reſtrictam diſpoſitionem ad publicas tantum introductiones prætextu licentiarum, ſed illas potiſſimum fuiſſe interdictas, quia frequentes erant, & notæ ſed præter illas, Sanctiſſimos Pontifices habuiſſe intentionem alias etiam prohibendi, quod colligitur etiam ex Rota coram Merlino *deciſ.* 287. *num.* 5 *& in Romana Adminiſt.* 10. Decembris 1626. coram Decano.

LEX CCXLIIII.

Aliqua quandoque furtiua mulierum introductio in Clauſuras Monaſteriorum ab Epiſcopis permittenda.

SVppoſita etiam doctrina à Prudentia Epiſcopali, quod omnes omninò mulierum introductiones in Clauſuras ſubiaceant dictis Pontificum prohibitionibus, & pœnis, & quod eiuſmodi pœnæ non limitentur tantum pro publicis introductionibus, vel introductoribus; adſunt tamen aliqui caſus, in quibus Epiſcopi permittere, aut tolerare poſſunt occultas quaſdam introductiones, nimirum quando fiunt ex aliquo bono fine, & ex aliqua honeſta cauſa, quæ tamen ſit coniuncta cum neceſſitate, nam ſola honeſta cauſa non ſufficit, ſed requiritur neceſſitas, vt tollatur præſumptio, quæ eſt illa, quæ ſubiacet pœnis; enim verò data neceſſitate, nedum tollitur præſumptio, ſed efficitur, quod actus ſit ſecundum rationem, & ideò fiat licitus, & laudabilis; caſus autem eiuſmodi neceſſarij plures enumerantur à Doctoribus, in quibus ſtatuitur mulieres introductas furtiuas, vel vt ſubtrahantur à periculo vitæ, vel à periculo infamiæ, vel vt ſeruentur illæſæ tamquam in loco refugij, non eſſe comprehenſas in dictis Conſtitutionibus; quod præſertim tradunt præter Iuriſtas, & Canoniſtas Rodriguez *in expoſit. Conſtitut. Pij V. n.* 11. & Sanchez *l.* 7. *ſumm. cap.* 16. *num.* 11. ſi igitur cauſa honeſta iungatur cum neceſſitate, vt omninò tollatur preſumptio, & temeritas actus, quæ faciunt actum illicitum, & prohibitum, & pœnis ſubiectum, poterunt Epiſcopi in hoc caſu furtiuas mulierum introductiones pati, & non punire, facta tamen debita diligentia ſuper neceſſitate, & honeſtate introductionis, quod etiam cauetur in iure Canon. & ex Rota 1. *num.* 2. coram Caualero &c.

LEX

LEX CCXLV.

Viſitanda ab Epiſcopis illa Regularium Monaſteria, in quibus non viget Regularis Obſeruantia.

COnſtat ex Trident. *cap. 8. de refor. ſeſſ.* 21. præceptum Epiſcopis indictum viſitandi, & corrigendi illa Regularium Monaſteria, in quibus Regularis Obſeruantia à ſuo robore defecerit, quod præceptū, cum non vnanimi à Doctoribus ſenſu, & intelligentia recipiatur, operę pretium eſt pro Epiſcopis dilucidare, ac primo loco ſtatuendum eſt Epiſcopos, neque vt Apoſtolicę Sedis Delegatos, poſſe Monaſteria viſitare, vel corrigere, in quibus viget adhuc Regularis obſeruātia; hęc namque ex ipſis Concilij verbis ſatis intelliguntur excepta, & etiam ex ipſo fine legis indictæ. Dicitur autem adhuc vigere obſeruantia Regularis in illis Monaſterijs, in quibus communiter, & vt plurimum Regula obſeruatur, licet contingant aliqui defectus circa perſonas particulares, quod ſatis indicat vt ſcitè notat Paſqualig. *in controuerſ. inter Epiſcopos, & Regular.* id, quod ſubdit, Concilium ipſum, *poſſe Epiſcopos viſitare talia Monaſteria, ſi ſuperiores admoniti neglexerint ea viſitare, & corrigere*; ſupponit namque Concilium eſſe in Monaſterijs quædam corrigenda per viſitationem, quæ videntur ſpectare ad Regulam communem, non ad defectus particulares quarumdam perſonarum; ex quo colligitur, certum eſſe Regulares in hac re eſſe ſubiectos Epiſcopis tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegatis, & poſſe Epiſcopos ſemper viſitare, & corrigere Regulares, ſi id negligant ipſorum ſuperiores admoniti ab Ordinarijs locorū, vnde ſequitur, quod antequam eos viſitent, vel corrigant Epiſcopi, debet præcedere ſuperiorum admonitio, ſi negligant, ſecus ſi ſuperiores non negligant, & conſuetis temporibus viſitent, vel corrigant; & hæc verba Concilij intelligēda ſunt diſiunctiuè, etiam quoad effectum, & ideò ſufficit alteram eorum partem impleri *ex cap. Inter cæteras de reſcript.* vbi Panormit. *num.* 4. *& Decius num.* 12. ex qua doctrina infertur, ſufficere ad excuſandum ſuperiorū negligentiam, ſi viſitent, licet non corrigant, vel corrigant, tametſi non viſitent; cum præſumi poſſit, aut non eſſe neceſſariam viſitationem, vel non eſſe neceſſariam correctionem, & poſſe alijs remedijs ſuppleri à ſuperioribus ad ſeruandam in robore Regularem obſeruantiam. Ad conſtituendos autem ſuperiores Regulares reos negligentiæ, conceditur terminus ſex menſium, vnde ſi contingeret, quod ex aliquo impedimento oborto detinerētur à viſitatione, dummodò tamen eſſent parati viſitare, vel corrigere, tunc Epiſcopi deberent ſuperſedere viſitationi, & concedere ſuperioribus Regularibus tempus ſufficiens ad viſitandū, nam eorum Apoſtolica Delegatio fit tantum ad ſupplendam negligentiam dictorum ſuperiorum ex eodem Paſqualig, *loc. cit.* Neque correctio facienda per Epiſcopos poteſt Regulæ menſuram excedere, vt colligitur ex verbis Trid. neque ipſam Regulam reformare, ſed tantum defectus corrigere circa Regulam, quod notant plures Doctores cum D. Thom. *in* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 3. apud eumdem Paſqualigum.

LEX CCXLVI.

Viſitanda ab Epiſcopis omnia Altaria beneficiata.

NEmini dubium eſt, quod in viſitatione Eccleſiarum imponitur etiam onus Epiſcopis viſitandi omnia Altaria beneficiata ad id, vt dignoſcāt, certioreſque fiant de impletis beneficiorum oneribus. At in hac re patitur controuerſiam apud Doctores, an poſſit Epiſcopus in viſitatione compellere Clericos beneficiatos ad oſtendendas Bullas ſuorum beneficiorum, ſi per decennium iam ſint in pacifica illorum poſſeſſione. Nauar. *conſil.* 14. *de Offic. Ordinar.* Gomez *q.* 26. *de triennal. poſſeſſ.* Genuenſ. *in praxi cap.*21. *num.*18. & alij Doctores *in cap. Illud de præſumpt.* docent, poſſidentes pacificè beneficia per decem annos habere titulum coloratum poſſeſſionis, neque ex eo poſſe ab Epiſcopis vllo modo moleſtari; addunt tamen, poſſe Epiſcopos eos compellere ad iurandum verè habere talem titulum, & volunt hanc eſſe doctrinam communem ex Hoſtienſ. *in cap. Licet de Simonia*. Ego verò non video diſcrimen in hac re, quomodo liberum ſit Epiſcopis compellere beneficiatos ad iurandum de titulis beneficiorum, & non ſit in eorum poteſtate cogere ad exhibendum Beneficiorum Bullas cum poteſtas compellendi ad iuramētum ſit longè maior, quàm poteſtas cogendi ad exhibendas Bullas; præſertim ſi beneficia eſſent plura curata, aut incompatibilia, vel vbi Ius commune reſiſteret poſſidenti, in quo caſu ex diſpoſitione Concil. Trid. *cap.* 1. *de refor. ſeſſ.*7. & ex Textu *in cap Ordinarij de Officio ordinan. in* 6. poſſunt Epiſcopi compellere obtinentes beneficia ad exhibendas ſuas diſpenſationes; quidquid ſit an Rota 1548. die 14. Ianuarij coram Roſſanens. ſtatuerit peracto curſu decem, vel viginti annorum in pacifica poſſeſſione eſſe præſumendas ab Epiſcopis obtentas diſpenſationes ad plura illa beneficia retinenda, quamuis eiuſmodi diſpenſationes verterentur in dubium, de qua re poteſt videri Riccius *in praxi part.* 1. *fol. num.*593.

LEX CCXXXXVII.

Viſitanda ab Epiſcopis quoad Clauſuram etiam Monaſteria Monialium Regularibus ſubiecta.

QVælibet Monialium Clauſtra, & Monaſteria, licet exempta, & Regularibus ſubiecta, vel alienis Epiſcopis ſubdita, poſſe ab Ordinarijs locorum viſitari quoad Clauſuram, & quoad reliqua ad Clauſuram ſpectantia, certum eſt ex Trid. *cap.*5. *Seſſ.*25. tametſi nunquam aliàs fuerint viſitata, quod declarauit S. Congregatio Concilij 1617. die 24. Nouemb. nam eadem ratio eſt de Monaſterijs ſubiectis Regularibus, ac de ſubiectis alienis Epiſcopis; Epiſcopus enim Ciuitatis, vel Diœceſis, vbi ſunt talia Monaſteria habet in omnia æqualem Iuriſdictionem quoad pertinentia ad Clauſuram, & poteſt Cenſuris compellere reſiſtentes, immò etiam implorato brachio ſæculari vim inferre, & oſtia frangere, ſi opus fuerit; idque poſſunt agere Epiſcopi contra omnes impedientes ipſorum iuriſdictionem quoad hoc, ſiue viſitent ordinaria authoritate, ſiue delegata, quod docent expreſsè Gauant *in Manual. V. Viſitatio nu.*65 Rub. *in Aphoriſ. V. Monaſter. nu.*8 *& V. Viſitatio num.*2. Pelliz. *de Monial. cap.*10. Ceſpedes *de exempt. Regul. cap.*23. An verò

poſſint

poſſint Epiſcopi viſitare Monaſteria Monialium immediatè ſubiecta Sedi Apoſtolicæ in concernentibus ſpiritualia, videtur expreſsè ſtatutum in eodem Concil. Triden. *cap.9. Seſſ.25.* dummodo tamen id agant tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegati; non verò quoad Temporalia, quam diſtinctionem faciunt Nouac. *in Lucerna Regul. V. Viſitatio* Leyua *lib.6. cap.21.* & Ceſpedes *cap.15. de exempt. Regular.* Quid verò eſſet agendum Epiſcopis, ſi in Viſitatione recuſarentur tamq iam ſuſpecti, & fierent contra ipſos Appellationes. Videndi ſunt in hac materia Doctores *in cap. Ad noſtram, & in cap. cum ſpeciali de Appellat.* & præ cæteris Barboſ. *part. 3. Allegat.73. num.33.* qui affert declarationem Sacræ Congreg ſuper *cap. 10. de reform. Seſſ. 24. Concil. Trid.* Lancellot. tamen *de Attentatis part.2. cap.12.* docet regulariter loquendo, non eſſe admittendam Appellationem à Viſitatione Epiſcopi, neque eius geſta in Viſitatione eſſe cenſenda attentata.

LEX CCXXXXVIII.

Viſitanda ab Epiſcopis etiam Eccleſiæ exempta non tamen quomodolibet exempta.

TEneri locorum Ordinarios ſingulis annis authoritate Apoſtolica Eccleſias quaſcumque quomodolibet exemptas viſitare, illiſque in omnibus rebus, quibus indigere poſſunt, ſiue ſpiritualibus, ſiue temporalibus opportunè prouidere docuit Lauret. de Franchis *de ſubiect. Regular. Epiſcopis Summar.5.* idque ex Trid. *cap.8. de Reform. Seſſ.7.* ad illa verba *Locorum Ordinarij debent ſingulis annis viſitare Eccleſias exemptas, & prouidere, &c.* ex quibus infert Lauretus de Franchis etiam Eccleſias Regularium Viſitationi Epiſcoporum eſſe ſubiectas, aliaſque omnes Eccleſias quomodocumque exemptas. Communior tamen, & verior ſententia ea eſt, quod in hac materia diſpoſitio Concilij procedat tantum de Eccleſijs exemptis Sæcularibus, aut quibus Sæculares inſeruiunt; non verò de Eccleſijs Regularium, quod colligitur ex eo, quod in his, in quibus Concilium ſubijcit Regulares Epiſcopis, Regulares ipſos expreſsè nominat, atque de illis rebus ſpecialem mentionem facit, vt legentibus Concilium ſæpiùs patet, tum etiam ex declaratione Sacræ Congreg. Concilij facta anno 1596. die 12. Februarij apud Gallemart. *ad dictum caput Concilij 8. de refor. ſeſſ. 7.* vbi habentur hæc verba, *Sacra Congregatio Concilij cenſuit poſſe Epiſcopum viſitare quaſcumque Eccleſias Sæculares intra fines ſuæ Diæceſis exiſtentes vigore cap. 8. de refor. ſeſſ. 7. etiamſi ad Regulares pertineant, dum tamen per Sæculares eis deſeruiatur &c.* vbi notanda ſunt illa verba, *dum Sæculares inſeruiunt Eccleſijs*; ſi enim ipſis inſeruiant Regulares, non Sæculares deficit conditio, ſine qua ceſſat in Epiſcopis facultas viſitandi Eccleſias exemptas, quibus ipſi Regulares inſeruiunt, & hoc conſtat etiã ex praxi, nam Epiſcopi nunquam viſitant Eccleſias Regularium, quibus ipſi inſeruiunt. Aduertendum tamen, quod hæc doctrina amplectenda eſt pro illis Regularium Eccleſijs, quibus ipſi inſeruiunt tamquam Eccleſijs proprijs, non tamquam alienis, & aliunde ipſis Ordinarijs ſubiectis, vt euenit in Eccleſia Sacri Mõtis Varalli, cui verè inſeruiunt Regulares Reformati S. Franciſci, ſed tamquam Miniſtri aduentitij, quæ tamen Eccleſia Iure Antiquo Ordinario viſitatur ab Epiſcopis Nouarienſibus pro tempore, non obſtante illorum Regularium contradictione, qui cum habeant aliam Eccleſiam propriam in

parte

parte eiuſdem Montis inferiori, habent etiam ius alijs Regularium Eccleſijs cõmune, vt non ſubiaceant Epiſcoporum viſitationi.

LEX CCXLVIIII.

Clauſura Monialium ab Epiſcopis attentiſſimè cuſtodienda.

NIl ſtrictiùs mandant Epiſcopis Pontificiæ Conſtitutiones, Sacri Canones, & Concilia, quàm diligentem Clauſuræ Sanctimonialium cuſtodiam, atque ad hanc reſtaurandam, atque omninò inuiolatam ſeruandam, omnem Epiſcopis tribuunt Concilia facultatem, præſertim Trid. *Seſſ. vlt. de Regular.* vnde, ſi contingat, quod etiam in Monaſterijs omninò exemptis occurrat caſus reparationis, poſſunt Epiſcopi tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati omnia ea peragere, quæ expedire videbuntur, etiam contradicentibus Monaſteriorum ſuperioribus, quos poſſunt Epiſcopi pœnis, & cenſuris coercere; idque conſtat ex DecretoS.C. facto in fauorẽ Epiſcopi Colimbricenſis die 26. Maij anno 1640. quod incipit. *S. C. Concilij &c.* ſub Præfecto Cardinali Pamphilio; quod intelligitur, etiamſi aliquod Monaſterium haberet priuilegium, quod non poſſit viſitari quoad Clauſuram, niſi ſemel ab Epiſcopo, nam non obſtante tali priuilegio, ſi occurreret aliquod fortuitum, ratione cuius Monaſterium indigeret noua viſitatione quoad Clauſuram, ſemper poteſt ab Epiſcopo viſitari, vt ipſa Clauſura reparetur, ne detrimentum patiatur, omne namque priuilegium intelligitur conceſſum in fauorem, & commodum Monialium, & Monaſterij, nec poteſt operari effectum contrarium iuxta Regulas Iuris *l. Nulla Iuris ff. de legibus, & cap. quod ob gratiam de Regul. Iur. in 6.* quod tamen ſequeretur, ſi priuilegium eſſet impeditiuum nouæ viſitationis Epiſcopi vrgente Clauſuræ neceſſitate. Verum quidem eſt, quod debent Epiſcopi, quantum poſſunt, vnà cum ſuperioribus Regularibus procurare, vt Clauſura ſeruetur, quod habetur ex Conſtit. Pij V. quæ incipit *Paſtoralis, &c.* quemadmodum etiam vna cum ipſis debent impedire acceſſum, & allocutionem cum Monialibus, tàm in Sæcularibus, quàm in Regularibus, cum ex his ſaltem remotè, & plerumque proximè poſſit oriri violatio Clauſuræ; & in hoc ſemper Epiſcopi etiam ſoli poſſunt agere, & delinquentes punire; quemadmodum etiam ex Conſtitut. Gregor. XV. quæ incipit *Inſcrutabilis* poſſunt ſoli procedere contra delinquentes in alijs rebus in Moniales, vt patet ex verbis Bullæ.

LEX CCL.

Non quacumque ex cauſa Monialibus permittendus egreſſus è Monaſterio.

SIne cauſa legitima ab Epiſcopis diligenter examinanda, atque probanda, non eſt permittendus egreſſus Monialibus è ſuo Monaſterio; neque ad id permittendum ſufficit quæcumque cauſa, nam præter Trid. *Seſſ. vlt. de Regul. cap. 5.* vbi præcipit, cauſas iſtas eſſe diligenter examinandas, atque probandas ab Epiſcopis, adeſt Conſtitut. Pij V. quæ incipit *Decori &c.* vbi tres potiſſimum enumerantur, ſcilicet graue incendium, Lepra, & Epidemia, quibus cognitis, atque in ſcriptis expreſſis, poteſt Epiſcopus cum ſuperiore Regulari, ſi Moniales ſint Regulares, concedere licentiam, quæ licentia pro Mo-

Monialibus Regularibus, coniunctim, ſcilicet ab Epiſcopo, & ſuperiore concedenda eſt, vt patet ex verbis Conſtitutionis allatæ, nec ab vno altero diſſentiente poteſt concedi. Poſſe autem Epiſcopos, & ſuperiores concedere egreſſum Monialibus ob alias ſimiles cauſas, docent innumeri Doctores, quos citat Paſqualig. *in addit. ad Lauret.* vbi de hac re tractatur, non obſtante declaratione S C. Concilij Triden. ſub Card. Millino, in qua prohibetur Epiſcopis,& Superioribus eiuſmodi licentias concedere ob cauſas aliquo pacto conſimiles,aliud enim eſt, quod cauſa ſit abſolutè ſimilis, aliud eſt, quod ſit quoquomodo ſimilis, ad hanc enim non poteſt ſe extendere Conſtit. Pij V. ſicut poteſt ad ſimilem abſolutè, quæ poteſt habere eumdem finem legis finalis, & in qua lex ipſa poteſt habere locum,neque enim lex,quæ poteſt trahi ad cauſas abſolutè ſimiles, poterit trahi ad cauſas ſolum aliqualiter ſimiles, cum primæ ſint eiuſdem generis, vel ſpeciei, non ſecundæ, ſaltem quo ad finem intentum à lege,ratione cuius dicuntur cauſæ ſimiles, etiam cauſæ diſparatæ, ſcilicet diuerſi generis, & diuerſæ ſpeciei, vt ſunt inundationes, ruinæ ædificiorum,militum inuaſiones, & eiuſmodi plurès, quæ dicuntur ſemper cauſæ ſimiles formaliter ratione finis, non materialiter, quam doctrinā ſequuntur Azor. Rodriguez. Sanchez. Sot. Bonacin. Barboſ. & alij apud Paſqualig. *l. c.* Qui etiam refert plures Doctores aſſerentes, Epiſcopos poſſe concedere licentiam egrediendi Monaſterium alicui Moniali, quæ laboraret morbo graui ſibi tantum nociuo, quando intra aliquod Monaſterium ſufficienter curari non poſſet.

LEX CCLI.

Nemini permittendus ingreſſus intra ſepta Monialium abſque licentia in ſcriptis obtenta.

Sine Epiſcopi vel ſuperioris licentia in ſcriptis obtenta, ſub pœna excō-municationis ipſo facto incurrenda, decernit Trid. *Seſſ. vlt. de Regular.* nemini cuiuſcumque generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis licere ingredi Monaſteria Monialium; Quo Decreto docent communiter Doctores ex declaratione S.C.Concilij edita die 19. Iulij 1597. tribui à Concilio facultatē diſiunctiuè Epiſcopis, & ſuperioribus Regularibus pro Monaſterijs ipſis ſubiectis, & exemptis concedendi eiuſmodi licentias, cum Concilium vtatur illa particula *vel*, quæ eſt diſiunctiua; vnde inferunt aliqui pro Monaſterijs Regularibus, & exemptis,ſufficere licentiam ſuperioris Regularis, vt etiam in praxi ſeruatur, non ſufficere autem licentiam Epiſcopi, cum Declaratio S. C. Concilij dicat expreſsè, eiuſmodi licentiam eſſe concedendam, dumtaxat à ſuperioribus Regularibus. Alij tamen Doctores cum Zerol. *part. 1. prax. Epiſc. V. Moniales*, & cum Zech. *de Rep. Eccleſ. tit. de Regul. cap. 3. n. 5.* ex alio Decreto S. Congreg. Epiſcop., & Regul. Edito die 24. Auguſti Anno 1594. volunt, quod eiuſmodi licentiæ poſſint, & debeant concedi, etiam ab Epiſcopis, cum ipſis potiſſimum à Concilijs, & Conſtitutionibus Pontificijs demādetur cura Clauſuræ Monialium pro omnibus Monaſterijs vniuersè,nemine excepto; quæ doctrina ſua non caret probabilitate,& poteſt ab Epiſcopis rationabiliter ſuſtineri. Licentiæ autem eiuſmodi non ſunt concedendæ

ſine

ſine cauſis neceſſarijs, alioquin eſſent nullæ defectū poteſtatis in concedente, quæ poteſtas deficit, ſi deficiat cauſa à Concilio requiſita; ſufficit tamen, quod cauſæ ſint rationabiles, vt dicantur neceſſariæ, cum Decretum Concilij ſumat declarationem à Iure communi, in quo pro cauſa neceſſaria reputatur cauſa rationabilis, vt patet *ex cap. Periculoſo de Regular. in 6.* Quis verò debeat intelligi nomine ſuperioris quo ad Monaſteria ſubiecta Regularibus, demonſtrat praxis, eſſe intelligendum quemcumque ſuperiorem localem, qui exerceat Iuriſdictionem in Monaſterium, licet Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10.* & Peliz. *de Monial. lib. cap. 5. n. 149.* doceant nomine ſuperioris eſſe intelligendum tantum Generalem, vel Prouincialem, qui habent Iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & quoquomodo æquiparantur Epiſcopis.

LEX CCLII.

Monaſteria Monialium extra muros vrbis, vel oppidi extructa ab Epiſcopis ad vrbem, vel ad oppidum reducenda.

MAndat Trident. Epiſcopis, alijſque Monialium ſuperioribus, vt Monaſteria extra muros conſtituta inter muros reducantur, ſi ita ipſis expedire videbitur, ex quo oritur dubiū, an per Decretum Concilij tollatur omninò facultas erigendi Monaſteria extra loca, quæ non ſint ſuis mænibus munita, videtur namque ex Decreto Concilij prohibente Monaſteria clarè ſequi noua Monaſteria erigendi extra muros, pro quo dubio reſoluendo affert Barbos *lib. 2. de Iur. Eccleſ. cap. 12. num. 10*, declarationem Sac. Cong. qua prohibetur expreſsè erectio Monaſterij extra muros, cum id etiam ſaltem indirectè prohibeatur in Concilio. Tranſlatio autem Monaſteriorū, niſi noua Monaſteria erigantur, fieri debet ad Monaſteria eiuſdem Ordinis, applicando redditus Monaſterij tranſlati ad Monaſterium, ad quod transferuntur Moniales, idque refert deciſum Zerola *part. 1. prax. Epiſc. V. Monialis*, quod conſtat etiam ex Concilio, dum præſcribit transferenda eſſe ad noua, vel antiqua Monaſteria eiuſdem Ordinis intra muros. An verò poſſint transferri ab Epiſcopis quæcumque Monaſteria, etiam exempta, non eſt certum apud Doctores, nam aliqui voluēt, hoc poſſe fieri ab Epiſcopis, ſaltē ex eo quod ſint ſemper Delegati Sedis Apoſtolicæ, & id præ cæteris affirmat Vuerius, *Conſil. 15. num. 47.* licet Concilium in hac re particulari talem facultatem non expreſſerit. Alij tamen hoc negant, & prę reliquis Paſqualig. *in addit. ad Laurei.*, cum Concil. in hac re non exprimat in Epiſcopis delegationem, vt ſolet facere, quando ſubijcit Epiſcopis Monaſteria exempta, maximè quia pro Monaſterijs exemptis fit mentio in Concilio ſuorum ſuperiorum. Vtraque doctrina probabilis eſt, cum non ſit verum, quod Concilium exprimat in omnibus delegationem Sedis Apoſtolicæ, quam verè habent, cum ab intrinſeco ſint ſemper Delegati Sedis Apoſtolicæ in ijs rebus, quæ excedunt poteſtatem Ordinariam Epiſcopalem.

LEX

LEX CCLIII.

Nullæ conſuetudines in Monaſterijs Monialium ab Epiſcopis probandæ, quæ præter Regulam, vel contra Regulam ſint.

SOla regula, quam profitentur Moniales cuiuſcumque ordinis, vel certa lex perfectæ vitæ inſtituendæ ab Epiſcopali prudentia probanda eſt, atque in ſuo robore ſuſtinenda; non enim extraneas regulæ leges ſi à Monialibus eſſe introducendas, neque eſſe ab Epiſcopis admittendas, optimum ſuadet Monialium regimen, à quo maximè debent exulare nouitates, ne pariant abſurda, & confuſiones; tametſi videantur in bonum collimare. Opinati ſunt tamen non pauci, poſſe Moniales quaſdam introducere conſuetudines ab Epiſcopis probandas, quæ habeant vim legum, quibus tandem, velut regulis, obligentur; at horum doctrina non eſt facili negotio ab Epiſcopis admittenda, cum adhuc vertatur in dubium, an communitas ſpecialis Monialiũ poſſit introducere aliquam conſuetudinem, vt poſſunt facere aliæ cõmunitates populorum: habemus enim ex Iure Ciuili, & ex pluribus Iureconſultis, non poſſe introducere conſuetudinem, quę obliget per modum legis, niſi qui habent iuriſdictionem, & poteſtatem condendi leges, ſic Bartol. *conſil.* 136. Alex. *conſil.* 173. Roland. *conſil.* 5. Tiraquel. *tract. de primogenit.* & alij plures; qua doctrinâ ſuppoſitâ, cum Moniales nullam habeant iuriſdictionem, & facultatem condendi leges, cum ſint ex ſui ſtatus naturâ ſemper ſubiectę, & in omnibus ab alijs regantur, ex hoc neque videntur poſſe conſuetudines introducere obligantes ad modũ legis. Ego tamen non facilè acquieſcerem huic rationi, nimirum, quod communitas Monialium non poſſit condere leges, neque vllam habeat iuriſdictionem, ex eo quod ſit ex natura ſui ſtatus ſemper ſubiecta, & ab alijs dependens, & dirigenda, non enim militat hęc ratio in alijs communitatibus, quę habent ſimilem dependentiã, & ſubiectionem à ſuis ſuperioribus, & tamen à Iure gentium habent, quod poſſint ſaltem per conſuetudinem condere leges, vnde eſſet ſemper in hac re inuenienda, & aſſignanda diſparitas. Acquieſco tamen propter rationem melioris regiminis Monialium, quod maximè Epiſcopi debent promouere: cum enim ſit regimen ſpirituale ab alijs ex ſua naturâ dirigendum, nunquam erit bonum communitati Monialium, quod ipſa poſſit condere leges, aut conſuetudines inducere tamquam leges obligantes.

LEX CCLIIII.

Ab Epiſcopis illæ conſuetudines tantum probandæ in Monaſterijs Monialium, quæ ſint ſecundum regulam, nec faciant legem.

NIhil noui pręter ea, quę pręſcribuntur in Sacris Canonibus, aut in Monialium regulis inducendum eſt in religioſas ipſarum Monialium communitates, ſi nouum faciat inſtitutum, vel nouam legem regulę; idque maximè ab Epiſcopali prudentia cauendum eſt; at ſi quid opem ferat nutanti ipſius regulę obſeruantię, vel religioni, aut ſpiritualis regiminis, & commodi ampliationem tendat, erit illicò ab Epiſcopis probandum, tamquam bonum vtilius pro animarum ſalute amplectẽdum, non tamen ex legis neceſſitate, aut obligatione, ſed ex libertate. Vnaquęque

queque enim ſancta, & religioſa communitas poteſt pro libito ſibi viuendi formam perfectiorem ſtatuere, dummodo id non tranſeat in ſtatutum, aut legem, & Religionis regulam. Non video tamen quomodo nonnulli Epiſcopi adprobent, aut poſſint adprobare illam in electione Abbatiſſarum conſuetudinem, qua ſolent Moniales cum ſolâ maiori parte votorum ſuas Prioriſſas, vel Abbatiſſas eligere, cum in Iure Canonico cautum ſit, ad eiuſmodi electiones duas ad minimũ partes votorum debere concurrere. Nec video quomodo Barboſa *in collect. Bull. V. Monialis*, poſſit docere eſſe ſatis maiorem partem votorum, vbi talis eſt conſuetudo, eligendi, cum ex dictis eiuſmodi conſuetudines habentes vim legis non poſſint introduci in Monaſterijs Monialium, neque ſint appellandi abuſus contra Sacros Canones conſuetudines, ſic enim vbi adſunt abuſus inter Moniales, vt bacchanalia exerceant indebito more, habitu, & veſtitu, quod interdicitur expreſsè à S. Congr. Concil. *in Ferrarienſ.* 27. Aprilis 1604. poſſent vocari conſuetudines ideò ab Epiſcopis probandæ, & permittendæ, quod ſanè nefarium eſſet.

LEX CCLV.

Non permittenda ab Epiſcopis electio Abbatiſſarum, niſi per ſecreta ſuffragia.

Vbi Trident. Concilium præſcribit formam eligendi Abbatiſſas, Prioriſſas, vel Præfectas in Monaſterijs Monialium, præcipit etiam, eam eſſe faciendam per ſecreta ſuffragia, ita vt electio ſit omninò irrita, ſi non ſeruetur talis forma; quod verò nullo modo ſint publicanda eligentium nomina præter Concilium declarat etiam Sac. Congreg. apud Samuel. *de Elect. tract.* 1. *diſp.* 5. *contr.* 2. quæ in hac re non admittit, neque publicationem votorũ tactã ex ignorãtia, vel alio quocũque modo, & vult ſemper eſſe nullas electiones, ſi quocũque modo publicẽtur vota, vnde Epiſcopi non habent authoritatem cõnualidandi tales electiones, quia eorum authoritas non eſt ſupra authoritatem Concilij irritantem eiuſmodi electionem. Secretum vero ſeruandum in electionibus Abbatiſſarum nõ tollit, quin ſuffragia Monialium ore tenus ab Epiſcopis accipi poſſint, aut ab alijs Monialium Superioribus; idque refert Garzias *de benef. p.* 5. *cap.* 4. *n.* 190. declaratum à Sac. Cong. vbi addit non officere ſecreto electionis, ſi ſuffragia excipiantur tribus, vel quatuor audientibus. Quot autem vota requirantur ad validam electionem nondum ſatis declaratum eſt, licet Barboſ. *lib.* 1 *de Iure Eccleſ. cap.* 45. & Tamburin. *de Iure Abbat. diſp.* 28. *qu.* 9. aſſerant fuiſſe declaratum à S. Congreg. ſub die 29. Nouemb. 1585. quod requirantur duę partes ſuffragiorum. Certum tamen eſt de Iure communi, ſufficere maiorem partem, vt habetur *in cap. quia propter de elect.*, vnde illa declaratio cum ex Teſtimonio Paſqualig. *in addit. ad Laurez.* non ſit in forma authentica non poteſt habere vim contra Ius cõmune; vnde, ſi non obſtet cõſuetudo, vel aliud ſtatutum ſpeciale, ſemper erit ſufficiens maior pars ſuffragiorum, iuxta Rotam coram Duran. *deciſ.* 232. *num.* 3. cui reſpondet *text. cap. Indemnitatibus* §. *ſanè de elect. in* 6. Verum præ cæteris ab Epiſcopis aduertendum eſt, quod non poſſunt permittere Regularibus, vt ipſi non denuncient diem electionis, nam hoc ſtatutum eſt in Conſtit. 18. Greg. XV. quæ incipit *Inſcrutabilis*, cum debeant, vel ipſi Epiſcopi interuenire, vel per ſe ipſos, vel per alios; quapropter ſi

ſi Superiores Regulares, vel omitterent denunciare diem electionis, vel illam facerent ante tempus præfinitum, poſſent ab Epiſcopis puniri, quod habetur ex declaratione Sac. Congreg. *in reſolut. dub. circa dictam Conſtit. dub.* 15. ſi tamen deueniretur ad electionem, adhuc valida eſſet, quia non adeſt aliquod decretum irritans talem electionem, neque Moniales eſſent ſubiectæ pœnis ab Epiſcopis infligendis, cum Conſtitutio Pontificis obliget ſolum Superiores Regulares, & de ipſis dumtaxat loquatur. Vbi verò ſint ſuſcipienda vota ſecreta, decernitur à Trid. ex quo habemus, eſſe accipienda ante Cancellarum feneſtellam, niſi neceſſitas cogeret ad ingrediendum Monaſterium, in quo caſu poſſent Præſidentes electioni ingredi, cum tunc eſſet vnus ex caſibus neceſſarijs ad ingreſſum, ita docentibus pluribus Doctoribus cum Paſqualig. ad Lauret Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. Alleg.* 102. Peliz. *de Monial.* & alijs, vbi dicunt ſubintrare Conſtitutionem Gregorij XIII.

LEX CCLVI.

Non permittenda electio Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ, quæ non tangat ſuæ ætatis annum quadrageſimum.

NOn agitur hic ſingillatim de alijs qualitatibus requiſitis à Triden. ad electionem Abbatiſſarum, vel Superiorum in Monaſterijs Monialium, quia cæteræ qualitates requiſitæ non cadunt ſub quæſtionem; certum enim eſt præter ætatem quadraginta annorum requiri Prudentiã, vitæ integritatem, & ſufficientem in implendo munere idoneitatem, & quod ſaltem octo anni tranſacti ſint poſt profeſſionem, quando hæc omnia fieri poſſunt, & copulari, nam Concilium in alijs caſibus neceſſitatis aliter diſponit, atque multa relinquit arbitrio Epiſcopi, vt patet *in cap. 7. Seſſ. vlt. de Regular.* Tota difficultas eſt circa ætatem quadraginta annorum, extra caſum, in quo Abbatiſſa etiam per Concilium poteſt eligi triginta annorum; an ſcilicet ſit eligenda quadragenaria per annum completum, vel ſufficiat ad electionẽ annus quadrageſimus inceptus. Multi Doctores cum Paſqualig. *in addit. ad Lauret.* volunt requiri à Concilio annum completum, cum dicat Cõcilium, quod Abbatiſſa non ſit minor quadraginta annis; ſemper autem eſſet minor quadraginta annis, ſi annus non eſſet completus, maximè quia annus quadrageſimus non dicitur talis nomimine vnius, vel aliquot dierum, per quos incipiat. Alij tamen Doctores volunt, ſufficere annum inceptum, quẽadmodum etiam docent in Ordinibus ſuſcipiendis, & alijs eiuſmodi, quia vnaquæque dies anni quadrageſimi facit, quod Abbatiſſa ſit verè in anno quadrageſimo, præſertim cum ſimus in fauorabilibus, & fauores ſint ſemper ampliandi. Neſcio tamen quomodo Paſqualig. *l. c.* & etiam *in quaſt. Canon.* ex doctrina quorũdam afferat in eiuſmodi Eccleſiæ, & Conciliorũ Sanctionibus eſſe ſemper intelligendum annũ completum, vt quis intelligatur eſſe in illo anno; quaſi annus accipiendus ſit per modum rei indiuiſibilis, cum tamen dicat ad complementum anni ſufficere, quod quis attingat vltimum diem iuxta *l. denique §. minorem ff. de minor.*; ſi enim annus accipiendus eſt cõpletus indiuiſibiliter, non poteſt deeſſe anno neque vltimi quadrantis complementum; ſi verò annus diuiſibiliter accipiendus eſt; tàm ſufficit pro anno quadrageſimo, quod ſit in prima die,

vel primo quadrante illius, quàm quod ſit in poſtremo; ſemper enim talis annus diuiſibiliter acceptus, erit annus quadrageſimus, ſiue ſit in principio, ſiue in fine.

LEX CCLVII.

In Electione Abbatiſſæ excipienda ab Epiſcopis Monialium vota, non intra, ſed extra Clauſtra.

CVm ex Trid. *Seſſ.25. cap.7. de Regular. & ex cap. ſtatuimus* apud Nauar. Q.3. *n.*59. habeamus pro eligenda Abbatiſſa eſſe excipienda Monialium vota extra Clauſtra Monaſterij ad feneſtellam ante cancella, Epiſcoporum, vel Prelatorum Regularium nemo poterit ad eadem excipienda ingredi Monaſterium, aut Clauſuræ Septa; quod tamen communiter à Doctoribus limitatur, niſi adſit aliqua vrgens cauſa ingrediendi Monaſterij, quæ ſit ſufficiens, vt ceſſare faciat diſpoſitionem Concilij, & vbi habeat locũ Epicheya, nimirum, quod talis caſus ſub lege non comprehendatur, & quod Legiſlator ita voluiſſet, ſi caſum præuidiſſet; vnde hoc erit à Prælatis iudicandum prudenter ſecundum regulas eiuſdem Epicheyæ, de qua agunt DD. in materia de legibus. Cauſa verò ſufficiens exiſtimatur ſuſpicio, & timor ſubornationis votorum, at non quicumque timor, ſed valdè fundatus, & benè examinatus, vel alia eiuſmodi cauſa arbitrio Prælatorum prudentiſſimè iudicanda. Si verò contingat cauſa neceſſaria ingrediendi, tunc Epiſcopus, vel Prælatus non poterit niſi illos introducere, qui ſunt neceſſarij ad illum actum. Hic verò ſuboritur dubium à quonam Superiore ſit probãda eiuſmodi cauſa, cum Abbatiſſæ electioni præſunt pro Monialibus ſubiectis Regularibus Epiſcopus, & Prælatus Regularis. Paſqualig. *in addit. ad Lauret. qu.*9. vult cauſam ſufficientem neceſſariam pro ingreſſu ad Monaſterium eſſe probandam, & iudicandam à ſolo Superiore Regulari, cuius proprium munus eſt vota recipere pro eligenda Abbatiſſa ſibi ſubdita, idque tradit ex quadam declaratione S. C. Concilij Trid. edita die 10. Septembr. 1639. At ego putarem, in hac re non eſſe præferendum iudicium Superioris Regularis iudicio Epiſcopi, cum agatur de Clauſura, ſupra quàm ſemper habet Epiſcopus maiorem authoritatem, & Iuriſdictionem, quam Superior Regularis; & circa ingreſſum in Monaſterium exceptio votorũm materialiter ſe habet ad Clauſuræ violationem, quæ in hoc caſu principaliter attendenda eſt, licet fiat ex dicta cauſa. Epiſcopi namque, tamquam Delegati Apoſtolicæ Sedis poſſunt punire etiam ipſos Regulares Superiores, ſi ingrederentur Monaſteria ſine debita cauſa, quod eſt ſignum maioris poteſtatis ſupra Clauſuram.

LEX CCLVIII.

Non approbanda ab Epiſcopis, neque confirmanda electio Abbatiſſæ, niſi facta à duabus partibus votorum, vel ſaltem à maiori parte.

EX Doctrina, quam afferunt Doctores de confirmatione Abbatiſſæ facienda à Superioribus Monaſterij, colligitur, quid ſit dicendum de valida eiuſdem Abbatiſſæ electione quoad numerum votorum, nam tradunt cõmuniter eſſe confirmandam, ſiue ſit electa à duplici parte Monialium, ſiue à maiori parte, dummodo reliqua interueniant requiſita. Id prælertim affirmat

mat Paſqualigus *in addit. qu.8.* vnde ſequitur, electam à minori parte nullo modo eſſe admittendam, neque ipſi concedendam Monaſterij adminiſtrationem; videtur namque tota hæc doctrina fundata *in c. de indemnit. §. porrò & §. Verum de elect. in* 6. multis autem in locis id obſeruatũ eſt in praxi, quod illa Monialis habetur pro legitimè electa, quæ tametſi non habeat duas partes votorum, vel maiorem partem, dummodò tamen inter alias Moniales concurrentes ipſa reliquas excedat in numero votorum, quod an ſit ritè permiſſum à Superioribus, nolo hic inueſtigare, cum vnuſquiſque teneatur ſcire, quæ ſui muneris ſunt, & officij, vt ſcitè docet Doctor Angelicus. Illi Doctores, qui requirunt duas partes ſuffragiorũ pro valida Abbatiſſæ electione inter quos eſt Barboſ. *de Iure Eccleſ. l.1. cap.45. nu.27.* & Tamburin. *de Iure Abbatiſſ. diſp.28. qu.9.* fundantur in quodam Reſcripto S. Cong. die 20. Nouemb. 1585. quod factum eſt Epiſcopo Aſſiſienſi, quod reſcriptum refertur à Paulino Betto *in prax. Crimin. titul.4.* Alij verò, qui dicunt ſufficere maiorem partem votorum, habito reſpectu ad totum Capitulum, inter quos ſunt Miranda *de Monialib. qu.7. art.4.* Pellizzar. *cap.10.* & alij plures fundantur in Iure communi *ex cap. Quia propter de elect. & ex cap. Dudum cum cæteris de electionibus in 6. & ex cap. de indemnitatibus §. Verum de elect.* & tandem ex Rota coràm Durano *deciſ.232. nu. 34. & in Ilerdenſi electionis Prioriſſæ* 2. Iunij 1636. coram Roias, vbi habetur, ad veram electionem canonicam ſufficere maiorem partem votorum, & hæc doctrina videtur pro praxi probabilior, cum tollat maiores difficultates in electionibus, quæ paſſim contingunt.

LEX CCLIX.

Ab Epiſcopis non permittenda electio Monialis in Abbatiſſam, quæ non habeat annos quadraginta ætatis, & profeſſionis octo, vel ſaltem annos triginta ætatis, & profeſſionis quinque.

EX Trid. *Seſſ.25. cap.7. de refor. Regular.* præter illa, quæ habentur in iure Canonico *in cap. de indemnit. de elect. lib.6.* habemus, quod Abbatiſſa, ſeu Præfecta Monaſterij Monialium debet eligi non minor annis quadraginta, & quæ per octo annos poſt emiſſam profeſſionem laudabiliter vixerit; & ſi tantæ ætatis, & profeſſionis Monialis non inueniatur in illo Monaſterio, vel eligatur ex alio Monaſterio eiuſdem Ordinis, ſi id commodè fieri poteſt, vel eligatur vna in eodem Monaſterio, quæ ſaltem attingat ætatis annos triginta, & profeſſionis annos quinque, vbi aduertit Suarez *tom.4. de Relig. tract. 8. lib.2. cap 6.* ex quadam declaratione Sac. Congreg. annos profeſſionis non eſſe tàm neceſſarios ad electionem Abbatiſſę, quàm neceſſaria ſit conditio ætatis, ſiue quadraginta, ſiue triginta annorum, vnde deducunt aliqui DD. poſſe Monialem eligi in Abbatiſſam ex neceſſitate, etiamſi ſit ætatis triginta annorũ, licet non impleuerit quinquãnium Religionis per profeſſionem, quæ tamen ſemper debet eſſe expreſſè facta; & ratio eſt, quia ad regimen aliorum magis confert ætatis maturitas, quę regulariter indicat maiorem prudentiam, quàm antiquitas profeſſionis; ex quo deducunt, facilius eſſe diſpenſabile tempus Religionis requiſitum à Concilio, quàm tempus ætatis, pro cuius diſpenſatione ſemper maior cauſa

ſa requiritur. Quinimmò refert idem Suarez, adeſſe aliam declarationem S. C. apud Gallemart. *in Collectam. ad Trid.* ex quo habetur, quod ſi deficiat Monialis habens maturiorem ætatem, & profeſſionem, poſſe eligi in Abbatiſſam Monialem iuniorem, ſcilicet habentē triginta annos, licet non habeat quinquennium Religionis. Tutius tamē erit in eiuſmodi electionibus ſeruare formam à Tridentino præſcriptam; maximè quia illa declaratio S. Congr. fuit pro caſu particulari, qui non poteſt facere legem vniuerſalem, & conditiones requiſitæ à Trid. pro eligenda Abbatiſſa minus clarè exprimuntur, nec poſſunt per doctrinam aliquam ſpeculatiuam inuerti; quidquid dicat Tamburin. *de iure Abbatiſſ. diſp.* 28. *q.* 2. *num.* 8. dum enim pro eligenda Abbatiſſa præſcribuntur qualitates à lege conciliari, Monialis illis carens nunquam erit eligibilis, & in caſu quo nulla eſſet eligibilis ipſarum defectu, recurrendum eſſet ad S. Congr. Vnde ſequitur ex eodem Concil. ſemper præferendam eſſe Monialem ſeniorem ætate, & profeſſione, illi, quæ tantum trigenaria eſſet cum quinque annis Religionis, ſi tamen non eſſet prorſus inhabilis, & licet vna tantum exiſteret in Monaſterio habens qualitates requiſitas à Concilio, illa ſemper eſſet eligibilis, nec extra Monaſterium eiuſdē ordinis quærenda eſſet, neque ex hoc redderetur electio inualida, vtpotè non libera, & coarctata, quod notat Tamburin. *l. c.* nam ſufficit ad libertatem electionis, quod eligatur habilis præ alijs, &c.

LEX CCLX.

Pro eligenda Abbatiſſa, neque tempus ætatis, neque tempus profeſſionis præſcriptum à Trid. diſpenſandum ab Epiſcopis.

DOctrina communis eſt, legem quamcumque ſuperioris indiſpēſabilē eſſe ab Inferiori, quantumuis etiā ſuperioris lex Epicheyam, & interpretationem patiatur ab Inferiori, & hæc doctrina ſuſtinenda eſt etiam in re propoſita; ſolus enim ſummus Pontifex ex cauſa poteſt ſupra Concilium diſpēſare; ex quo ſequitur, legem à Concilio Trident. præſcriptam, quod Abbatiſſæ ſint tantæ ætatis, & tantæ Religionis non poſſe ab Epiſcopis diſpenſari, niſi ad ſummum ex tacità aliqua Summi Pontificis conceſſione, quæ tamen non ità facilè ſupponi poteſt in re propoſita, adeſt namque declaratio S.C. *in Viterbienſi S. Rota* 25. Martij 1623. pro Epiſcopis, quod ſi deficeret etiam vnus menſis ab ætate præſcripta pro eligenda in Abbatiſſam Moniali, neque in hoc caſu poſſet diſpenſari, quia ſemper deficeret vna, ex qualitatibus præſcriptis à Trid. ſuper qua non poſſet diſpenſari, ità ſentientibus cum Paſqualig. *in addit. q.* 1. Lauor. Tamburin. & alijs &c. Si verò expediret pro Monaſterio, aliquam eligere non habentem qualitates præſcriptas, pro diſpenſatione ex cauſa facienda, recurrendum eſſet ad S. C. Ex qua doctrina deducitur, Monialem carentem debita ætate, vel tempore profeſſionis, neque poſſe eligi in Vicariam, ſi Vicaria munus gerat Abbatiſſæ, vt regiminis caput, ſic enim iniuria, & fraus irrogaretur legi aliter iubenti, cuius diſpoſitio ſemper attendenda eſt in ordine ad munus obeundum, non in ordine ad nomen obti-

obtinendum. Si tamen aliqua ſuboriretur difficultas, ex qua neceſſariò eſſet protrahenda per aliquod tempus Abbatiſſæ electio, aut eſſet S. C. conſulenda, poſſet pro interim aliqua eligi in Vicariam, quæ pro aliquo tempore regimini adſtaret; ſemper enim intelligeretur ipſi impoſitum onus per modum tranſeuntis, quod non vitiat electionem. Quid vero ſit agendum Epiſcopis in electione Abbatiſſarum Regularium, hoc ſtatuitur in Conſt. Gregor. XV. quæ incipit *Inſcrutabilis &c.* cum enim poſſit eſſe difficultas, an Epiſcopi in talibus electionibus habeant merum Ius præſidendi, ſeu intereſſendi cum ſuperioribus Regularibus, neque ſpectet ad ipſos aliud agere, tametſi in commodum Monaſterij Abbatiſſa ex alio Monaſterio petenda eſſet, in hoc caſu ſemper eſt conſulenda S.C. cum nihil ſit Iuris minuendum ſuperioribus Regularibus, & multò minùs Epiſcopis. Qualitates reliquæ, quæ requiruntur in Moniali, vt eligi poſſit in Abbatiſſam, referuntur communiter à Doctoribus, nimirum, quod ſit honeſta, obſeruatrix regulæ, diſcreta, prudens, & omni morum integritate prædita, ſi enim haberet qualitates cōtrarias, non poſſet eligi, immò electa deberet deponi, ſi graue incommodum oriretur Monaſterio, quod habetur *ex cap. ſi quis Abbas* 18. *q.* 1. cum, & notat Maiol. *de Irregular. l.* 1. *c.* 29 cum Tamburin. *de Iure Abbatiſſ. diſp.* 28. cum ſit ſemper ad regimen Monaſterij admouenda Monialis, atque in regimine detinenda, quæ promoueat, non deſtruat commune bonum Monaſterij &c.

LEX CCLXI.

Moniales illegitimæ in Abbatiſſam non admittendæ abſque diſpenſatione.

POſſe Moniales illegitimas ſine diſpenſatione ab Epiſcopis admitti in Abbatiſſas, tradunt multi Doctores apud Paſqualig. *in addit. ad Laures. q.* 1. aſſerentes: Sic deciſum fuiſſe, & declaratum à S.C. die 4. Octobris 1594. vbi habetur Moniales illegitimas non comprehendi ſub Conſt. Sixti V. de Illegitimis quoad dignitates. At communior Sententia tenet, non poſſe illegitimas eligi in Abbatiſſas ſine diſpēſatione, quam ſequuntur Doctores, & Canoniſtæ ſupra viginti quinque apud eumdem Paſqualig. *l. c.* vbi etiam dicitur: Sic declaratum fuiſſe à S. C. die 27. Aprilis 1630. vbi verò afferuntur declarationes S. C. inuicem aduerſantes, & contrariæ *ait Paſqualig.* aut nemini ſtandum eſt, cum ſatis de ipſis non conſtet, aut illa eſt amplectenda, quæ magis rationi, & Iuris diſpoſitioni fauet, qualis eſt poſterior allata. Concluditur autem ex principijs certis apud Iuriſtas omnes, quod Monialis illegitima non poſſit eligi in Abbatiſſam, cum ſit regula vniuerſalis in Iure, quod maſculinum concipit fœmininū, quæ ſemper valet in materia indifferenti, quando ratio differentiæ aſſignari non poteſt, *ex l. ſiquis ff. de Iuriſdict.* ex qua regula ſequitur, quod diſpoſitum pro vno, intelligatur diſpoſitum etiam pro alio; & ſic quod eſt diſpoſitum de maſculis quoad illegitimitatē, intelligatur etiam de fœminis pro dignitatibus aſſequendis; ſi ut enim in vtriſque defectus natalium eſt idem, ita ratio debet eſſe eadem quoad habilitatem &c. cum ergo tàm ex Iure Ciuili,

uili, quàm ex Iure Canonico arceantur illegitimi indifferenter à dignitatibus, vt patet ex dictis, & *ex cap. fin. de filijs Presbyt.* neque fœminæ Moniales tali notâ ſignatæ poterunt in Abbatiſſas admitti ab Epiſcopis, neque ab alijs Prælatis Regularibus Ordinarijs; quidquid ſit, an eiuſmodi Prælati Regulares ratione ſuorum Priuilegiorum poſſint in hac re diſpenſare, quod tenent Peierin. *q. 2. de Prælat. cap. 4. n.* 145. & Tamb. *de Iure Abbatiſſ. diſp.* 28. *q.* 2. Textus autem Ciuiles, & Canonici de non admittendis ad dignitates infamia, vel Iuris, vel facti notatis, itidem intelligendi ſunt indifferenter de vtroque ſexu, cum ſit eadem ratio de vtriſque, vt ſuprà dictum eſt. Atque idem iudiciũ ferendum eſt de deſcendentibus ex maculato genere intra quartum gradum, nempe ex Iudæis, Saracenis, Hæreticis damnatis, & huiuſmodi; quamuis enim nulla extet prohibitio de Iure communi, vt obſeruat Miranda, *tom. 2. Manual. q.* 1. *art.* 1. adeſt tamen prohibitio per Conſtit. Pauli IV. ſub die 24. April. 1558. quæ etiam fuit innouata à Greg. XIII. 1574. in Conſt. quæ incipit, *Conſueuit*; vbi habetur, deſcendentes omnes ex Iudæis, & Hæreticis, damnatis, & combuſtis vſque ad quartum gradum non poſſe eligi ad officia, & dignitates, quam prohibitionem puto æque valere pro viris, ac pro fœminis ratione ſuprà poſita, quidquid dicant Miranda, & Tamburin. in locis iam allatis.

LEX CCLXII.

Non permittendæ ab Epiſcopis electiones Abbatiſſarum, quæ fiant vltrà triennium.

EX Bulla Greg. XIII. ſtatuitur, vt Abbatiſſæ, & aliæ Monaſteriorũ Præfectæ non eligantur vltra trienniũ, & ita ſeruatur in praxi in Italia, ex quo ſequitur, quod ſtante ſupradicta Gregorij Conſtit. electiones Abbatiſſarũ, ſi fiant vltra triennium, ſint omninò nullæ, quod notant Nouar. *in Sum. Bullar. V. Abbatiſſa num.* 1. & Tamburin. *de Iure Abbatiſſ. diſp.* 30. *q.* 1. *n.* 30. vbi enim adeſt decretum irritans ſi fiant electiones vltrà triennium, adeſt etiam irritatio validitatis pro ipſo triennio, cum tota electio annulletur, & nulla ratione ſubſiſtat. Talis autẽ prohibitio habet locum pro omnibus Monaſterijs, licet ſint militiarum, etiam Sancti Io: Hieroſolimitani; ità enim declarauit S.C. de mente Clementis Octaui die 22. Maij 1604. apud Lauor. *in var. lucub. titul.* 4. *cap.* 24. An verò locum habeat in alijs locis, vbi mulieres, vel oblatæ, vel Vrſulinæ, vel quocumque alio nomine collegialiter viuunt, quæ non ſunt verè Religioſæ, cum tria ſubſtantialia vota non emittant, duplex eſt Doctorum opinio, nam Rodriquez, Tamburin. & alij volunt, Conſtitutionem illam ſolum eſſe intelligendam de ijs, quæ ſunt verè Moniales, vt ſunt illæ Sancti Benedicti, Ciſterſienſes, & Carthuſienſes, & id genus aliæ, in alijs Ordinibus vitam Clauſtralem traducentes. Alij tamen volunt, comprehendi omnes mulierum Congregationes, in quibus fiat electio ſuperioriſſæ, & id colligunt *ex cap. Indemnitatibus de elect. in* 6. vbi videtur hæc lex extendi ad omnes omninò mulierum Congregationes, in quibus fiat Præfectarum electio, & addit Paſqualig. *in addit. ad Lauret. q.* 3. idem eſſe de Iure communi. Ego tamen puto in illa Conſtitutione, verè ſolas Moniales comprehendi, nam in Veneta ditione, vbi ſunt plures fœminarum conuentus, ego obſeruaui eiuſmodi Matres Gubernatrices,

ces, & Præfectas eſſe perpetuas, quod etiam reperi in hoc meo inſigni Epiſcopatu Nouarienſi, in aliquibus Vrſulinarum Collegijs, quam tamen conſuetudinem ego, præſertim in oppido Galliatenſi, abrogaui ſub aliorum exẽplis; cum in omni regimine quoquommodo Epiſcopis ſubiecto debeant rectrices ad normam Sacrorum Canonũ eligi, niſi oppoſitum ex ſpeciali Iure ipſis concedatur. Aduertendum eſt tamen, quod licet Abbatiſſæ eligi non poſſint vltrà triennium, non tamen præcipitur, quod ſemper eligantur ad triennium, cum poſſint eligi ad annũ, & ad biennium, prout melius expedire videbitur, etiam data quacumque conſuetudine electionis triennalis, idque colligitur ex Conſtit. Leonis X. cum ſemper ab habentibus Iuriſdictionem id ſpectandum ſit, quod inducit ad perfectius regimen communitatis. Ex pleto autem integro triennio non poteſt eadem Abbatiſſa reeligi ſine diſpẽſatione Sedis Apoſtolicæ, ſed debet per aliud triennium vacare, ſic iubente Gregor. XIII. in Conſtit. ſupra memorata.

LEX CCLXIII.

Ad habitum Religionis non admittendæ ab Epiſcopis Puellæ ante duodecim annos.

CErtant Doctores in hac re de mente Concilij Trid. aliqui enim volunt, non eſſe admittendas Puellas ad habitum Religionis antè duodecim annos, & hoc ex mente Concilij, & S. C. in quodam reſcriptò. Alij verò affirmant, eſſe admittendas, cum in hac re nihil Concilium decernat, ſed tantum mandet Epiſcopis, ne explorent voluntatem puellarum antè annũ duodecimum, cum *ex cap. Addidiſtis q.* 1. olim mos eſſet offerendi Puellas Monaſterijs etiam antè annos pubertatis, & Io: Medin *lib.4. de continent. controuerſ.* 9. *cap.* 4. qui interfuit Concilio, quando de hac re agebatur, affirmat, nihil de ætate à Concilio decretum fuiſſe. Verior tamen doctrina eſt antè annum duodecimum, non poſſe ab Epiſcopis admitti Puellas ad habitum Religionis; ſi enim Concilium hunc annum decernit expreſsè pro exploratione voluntatis, quæ ſemper exploratur antè habitum ſuſcipiendum, ſequitur etiam fuiſſe Concilij mentem, quod non admittantur Puellæ ad habitum, niſi ſint maiores duodecim annis; ideò enim in tali ætate ſolummodo eſt exploranda voluntas, quia in illa tantum ſupponuntur Puellæ habere propriam electionem, quæ ſanè dirigitur ad ſuſceptionem habitus. An verò etiam nunc temporis, ſicut olim eſt in more poſitum, poſſint offerri Puellæ à parentibus ad ſeruiendum Monaſterijs in habitu Religionis, licet hoc affirmet Sanchez *lib.*4. *Summ. cap.*18. Paſqualig. relinquit indeciſum in *addit. ad Lauret.* Sed, cum nunc temporis obſtet praxis in contrarium, libentiùs ego dicerem, non poſſe. An verò ſint Puellarum voluntates explorandæ neceſſariò antè habitus ſuſceptionem, cum poſſit ſufficere illa, quæ fit antè profeſſionem, videtur eſſe ſimpliciter affirmandum, cum ex Cõcilio duplex exploratio voluntatis iniũgatur Epiſcopis, vel Vicarijs Epiſcoporum, niſi adeſſet conſuetudo in contrarium; vt contingit in Hiſpania ex teſtimonio plurium Doctorum, vbi ſemel tantum ſolet voluntas Puellæ explorari, & praxis in contrarium poteſt quamcumque legem abrogare *ex cap. fin. de conſuet.* Si tamen, vbi vtraque exploratio voluntatis eſt in vſu, contingat ex aliquo caſu primam omitti in ordi-

ne ad habitum, ſufficiet ſecunda in ordine ad profeſſionem, & hoc referunt Doctores communiter deciſum à Sacra Congreg. quod præſertim teſtatur Barboſ. *de poteſt. Epiſc. Allegat.* 100. *n.* 4.

LEX CCLXIIII.

Exploranda voluntates Puellarum ab Epiſcopis antè ſuſceptionem habitus, & antè profeſſionem.

DVplicem voluntatis explorationẽ eſſe Epiſcopis iniunctam à Trid. & etiam à S. eiuſdem Concilij Congregatione, nemini dubium eſt; idque agendum eſſe non ſolum in Monaſterijs ſubditis, ſed etiam in exemptis, certum eſt; nam *in collectan.* ex Bellarmin. in hunc locum habentur hæc verba *Epiſcopus examinet, & exploret puellas, etiamſi ſint in Monaſterijs exemptis, & ſub pœna cogat ſuperiores &c.* & quoad Moniales exemptas id decernit etiam Pius V. in ſua Conſtit. I. vt extat *in Bullar.* quam refert etiam Rodriguez *num.* 18. Debent autem in exploranda voluntate illæ tantum fieri interrogationes, quas præſcribit Trid. ad hoc tantum, vt dignoſcatur, ne puellæ ſint ſeductæ, aut quoquomodo actæ, reliquis omiſſis interrogationibus, quæ ad rem non pertinent, quæ ideò in Bulla Pij V. prohibentur. Nec debent Epiſcopi, aut Vicarij ad explorandam puellæ voluntatem ingredi ſepta Monaſterij, cum id etiam expreſſè prohibeatur in eadẽ Bulla, quæ decernit eſſe faciendas interrogationes ad cratem ferream, licet doceat Tambur. *de Iure Abbatum diſp.* 4. *q.* 2. *num.* 6. poſſe ex iuſta cauſa puellam profeſſuram educi è Clauſtris Monialium, & perduci in Eccleſiam exteriorem, præſertim ſi intra Clauſtra adeſſet ſuſpicio, vel periculum ſubornationis. In caſu autem, quod in exploratione non inueniretur puella ſibi conſtans, tenentur Epiſcopi, vel Vicarij terminum pręfigere quindecim, vel viginti dierum, in quo deliberet, quid ſibi agendum ſit, quo elapso, Epiſcopus admittat, vel non admittat ad habitũ, & profeſſionem, vt habetur apud Cãpanil. *in diuer. Iur. Rubric.* 12. *cap.* 16. Barboſ. *de Poteſt Epiſc. alleg.* 108. *num.* 12. Tamburin. *diſp.* 4. *q.* 2. *num.* 10. & alios. Si verò Epiſcopi, vel Vicarij omitterẽt explorationes eiuſmodi, peccarent mortaliter, quia agerent contra præceptum rei grauis indictum à Concilio; non proinde tamen eſſet irrita puellæ profeſſio, quia in Concilio non ponitur decretum irritans, & deberet poni, vt aſſerit Paſqualig. *in addit. ad Lauret* cum Rodriquez, Sanchez, Barboſ. Tambur. & alijs. Tenentur autem præfectæ Monaſterij antè menſem profeſſionis certiorem facere Epiſcopum de tempore profeſſionis, adhoc, vt Epiſcopus exploret voluntates earum, quæ ſunt profeſſuræ, & ſi id omitterent, pœnam ſuſpenſionis ab officio ſtatim incurrunt, ad arbitrium tamen Epiſcopi relaxandam.

LEX CCLXV.

Adhibenda ab Epiſcopis diligentia, vt Moniales ſingulis menſibus confeſſionem faciant ſuorum peccatorum, & Sacroſanctam Eucharyſtiam ſumant.

EX verbis Concilij *cap.* 10. *ſeſſ. vlt. de Regul.* in quibus hæc diligens attẽtio demandatur Epiſcopis, oritur quæſtio inter Doctores, an Decretum Cõcilij contineat præceptum pro Monialibus, an verò tantum conſilium confitendi ſingulis menſibus; plerique enim

enim volunt continere præceptum cũ Nauar. *in Manual. cap.* 21. alij verò non, cum Pelliz. Tamburin. & alijs. At hanc quæſtionem ſine fundamento agitari puto ego, cum mandatum Cõcilij ſit ad Epiſcopos, vt id curent, non ad Moniales, vt id agant. Deinde mandatum Concilij ad Epiſcopos circa hoc in eo conſiſtit, vt admoneant Moniales, non vt præcipiant; eſt enim maximum diſcrimen inter monitum, & præceptum; quapropter dicendum eſt ad ſummum ex præcepto Concilij, teneri Epiſcopos per ſe ipſos, vel per Cõfeſſores, vt ſingulis menſibus confiteantur peccata ſua, atque Euchariſtiam ſumant; neque enim diſponit Concilium de tempore, in quo Moniales debeant confiteri, & Euchariſtiam ſumere, ſed ſolum, quod in earum Conſtitutionibus de hoc admoneantur pro ſingulis menſibus, vt patet ex verbis Concilij, quæ videntur tantum obligare Epiſcopos, alioſque Confeſſores, vt hanc admonitionem faciant inſerere in Monialium Conſtitutionibus, vnde colligitur tantum Moniales eſſe monendas ex vi Conſtitutionum de hac re, non verò, quod ipſæ Moniales habeant præceptum de confeſſione, & communione ſingulis menſibus. Optimè tamen conſultum erit ipſis Monialibus, ſi id agant, cum maximè id ſpectet ad vitam religioſam, quam profitentur, & ad incrementum perfectionis, ad quod tenentur; nec debent Confeſſores in hac re tanti ponderis eſſe nimis indulgentes, vel negligentes, ità tamen, vt ſemper maximè curent, ne ſacrilegè talia Sacramenta ſuſcipiant. An verò poſſint Epiſcopi indulgere Monialibus, vt Euchariſtiam ſeruent in Eccleſia interiori, vel intra ſepta Monaſterij, videtur id omninò negandum, tum ex Concilio Trid. *cap.* 10. *de Regul.* vbi hoc prohibet Monialibus, non obſtante quocumque indulto, & priuilegio; tum ex S.C. quę *in collect.* ad hunc locum ait; *Euchariſtiam nullo modo in Choro Monialium, ſed in exteriori Eccleſia eſſe ſeruandam*, quidquid dicat in contrarium Rodriguez *tom.* 1. *q. Regul. q.* 68. *art.* 4. vbi ex priuilegio Clementis VII. conceſſo Monialibus fratrum Minorũ docet, poſſe Euchariſtiam aſſeruari in Eccleſia interiori in loco decenti, quod tamen eſt contra praxim.

LEX CCLXVI.

Bis, vel ter in anno indulgendum Monialibus, vt poſſint confiteri peccata ſua confeſſori extraordinario.

HOc in leuamen conſcientiæ concedendum eſt ab Epiſcopis cuicumque Monaſterio Monialium, ſic præcipiente Trident. vbi agitur de hac materia; & quod tenentur facere Epiſcopi cum Monialibus ſibi ſubiectis, tenentur facere etiam ſuperiores Regulares cum ſuis Monialibus, ità tamen, vt etiam Confeſſores Regulares extraordinarij à ſuis ſuperioribus electi approbentur ab Epiſcopis, quod declarauit S. C. reſoluens dubia ſupra Conſtitutionem Gregorij XV. Non poſſunt autem Epiſcopi, niſi iuſta de cauſa Cõfeſſores Regulares præſentatos à ſuis ſuperioribus reprobare, quæ tamen cauſa ſufficit, quod ſit cognita ipſi Epiſcopo. Poſſunt tamen Epiſcopi deputare Confeſſores extraordinarios pro Monialibus cuiuſcumque Ordinis ſint, dummodò pro Monialibus ſint approbati, quemadmodum etiam id facere poſſunt ſuperiores Regulares, qui tamen ex declaratione S. C. non tenentur deputare Confeſſarios alterius Ordinis, vt quidam olim exiſtimarunt;

atque eiuſmodi Confeſsores extraordinarij ex Trid. non ſunt deputandi, nec pro vna, nec pro aliquibus tantum Monialibus, ſed pro omnibus, licet non teneantur omnes ſua peccata confiteri ipſis deputatis; hoc enim non eſt ſub præcepto, cum talis deputatio præcipiatur in fauorem Monialium, & ipſæ pro libito poſsunt vti tali fauore, quod notauit Felin. *in cap. nam concupiſcentiam n.8.limit.2. de Conſtit.* & Tuſchas *litera D. concluſ.* 262. Confeſſarij igitur erunt deputandi pro omnibus, ſi ipſæ velint confiteri, ex præceptò tamen S. C. tenentur omnes Moniales ſe præſentare coram extraordinario, ne poſſit diſcerni, quænam ſint, quæ illo indigeant.

LEX CCLXVII.

Haud quaquam permittendum ab Epiſcopis quod in tranſitu Monialium ab vno in aliud Monaſterium tranſferantur Dotes.

EPiſcopalis Prudentia, quam decet eſſe optimam Monialium curatricem, haud facilè pati debet, quod Moniales tranſeuntes ab vno ad aliud Monaſterium, aut ex Sum. Pontificis indulto, aut alia quacumque cauſa ſecum deferant ſuas Dotes, ſiuè Monaſterium ſit eiuſdem ordinis, ſiuè diuerſi; dummodò tamen volũtariè tranſeant, & recipiantur; ſi enim coactè, aliter differendum eſſet, vt infra patebit. Ita præter Doctores multos apud Paſqualig. *qu.*32. *Moral. Iurid.* videtur ſenſiſſe Sacra Congregatio *in vna Neapolitana* ſub die 20. Iulij 1583. *& in vna Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum* ſub die 3. Auguſti 1635. Ratio doctrinæ eſt, quia Moniales profitentes in aliquo Monaſterio transferunt omnia ſua Iura in illud Monaſterium, in quo profitentur, *iuxta Authent. Ingreſſ. cap. Sacroſanct. Eccleſ.* vbi idem docent communiter Doctores. Si ergò transferunt omnia iura, transferunt etiam ius, quod habent ad propriam dotem, & id in virtute profeſſionis emiſſæ, & voti paupertatis, quod nihil proprij relinquit; Vnde fit, quod dos omnis, vt de Iure Monaſterij, ſit connumeranda inter cœtera bona inalienabilia. Nec obſtat, quod dotes recipiãtur à Monaſterijs pro alimentis Monialium, & ideo quod ſint eò deferendæ, vbi Moniales ipſæ ſint alendæ; non inquam hoc obſtat, quia licet à Monaſterijs recipiantur dotes, vt habeant redditus, vnde alere queant Moniales, non tamen recipiuntur cum onere alendi ex hoc, ſcilicet ex receptione dotis, quæ non infert, neque affert hoc onus Monaſterijs, cum Monaſteria habeant hoc onus præcisè, ex eo, quod concedant Monialibus, vt faciant in ipſis profeſſionem, qua poſita, ſicuti Moniales ſe conſtituunt ſub dominio Monaſterij, vel tamquã filiæ, vel tamquam ſeruæ, quæ habent ius ad alimenta, vt patet ex Iure ciuili; ita Monaſteria ipſa ex hoc capite tantum tenentur alere Moniales, quod patet etiam in Monaſterijs Religioſorum, qui licet nihil ſoluant Monaſterijs, ex obligatione tamen ab ipſis alendi ſunt.

LEX CCLXVIII.

Permittenda ab Epiſcopis tranſlatio dotis cum Moniali, quando Monialis ad inſtantiam primi Monaſterij tranſit ad ſecundum.

EIuſmodi tranſlationibus tàm pro Monialibus, quàm pro dotibus aſſenſum præbere debet Epiſcopalis Pru-

Prudentia ſolum ex vrgentiſſima cauſa, & ex Indulto Pontificio pro dotis translatione, atque alienatione; hæc enim, cum ſit bonis primi Monaſterij incorporata, non poteſt ſine placito Apoſtolico alienari, cum verò primum Monaſterium inſtat, vt non amplius ſentiat incommodum alicuius Monialis, quæ poteſt eſſe grauiſſimi ponderis, in hoc caſu Monaſterium, quod ſentit commodum talis translationis, debet & ſentire incommodum priuationis illius dotis *ex l.ſi quando cap. de Teſt.* ad quàm Surd. *de aliment.titul.7. quæſt.37.num.*55. præciſa enim inſtantia primi Monaſterij, etiam ſi ſecundum Monaſterium coactè reciperet Monialem, ſic pro bono publico, volentibus, vel iubentibus Prælatis, non propterea tenebitur vnquam primum Monaſterium dotem reſtituere, & licet ceſſaret primo Monaſterio obligatio alendi Monialem, cum tamen dictum ſit, hanc obligationem non fuiſſe contractam à primo Monaſterio ratione dotis, ſed ratione profeſſionis, quoaduſque Monialis, vel viuit ſub dominio, & poteſtate talis Monaſterij, ablato tali dominio, ſiuè poteſtate à Monaſterio ſupra Monialem, aufertur etiam omnis obligatio illam alendi.

LEX CCLXIX.

In renunciationibus Monialium, quæ ſunt profeſſuræ, non ſemper probanda ab Epiſcopis ſola licentia Vicarij Monialium, tamquam ſufficiens.

TOrquent non rarò, & non ſine aliquo rationis prætextu Epiſcopalem Prudentiam diſſidia, & lites, quæ inſurgunt inter Vicarios Generales Epiſcoporum, & Vicarios Monialium, ex eo, quod Vicarij Monialium ad tale munus ab Epiſcopis deputati opinātur in omnibus rebus ad Moniales ſpectantibus ſe habere eamdem authoritatem, quam habent Vicarij Generales, ac propterea omnes licentias, & facultates poſſe ipſos concedere, quas concedunt Vicarij Generales, etiam in renunciationibus, quas ſolent facere Moniales profeſſuræ. Ad quas lites dirimendas, puto eſſe ſatis intelligere vim deputationis, ſeu delegationis, quam faciunt Epiſcopi eligentes, & deputantes Vicarios Monialium; ſi enim eos delegent, & deputent abſolutè ad omnes cauſas ſpectantes ad Moniales cum omni neceſſaria facultate, & poteſtate; erit ſanè extrà controuerſiam, quod ipſi tantum poterunt in quacumque re ſpectante ad Moniales, quantum poſſunt ipſi Vicarij Generales, qui etiam quæcumque agunt, agunt ex facultate, & poteſtate accepta ab Epiſcopis. Quod verò Vicarij Monialium ad vniuerſitatem cauſarum pro ipſis Monialibus delegati omnia poſſint colligitur ex Gloſſ. *l.1. initio. Verbo ab eo, ff. quis & à quo*, Vbi Bartol. Salicet. Iaſon, Felin. & alij DD. ſic enim dicuntur Vicarij Monialiū Ordinarijs æquiparari, vt tradit Gloſs. *in cap. ſtatutum* §. *inſuper, verbo moderatus de reſcript. in* 6. cū alijs pluribus Canoniſtis. Quin immò Gloſs. *in dicto cap. ſtatutum loc. cit.* dicit, *quod delegati ad vniuerſitatem cauſarum faciunt vnum, & idem conciſtorium cum Ordinarijs*, & allegatur etiam *cap. Romana de appell. &c.* Ex quibus deducitur, eſse ab Epiſcopis ſemper probandas tamquam ſufficientes licentias conceſsas à Vicarijs Monialium, cum ab eiſdem Epiſcopis ſupponuntur delegati ad vniuerſitatem cauſarum, ſecùs verò, ſi non haberent ab ipſis hanc vniuerſalem authoritatem, limitata eorum facultate

quoad

quoad aliqua tantum, non quoad omnia, quod habetur in Rota *deciſ.* 1. *in fine de officio Vicarij in nouiſſim.& deciſ.* 598. *n.* 10. *p.* 1. *diuerſ.*

LEX CCLXX.

Ab Epiſcopis probandæ vt plurimum ſola licentia, quæ conceduntur Monialibus à Vicarijs Generalibus.

NOn facilè quidem à Prudentia Epiſcopali reprobandæ licentiæ, quæ à Vicarijs Monialium pro ipſis Monialibus conceduntur, maximè ſi ſint, vt dictum eſt, pro omnibus cauſis Monialium in munere conſtituti; at longe conſultius erit probare licentias, quæ à Vicario Generali, tamquam ab habente ordinariam poteſtatem, emanant; hoc enim extra omnem controuerſiam eſt, neque eiuſmodi poteſtas reuocatur in dubium, ſicut poteſtas Vicarij Monialium, ac propterea docet Barboſa *ad cap.* 16. *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *num.* 34. quod in ijs, in quibus vult Conc. Trid. *in dicta ſeſſ.* licentiam Epiſcopi, vel eius Vicarij, non eſſe ſatis licentiam Vicarij Monialium, ſi agatur de Monialibus, vel licentiam Vicarij foranei, ſi agatur de alijs rebus, non ſpectantibus ad Moniales. Docet enim plures DD. apud Paſqualig. *q.* 35. *Moral. Iurid.* quod appellatione Vicarij ſimpliciter veniat tantum ex Concil. Trid. *loc. cit.* Vicarius Generalis, qui Vicarius ſimpliciter appellatur, & eſt ordinarius. Ex quo deducunt Doctores illi, quod quando Concil. *ſeſſ.* 25. *cap.* 16. *de Regular.* vult, quod renunciationes, quæ faciendæ ſunt à Monialibus profeſſuris, inter alias ſolemnitates, fiant cum licentia Epiſcopi, vel eius Vicarij, ſemper ſit intelligendum de licentia Vicarij Generalis, non Vicarij Monialium, rationibus ſuprà poſitis; quibus tamen non eſt adhærendum ab Epiſcopis, vt dictum eſt, quando Vicarij Monialium intelliguntur ad omnia pro Monialibus deputati, quia tunc habent ab Epiſcopis eamdem poteſtatem, quam habent Vicarij Generales, vbi non deputantur Vicarij Monialium; Vnde Concil. eſt ſemper intelligendum de Vicarijs ſecundum ſubiectam materiam,& ſi materia eſt de Monialibus, erit intelligendum de Vicario Monialium, qui in illa materia verè gerit vices Epiſcopi: quę doctrina habetur etiam *ex cap. conſtitutus de Relig. Domib.*

LEX CCLXXI.

Non permittendæ ab Epiſcopis alienationes bonorum Eccleſiæ.

OMnem alienationem bonorum Eccleſiæ, ſiue bona ſint immobilia, ſiue ſint mobilia pretioſa eſſe prohibitam,conſtat ſatis Prudentię Epiſcopali *ex Paulina ambitioſæ de rebus Eccleſ. non alienandis*; quinimmò eſſe omninò nullam,docent communiter Doctores, ſiuè fiat titulo liberalitatis, ſiuè titulo venditionis, ſiuè alio quouis titulo, etiam locationis vltra triennium; ad hoc autem, vt fiat alienatio valida,duo requiruntur copulatiuè, nimirum vtilitas, & ſolemnitas, ita vt vna ſine alia in nullo caſu ſufficiant iuxta doctrinam communem ex Iure Canonico, & ex Rota in pluribus deciſionibus coram Coccino, & coram Pamphilio; Vtilitas verò erit ſemper examinanda per Sedem Apoſtolicam, ex quo per conſenſum reſultat ſolemnitas requiſita cum vtilitate,quæ tamen præcipuè attendēda eſt, cum ſolemnitas inuenta ſit pro iuſtificāda vtilitate,vt tradit Rota corā Mantica *dec.* 101. *n.*5. & coram Merlino *deciſ.*70. *nu.*16. & etiam alibi ſæpè.

ſæpè. Cum his igitur duobus requiſitis ab Epiſcopis permitti poſſunt alienationes bonorum Eccleſiæ, ſine quibus omnis alienatio cenſenda eſt omninò nulla, & interdicta. De cauſa verò finali eiuſmodi prohibitionis, multa ſcripſere Doctores, Summiſtæ, & Canoniſtæ, quorum doctrinas non eſt opus hic recenſere, aut examinare, cum non ſit à breuitate legis recedendum. Multi tamen volunt, quod ceſſante fine legis prohibentis, ceſſet etiã ipſa lex prohibens, quod eſt verum, quando ceſſat finis in communi, cum lex ſemper reſpiciat bonum commune, non quando ceſſat finis ſolummodò in particulari.

LEX CCLXXII.

Nulla rerum Eccleſiæ alienatio permittenda ab Epiſcopis ſine cauſa.

CErtiſſimum eſt in Iure Canonico, nullam rerum Eccleſiæ alienationem fieri poſſe ſine cauſa, non ſolum à Clericis, Prælatis, & Epiſcopis, ſed neque à Summo Pontifice; cum verè iſti omnes non ſint abſolutè Domini, & poſſeſſores bonorum Eccleſiæ, ſed puri adminiſtratores, & diſpenſatores; quam doctrinam habemus apertè *in can. Monemus, & in can. quiſquis Epiſcopus, & in can. Non licet Papæ* 12. *qu.*2. & in multis Conſtitutionibus Pontificijs. Vnde etiam data cauſa, & in caſu etiã licito, & ſeruatis Iuris ſolemnitatibus, hodie regulariter prohibetur omnis alienatio inconſulto Summo Pontifice, quod habetur *ex extrauaganti Ambitioſæ de rebus Eccleſiaſticis non alienandis* exceptis tamen tribus caſibus, in eadem extrauag. expreſſis, quod notauit Barboſ. *de poteſt. Epiſ. Allegat.*95. *num.*2. & vſu etiam inoleuit Epiſcopos pro alienatione rei, quæ non excedat valorem tercentum, aut ad ſummum quatuor centũ librarũ, non eſſe ſolitos conſulere Summum Pontificem. Alienationis vero prohibitæ nomine comprehenditur donatio, venditio, permutatio, emphyteuſis perpetua, vt habetur *in cap. Nulli liceat de reb. Eccleſ. non alien.* cum aliquo tamen diſcrimine circa materiam eiuſmodi contractuum, de qua materia, eiuſque variantibus conditionibus plura afferunt DD. ac præſertim Barboſ. *alleg. c.* qui etiam docent cuicumque alienationi prohibitæ eſſe impoſitam pœnam excommunicationis ipſo facto, & priuationis beneficij, & etiam Eccleſiæ, cuius res alienatur *ex eadem extrauag.* immò quæcumque alienatio prorſus irrita eſt *ex can. Si quis*, & ex Trid. *Seſſ.*25. *c.*11. *de refor.* ita, quod res alienatæ reſtitui debeant vna cum fructu; neque enim Præbendati ſunt proprietarij, ſed tantum vſufructuarij rerum Eccleſiæ, & ideo non poſſunt, niſi fructus alienare; alioquin facilè nimis diſſiparentur Eccleſiæ bona, neque valeret Canon ille, *Semel Deo, de reg. Iur. in* 6. Si res ſemel Deo dicatæ ad vſus humanos pro libito poſſent transferri. Tres igitur apud Canoniſtas, & per Gloſſ. *in proœm.* recenseãtur iuſtę alienandi cauſæ, quarum prima eſt Eccleſiæ vtilitas, vel neceſſitas euidens, vt ſi fructus non ſufficerent impenſis Eccleſiæ, aut Clericorum ſubſtentationi, aut debitorum ſolutioni, & pretiũ alienationis eſt, & ſatis ad eiuſmodi defectus compenſandos. Quod habetur *in can. Hoc Ius porrectum* 10. *qu.*2. Altera cauſa eſt, vel pauperum ſubſidium in graui neceſſitate, vel captiuorum redemptio, vel fidelium ſepultura; quam cauſam, tamquam ſufficientem approbat D. Greg. Magnus *l.*5. *Epiſt.*27. *& l.*7. *Epiſt.*4. ex qua cauſa etiam probat

ſacra vaſa, poſſe frangi, & diſtrahi, cum aurum habeat Eccleſia, non vt ſeruet, ſed vt eroget, & occurrat neceſſitatibus *iuxta canon. Aurum* 12. *qu*.2. Tertia denique cauſa eſt ad euitandum aliquod magnum ipſius Eccleſiæ damnum, vt contingeret, quando Eccleſiæ prædia ſterilia, vel inculta manerent ob nimias impenſas in illis reparandis, vel propter nimiam diſtantiam, vel propter aliud quid ſimile, & hæc cauſa probatur *in can. ſine exceptione, & in can. Terrulas* 12. *qu*.2. *& in can. ad aures de rebus Eccleſ. non alien.* & hæc dicta ſunt de cauſis circa generales alienationes, nam circa particulares multę referuntur à Doctoribus, & præ cæteris tractat exactè de hac materia Barb. *l.c.* vbi ad plures, & plures deſcēdit caſus alienationis, qui ſolent obuenire.

LEX CCLXXIII.

Alienationes rerum Eccleſiæ non permittendæ ab Epiſcopis ſine præſcriptis à Iure ſolemnitatibus.

PRæſcribuntur quidem à Iure Canonico alienandi ſolemnitates, quibus etiam à Iure nouo Pontificio aliquid additum eſt; at quia eiuſmodi ſolemnitates apud omnes ferè Doctores recenſentur à nobis hic compendioſę legum breuitati ſtudentibus ſpōtè omittuntur, id vnum pro Epiſcoporum Prudentia animaduertentes, quod eas in alienationibus Iuris ſolemnitates requirentibus diligenter obſeruent *iuxta canon. ſine exceptione* 12.*q*.2. In alienationibus verò, quæ ſunt materiæ leuis, nec ſolemnitates Iuris requirunt, ſatis eſt, quod Epiſcopi ſuo ordine, & ſtylo procedant, nimirum, quod Epiſcopi antequam ſuum præſtant aſſenſū, per Memoriale ipſis exponatur petitio de alienatione facienda, deinde quod delegetur ab ipſis vir aliquis integritate conſpicuus ad ſumendas informationes ſuper rem alienandam, & vbi ex illis conſtet de euidenti vtilitate Eccleſiæ, & neceſſitate, decretum interponat, & præſtet aſſenſum. Inter caſus illos, in quibus res Eccleſiæ alienari permittuntur, etiam inconſulto Summo Pontifice, qui enumerantur *in extrauag. Ambitioſa* à Paulo II. adeſt alienatio rerum, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt; at quænam ſint res eiuſmodi; Doctores adhuc vnanimiter non definiunt, & communior Doctrina ea eſt, eſſe res quaſdam mobiles, quæ non durant triennio, vel vſu conſumuntur, & non fructificant; nam etiam res mobiles, quę tamen ſint pretioſę, ęquiparantur immobilibus in hac materia, & pari paſſu ambulant, vt bene notat Quaranta *V. Alienatio*, vbi nomine bonorum immobilium, quę pretioſa dicuntur, & quę ſeruando ſeruari poſſunt, ait, intelligi vaſa aurea, & argentea, gemmas, pretioſas veſtes, & alia huiuſmodi, quę longè ab interitu diſtant. An verò Eccleſię pecunia ſit res de ſua natura alienabilis, adhuc controuertitur in iure Ciuili, & Canonico, cenſetur enim apud multos Doctores, quod ſit de illis rebus, quę ſeruando ſeruari non poſſunt, quia retenta nihil operatur *ex Gloſſ. l.* 1. §. *Quaſitum ff. ad Trebellian. c. eiciens diſt*.88. apud Ricc. *reſolut*. 59. *&* 56. dummodò tamen non ſit in magna quantitate, & in Eccleſiæ proprietate, non in fructu, quod reſolutum eſt in Rota Romana *in vna Venetiarum nullitatis contractus* 13. 1602. corā Pamphilio, vbi facit quoque dictum hoc procedere, licet præfata pecunia veniret conuertenda in vtilitatem Eccleſię, & id referunt Ricc. *reſolut*.59. *nu*.3. & Genuenſ. *in prax. Neapolit. c*.75. qui

etiam

etiam afferunt cum alijs pluribus, neq; eſſe alienabilem pecuniam deſtinatam ad emptionem ſtabilium, cenſuum, vel mobilium pretioſorum, cõſiderata ſcilicet pecunia ad conſeruationem pro Eccleſia fructuoſam, cum ſic conſiderata adnumeretur inter bona immobilia pretioſa iuxta doctrinam multorum, quos refert Barboſ. *allegat.* 95. *de poteſt. Epiſc. num.* 41. quæ doctrina valet etiam de pecunia in banchis campſorum poſita, & de quacumque alia pecunia, quę ſeruatur ad redimendam aliquam rei ſtabilis neceſſitatem. Plura ſupereſſent ad hanc materiam pertractandam ſpectantia; ſed quia facili negotio poſſunt inueniri apud *comментat. extrauag. Ambitioſæ*, qui ſanè varij ſunt in illius expoſitione, ideò relinquuntur, & ſatis hactenus dicta pro prudentia Epiſcoporum.

LEX CCLXXIV.

Permittendæ ab Epiſcopis quandoque donationes remuneratoriæ, etiam ex bonis Eccleſiæ.

IVriſtæ omnes, & Canoniſtæ, qui docent, donationes ex bonis Eccleſiæ eſſe prohibitas, ſolent excipere donationes quaſdã remuneratorias, quas non vocant propriè donationes, cum non ſint omninò liberales, ſed factas ex debito, & potius dicendę ſunt mercedes remuneratoriæ, quàm donationes; Vnde etiam Clemens VIII. in Bulla *de largitione munerum pro Regularibus*, licet interdicat donationes, & munerum largitiones, ex declaratione tamen S. Cong. ab Vrbano VIII. ad id ſpecialiter deputatæ intelligendum eſt ſub illa prohibitione non comprehendi donationes remuneratorias, quam declarationem ipſe Vrbanus VIII. confirmabit in ſua Conſtitutione 158. §. *tom. 4. Bullar.* Donationes igitur remuneratoriæ cum non ſint omninò prohibitæ, poſſunt quandoque ab Epiſcopis permitti, etiamſi fiant per alienationem bonorum Eccleſiæ immobilium, dummodò fiant tantum ad tempus, & ſi fiant vltra triennium, requirunt ſemper ſolemnitatem, quia habent ſpeciem locationum, quę ſemper prohibentur in bonis Eccleſiæ ſine ſolemnitate, vbi aduertendum eſt, quod ſi fierent eiuſmodi donationes, locationes, & alienationes ad longum tempus vltra triennium, neque eſſent validę pro ſolo triennio, licet triennium contineatur in illo longiori tempore, quod habetur paſſim ex Iure Ciuili, & Canonico, & etiam ex Rota Romana *deuolutionis* coram Rubeo, *& in Placentina Decimarum* coram Bubalo, *& ex Brixienſi locationis* 5. Decemb. 1597. *& deciſ.* 435. *num.* 3. *part.* 3. *recent.*

LEX CCLXXV.

Non permittendæ ab Epiſcopis venditiones Capellarum in Eccleſijs.

EO ducuntur errore plerique, vt cum proprijs ſumptibus conſtruxerint, atque ornauerint Capellam in Eccleſia aliqua; inſuper, vel etiam Ius patronatum alicuius beneficij in illa Capella inſtituerint, opinentur omne dominium talis Capellæ quoad ſtructuram, picturas, & ornamenta apud ipſos Conſtructores, aut Inſtitutores remanere, atque adeò pro libito poſſe tale dominium per venditionem in alium transferre, qua in re tenetur Epiſcopalis Prudentia quàm maximè aduigilare, ne cum tali errore perniciem Eccleſię ſenſim irrepat; non enim poteſt habere locum venditio rei alicuius, niſi

apud venditorem ſit plenum dominium illius rei; cum per venditionem transferatur dominium in emptore, quod quidem non poteſt transferri à non habente tale dominium; obtinens autem Capellam in aliqua Eccleſia (quomodocumque obtineat) non habet illius Dominium, etiamſi ſit Iurispatronatus, vt tradunt Io. And. *in cap. quod alicui de reg. Iuris in* 6. Lambertin. *de Iurepatr. lib. part.* 1. *qu.* 1. & alij, Capella enim eſt pars Eccleſię, & dedicata cultui Diuino, ac proinde dicitur locus vndequaque religioſus cum omnibus ſuis ornamentis; ita vt qui illam conſtruit eam à ſe omninò abdicet, & dedicet Deo, ac proinde non remanet amplius ſub dominio hominum. Ad quam doctrinam confirmandam afferunt aliqui DD. paritatem de Sepulchro in Eccleſia, quod non eſt res ita religioſa, & Deo dicata, ſicut Capella, & tamen dicitur Sepulchrũ nõ eſſe in bonis alicuius, nec ab aliquo adquiri poſſe iuxta *l. quamquam ff. de aqua pluu. arcend. & l. ſi Sepulchrum ff. de relig. & ſumpt. funerum*. Volunt enim iſti DD. tantum adquiri poſſe vſum ſepulchri, non dominium, vt eſt *in cap. Abolendæ de ſepul.* & apud Rotam coram Coccino *deciſ.* 291. & coram Pennia *deciſ.* 442. vnde concludunt id à fortiori eſſe dicendum de Capella, cum ſit res magis religioſa, quàm ſepulchrum; eſt enim res in ſui conſtructione Deo donata.

LEX CCLXXVI.

Neque permittendæ ſubrogationes perſonarum in ius Capellarum per aliquod venditionis genus.

NOn deſunt Doctores, inter quos Paſqualig. *q. moral. Iurid.* 96. qui videntur approbare quaſdam venditiones Capellarum, dummodo ſint factæ vel ab ipſis Eccleſijs, vel à Rectoribus earum, apud quos volunt aliquam dominij ſpeciem remanere, quę non vocatur dominium, ſed quaſi dominium; dummodò tamen venditio fiat tantum ad effectum ſubrogandi ementes in illud Ius, quod poſſent habere, qui eas fabricarent, ita vt in illa venditione non transferatur dominium in ementes, ſed remaneant ſemper apud Eccleſiam, vel apud Rectores vendentes. Miror tamen ego quomodo hæc dici poſſint conſequẽter ad ſupradicta; ſi enim Capellæ ſunt omninò inuendibiles, & inalienabiles ab Eccleſia, vt res iam dicatæ, & donatæ Deo, non video, quomodo poſſint ſubiacere venditioni, quoquomodo ſumatur, ſiue cum ſolo fine ſubrogandi, ſiue cum fine vẽdendi, ſed non transferendi dominium, quę ſanè eſſet implicantia in terminis; Vnde longè ſatius eſſet dicere cum Philiarco *de offic. Sacerd.* Ledeſma *p.* 2. *Summ. tract.* 12. Laſarte *de vendit. cap.* 14. & alijs, quod poſſint abſolutè vendi Capellæ, & etiam transferri Iura Patronatus ipſarum, ex eo quod totum, quod cadit ſub vẽditione eſt verè quid temporale, nec habet adnexum aliquid ſpirituale, & ideò quod poſſint Capellæ cum ſuis ornamentis eſſe materia venditionis. Quę tamen doctrina à nobis ob ſupradicta non eſt admittenda, neque à Prudentia Epiſcopali amplectenda.

LEX CCLXXVII.

Vulnerantes ad mortem non cenſendi Irregulares ab Epiſcopis, quando mors non ſequitur ex vulnere, ſed ex alia nota, & certa cauſa, ſic indicata.

CVm poſſit vulneratus aliquis mori, non quidem ex vulnere accepto, ſed ob negligentiam curationis, vel ex aliqua alia cauſa, ex qua Iudex, vel Medicus poſſint Sententiam pronunciare, quod ille talis non ſit mortuus, cauſa vulneris per ſe, ideò Prudentia Epiſcopalis tenetur hoc maximè aduertere, ne putet irregularem eſſe, qui verè non eſt talis; Vnde ſicut Iudex, qui eſt in dubio, an mors vulnerati ſit ſequuta ex vulnere, an ex alia cauſa tenetur pronunciare Sentẽtiam, quod non ſit ſequuta ex vulnere, ex Iure Ciuili apud Bald. Dec. Gramat. Menoch. & alios, ita vulnerans non eſt habendus pro irregulari ab Epiſcopis, cum iam verſemur in re certa, nimirum quod mors non ſit ex vulnere ſequuta, nam Iudicis Sententia ſemper habetur pro certa veritate, vt habemus ex Innocent. *in cap. ſuper litteris de reſcript.* & ex Rota *deciſ.* 574. *n.* 3. *part.* 4. *recent.* & alibi coram Venoſpio. Quod habet locum etiam quando Medici, & periti idem iudicium formant tamquã certum, & extra omnem dubitationem; Iuriſtæ enim quamplures docent tale Iudicium facere plenam probationem, quæ doctrina videri poteſt apud Menoch. *de Arbitrar. caſu* 275. *lib.* 2. *n.* 11. talis autem vulnerans ſic iudicatus à Iudice, & perito cenſendus eſt immunis ab irregularitate, tàm, quoad forum internum, quàm quoad forum externum.

LEX CCLXXVIII.

Cenſendi ab Epiſcopis irregulares omnes vulnerantes ad mortem, ſi mors ſequatur ex vulnere, tamquam ex cauſa, etiam in dubio.

EPiſcopalis Prudentia, quæ regulis Iuris Canonici ſemper dirigenda eſt, iam in hac materia debet legem amplecti, quæ ſtatuitur *in cap. ſed audientiam, & in cap. ſignificaſti* 2. *de homicidio*; quam fusè explicat Suarez *de cenſur. diſp.* 40. *ſect.* 6. *per totum*, vbi aſſeritur iuxta communem doctrinam in dubio de morte ex vulnere ſequuta, vulnerantes cenſendos eſſe irregulares, tum apud Epiſcopos, tum apud Iudices; immò ipſos vulnerantes ſe gerere debere tamquam irregulares, non ſolum in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ; quia licet *ex Regul. Iuris in* 6. *cap. cum Iura &c.* pro delicto dubio non poſſit imponi pœna certa, & in dubio ſemper ſit fauendum reo, nihilo tamen minus Sum. Pontifices, in hoc caſu voluerunt ſtatuere pœnam certam, etiam pro delicto dubio, moti fortaſſis ex illa conuenientiæ ratione, quod in materia tàm graui tutior pars ſit ſequenda, cum ſit maximum inconueniens, quod vir etiam in dubio alterius ſanguine pollutus miniſtret Altari; & licet ex Iure Canonico in hoc caſu habeamus, quod tutior pars ſit ſequenda, non eſt hæc intelligenda tamquam ratio vniuerſalis, ex qua deducatur id etiam habere locum in facto homicidij, ſed accipienda eſt, tamquam ratio particularis, nimirum conuenientiæ ſpecialis in hac materia.

LEX CCLXXIX.

Nec quæcumque, nec quibuſcumque irregularitates ab Epiſcopis diſpenſandæ.

EX Trid. *Seſſ.* 24. *de refor. cap.* 6. *& ex c. curandum, & ex cap. ſi cuius vxorē, & ex c. final. de temp. ordinat. & ex c. poſtulaſtis*, habetur, irregularitatem eſſe quoddam impedimentum Canonicū viam præcludens ad ordines, & beneficia, ſiue procedat ex defectu, ſiue ex delicto, quod impedimentum ſolus tollere poteſt Papa, vel Epiſcopus, modo per ſe, modo delegans ipſe alium, modo ipſe delegatus à Papa, & certum eſt ex eodem Trid. *l. c.* & ex communi DD. Sententia, quorum plures, & plures citat Barboſ. *ſub initium alleg.* 39. licere Epiſcopis in omnibus irregularitatibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, diſpenſare, excepto tamen homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum, & in quibuſcumque alijs caſibus occultis, etiam Apoſtolicæ Sedi reſeruatis, idque, vel per ſe ipſos, vel per Vicarium, ad id ſpecialiter deputatum in foro conſcientiæ, quod tamen intelligitur de ſubditis, in quos Epiſcopus poſſit exercere Iuriſdictionem, ſaltem Sacramentalem, ſub quorum nomine ex interpretatiua voluntate Summorum Pontificum, vt notat Barboſ. *l. c.* cum nonnullis DD. intelliguntur etiam aduenæ, & Peregrini, etiamſi ſint vagabundi, & omnes quoque Scholaſtici, & mercatores, qui omnes, quoad Sacramenta Confeſſionis, & Euchariſtiæ dicuntur Epiſcopo loci ſubditi, vbi reperiuntur, idque ex conſuetudine generali Eccleſiæ; quæ doctrina, licet valeat in abſolutione caſuum reſeruatorum, & cenſurarum impedientium receptionem Sacramētorum, non eſt tamen doctrina admittenda pro obtinenda diſpenſatione ab irregularitate, & ſuſpenſione, cum requiratur pro his in Epiſcopo vera iuriſdictio ordinaria in eos, quibus concedit relaxationem irregularitatum, vel ſuſpenſionum, hocque pluries deciſum refert Garz. cum alijs apud eumdem Barboſ. quæ poteſtas extenditur etiam in ſubditos extra Diœceſim, vnde ſi Epiſcopus concedit ſubditis irregularibus litteras dimiſſoriales, in quarum virtute poſſint ordinari ab alio Epiſcopo, tunc cum illis cenſetur diſpenſare in irregularitate, modo ſciat ordinandos eſſe irregulares, & habeat intentionem diſpenſandi, non enim præſumitur Epiſcopus, velle delinquere, ordinando irregularem, vel concedendo facultatem, vt ſic impeditus ad ordines promoueatur; habet enim hoc irregularitas, quod ne dum impediat tonſuræ, & aliorum ordinum ſuſceptionem, ſed etiam impediat vſum illorū antea ſuſceptorum; quemadmodum etiam parit incapacitatem ad ſuſcipienda beneficia, vt habetur *ex c. Poſtulaſtis*, eò prorſus modo, quo idem dicitur de cenſuris; licet nulla cenſura, vel irregularitas ſubſequens poſſit inducere vacationem beneficij anteà adepti ex deciſ. Rotæ 193. apud Cabaſſut. *in Theor. & prax. Iur. Canon lib.* 5. *c.* 19. vbi alij in hanc Sententiam afferuntur DD.

LEX CCLXXX.

Non diſpenſandæ ab Epiſcopis per alios irregularitates, ſed per ſe ipſos.

POſſe Epiſcopos delegare facultatem, quam ipſi habent à Trid. *ſeſſ.* 24. *de refor. cap.* 6. vel Vicario Generali, vel

vel alijs pro lubito, aut pro neceſſitate, Doctores fere omnes conſentiunt, ac præſertim hoc aſſerunt de Vicario, quo ad irregularitates, & ſuſpenſiones, cum ex verbis Concilij habeatur, Vicarium eſſe ſpecialiter ad hoc ab Epiſcopo deputandum, cum id non habeat ex ſuo munere ordinario; quidquid ſit, an talis facultas ſit delegabilis etiam alijs, præter Vicarium, quod etiam diſputatur de alijs cenſuris, & caſibus reſeruatis Apoſtolicæ Sedi, in qua diſputatione adeſt doctrina pro vtraque parte. Ad varias itaque in hac materia conciliandas DD. Sententias pro varia verborum Concilij intelligentia, quam acuratè exponit Barboſ. *allegat.* 39. eam Prudētiæ legem Epiſcopis exponerem ego, quod licet poſſint per facultatem, quam habent à Iure communi ordinario, vt multi putant, diſpenſare per Vicarium, vel per alios in irregularitatibus, & ſuſpenſionibus, melius tamen ſit ipſis eiuſmodi facultatem alijs non delegare, cum agatur de rebus grauioribus, quæ ſpectant ad munus Epiſcopale; videtur namque ex ipſo Concilio ipſis hoc onus imponi, tamquam Epiſcopis, & quæ ſic imponuntur, difficilius ab ipſis ſeiungi debent, & licet velit Concilium, quod etiam Vicarius poſſit ſpecialiter deputari ad multas abſolutiones, & diſpenſationes, hoc fit, quia Epiſcopus cum Vicario in multis vnicum tribunal facit, & videtur paris authoritatis in multis, licet non in omnibus, & hoc facit difficultatem pro alijs, qui non ſunt Vicarij, quibus non ità facilè eſt committenda delegatio talis facultatis. Aliud igitur eſt, quod Epiſcopus poſſit, aliud quod debeat, quoad poſſe nolo hic aliquid determinare, cum ſit triplex DD. Sententia, quæ cenſetur probabilis propter rationes, quas affert Barboſ. *l. c.* Quod debeant Epiſcopi hoc facere, iam dixi non debere, ſi velint prudentiùs agere, ratione ſupra allata. Poteſt tamen talis neceſſitas contingere, ex qua ipſis liceat, talem facultatem alijs delegare abſque imprudentiæ nota, & tunc, cū verè probabiliter id agere poſſint, etiā prudenter agent; & huic doctrinæ videtur adhærere Henriquez *lib.* 14. *irreg. cap.* 19. *& lib.* 6. *de pœnit.* vbi ait, non poſſe Epiſcopos delegare hanc facultatem abſolutè, & generaliter Vicario, vel alijs, ſed ſolum in certis caſibus contingentibus cum ſpeciali mandato; & hanc delegationem pro irregularitatibus, & cenſuris, quam poteſt pro alijs alteri committere, poteſt etiam pro ſe ipſo, ſi ijdem caſus contingant, vt aſſerunt plures DD. citati ab eodem Barboſ. vbi ſupra *num.* 15. cum non debeat eo ipſo eſſe deterioris conditionis.

LEX CCLXXXI.

Non quæcumque Irregularitas ex defectu in genere ab Epiſcopis diſpenſanda.

EX corporis æquè, & animi defectu poteſt ortum ducere impedimentum Irregularitatis, ſolentque irregularitatis ex defectu nouem communiter ennumerari ſpecies. 1. Natalium in filijs illegitimis. 2. Libertatis in ſeruis. 3. Obligationis ad ratiocinia. 4. Ætatis canonicè preſcriptę circa ordines, & beneficia. 5. Famæ. 6. Animi in dementibus. 7. Corporis. 8. Lenitatis. 9. Bigamię, de qua, cum multiplex ſit, conſulendi ſunt Canones *in c. ſi cuius, & in c. quotquot, & in c. Nuper, & in cap. fin. de bigamis, & in c. Maritum, & denique in c. curandum,* vbi habemus bigamos non tàm eſſe irregulares, & ab Epiſcopis arcēdos ab ordinibus propter incōtinētiam, quā ob diſparitatē, quā habent cū my-

myſticis Chriſti, & Eccleſiæ nuptijs, quorum imaginem referunt Chriſtianorum nuptię; nam per bigamiam tollitur illa conformitas, quam habet Eccleſia ſponſa cum ſponſo, quę eſt vnica, perpetua, & incorrupta, iuxta ea, quæ dicuntur *in cap. Maritum diſt.* 32. *& in c. curandum diſt.* 24. vnde ſequitur, virum coniugatum, licet adulteret cũ alia fœmina, non fieri irregularem, propter ſponſę vnitatem, neque ſi vir ducat in vxorem, quam antea defloraverat. Inducit tamen irregularitatem etiam bigamia interpretatiua, non ſolum vera, quæ eſt in eo, qui duas ſucceſſiuè duxit vxores, ſed in eo, qui etiã vnicam tantum duxit, ſed viduam, aut quomodocumque ab altero vitiatam, aut cum quis virginem quidem duxit, ſed poſt matrimonium adulterata eſt, ſi poſt adulterium maritus eam, vel ſemel cognouerit; ſi verò poſt adulterium eam non cognouit, nulla induci dicitur irregularitas, & hęc habentur *ex c. ſi Cuius, & ex c. Laici diſt.* 34. quibus addenda eſt bigamia ſimilitudinaria, vbi quis poſt ſolemne votum, ſiue religioſę profeſſionis, ſiue ſacri ordinis, contraxit, & conſummauit matrimonium, ſiue validè ex Papę diſpenſatione, ſiuè inualidè iuxta *c. quotquot. &c. & c. Nuper, & c. fin. de bigamis.* Diſpenſanda eſt igitur ab Epiſcopis ad ſummum irregularitas ex defectu natalium cum illegitimis, ad ſolos minores ordines, atque ad ſimplicia beneficia, non verò ad beneficia curata, & hoc habetur *ex cap. de filijs Presbyt.* & etiã ad ſummum eſt diſpenſanda bigamia in ordine ad eoſdem ordines minores, & beneficia ſimplicia, idque ex vi conſuetudinis, vt aſſerunt plures DD. cum S. Th. *in* 4. *ſent. diſt.* 27. *qu.* 3. *art.* 3. Silueſt. Azor. & alij, qui proferunt in hanc rem etiam deciſ. Rotæ 447. verum tamen eſt, quod non contrahitur vera bigamia, niſi per completam omninò carnalem copulam, nam ſi eſſent plura matrimonia tantummodo rata, ſed vnum ſolum conſummatũ, non inducitur bigamia, quemadmodum neque in iure Canonico irregularitas defectu natalium remanet poſt emiſſam profeſſionem religioſam; fit namque Religioſus profeſſus aptus etiam ad ſacros ordines, non tamen ad Prælaturas, vt habetur *ex cap. primo de filijs Presbyt.* quẽadmodum neque Moniales illegitimæ poſſunt eligi in Abbatiſſas, niſi interueniat Apoſtolica diſpenſatio. Eſt tamen hoc loco aduertendum, quod ſicut antecedens irregularitas, quęcumque ſit, obſtat ſuſcipiendis beneficijs, irregularitas tamen conſequens non inducit beneficij iam adepti vacationem; hoc enim habetur ex Rota *deciſ.* 195. & ex communi Doctorum ſenſu, qui hoc probant ex doctrina Canonica *in cap. ex litteris de exceſſ. Prælat.* vbi habetur, quod irregularitas ex delicto homicidij, quę quidem grauiſſima eſt, & ſummè odioſa, non inducit priuationem ipſo facto à beneficio, ſed requiritur Iudicis ſententia, multò minus inducet priuationem, vel vacationem beneficij defectus ſine culpa, qualis poteſt eſſe defectus corporis, vel animi, qui poteſt contingere poſt accepta beneficia, vel poſt ſuſceptos ordines.

LEX CCLXXXII.

Non diſpenſanda ab Epiſcopis irregularitas proueniens ex defectu animi in ſpecie,

EX *c. Clerici diſt.* 33. *& ex c. Maritum,* ibidem irregularitas ex animi defectu habet locum in Energumenis, ſeu arreptijs, in amentibus, in lunaticis, & etiam in epylepticis, qui omnes non poſſunt

poſſunt ab Epiſcopis diſpenſari ad ordines, à quibus dicuntur eſſe in perpetuum excluſi, quantumuis poſtea conſtaret, eos eſſe liberatos, quod notat Cabaſſut. *lib.* 5. *Iur. Can. cap.* 19. Conſuetudine tamen paſſim recepta, (ſubdit ipſe) non ſolent ad irregularitatem cõputari illi Epileptici affectus, qui torquent puellas inter annos infantię, neque illi, qui vexant impuberes ante annum ætatis decimum quartum, nam magna nimis Clericorum, & Sacerdotum caterua eſſet irregularis; in teneris namque annis eiuſmodi affectus Epileptici contingere ſolent, qui tamen, cũ in ætate prouectiore euaneſcant, non impediunt aſcenſum ad ordines, vt experientia conſtat: & hæc doctrina de Epilepſia fundatur in doctrina tradita ab Hippocrate *Aphoriſm.* 7. *ſect.* 5. *& Aphoriſ.* 28. *ſect.* 3. vbi docet epilepſiam ante pubertatem facillimè curari; poſt pubertatem verò, & poſt annum vigeſimum quintum eſſe incurabilem, & patientes comitari vſque ad mortem. Vnde infertur pro dignoſcẽda irregularitate proueniente ex defectu animi, in epilepticis, ætatem præſertim eſſe attendendam, quidquid dicat Zachias Medicus peritiſſimus in ſuis conſilijs *conſil.* 59. qui Romæ de hac re conſultus Canoniſtam agens, dixit etiam graui Epilepſia laborantem poſt puberes annos, poſſe ad ordines promoueri, etiam ſine diſpenſatione, dummodo aliquot annorum ſpatio ſymptoma non recurrerit. In re igitur tàm graui, non ſtandum eſt Medicis, ſed Canoniſtis, & ſacris Canonibus, quos ſupra in contrarium retuli. Si tamen legitimè ſacris initiato ægritudo epileptica ſupetuenerit, is poterit ſuſceptos ordines exercere, dummodo quędam adhibeantur pręcautiones, nimirum, ſi per integrum annum obſeruatum ſit, quod epileptica ſymptomata, & accidentia non ſenſerit, quod etiam dicitur ſufficere pro amentibus, & dæmoniacis, vt habetur *ex c. communiter diſt.* 33. cui non aduerſatur *c. Nuper*, vbi Papa videtur requirere ſolum dies triginta ad experimentum morbi epileptici, nam Gloſſa vtrumque cap. conciliat, eamque dicit eſſe veram, & canonicam doctrinam, quę tradit, requiri integrum annum ad experiendum de epilepſia pręterita per certum caſum, requiri verò ſolum triginta dies ad experiendum de Epilepſia in caſu dubio, vbi non antea caſus contigerit. An verò aliquis non omninò ab ægritudine epileptica liberatus, ſed illi adhuc quandoque, ſed rarò ſubiectus poſſit Miſſam celebrare cum aſſiſtentia alterius Sacerdotis, qui ſit ieiunus, dubium eſt apud DD. & ideò in hac re ipſi erunt conſulendi, vt dignoſcatur, quid in tali caſu poſſint Epiſcopi permittere ex Canone *in c. Nuper*. Aduertendum etiam quod ad irregularitatem ex animi defectu dicuntur pertinere illiterati *ex c. illiteratos diſt.* 36. & Neophyti, ideſt qui ab Idololatria, Mahumetiſmo, Iudaiſmo, & huiuſmodi recẽter cõuerſi in ætate adulta baptizati ſunt, ſic habemus *ex c. quoniam diſt.* 48. atque in hac materia non multum diſputanda ab Epiſcopis ſtandum eſt Sacris Canonibus; ad hoc præſertim, vt à Sacris ordinibus, alijſque Eccleſiaſticis muneribus non minus arceantur Clerici morum probitate carentes, quàm ſcientijs, & litteris omninò deſtituti.

LEX CCLXXXIII.

Non diſpenſanda ab Epiſcopis irregularitas proueniens ex defectu corporis in ſpecie.

PLures corporis defectus irregularitatem cauſantes, qui tamen iuxta Canones, non omnes eodem modo ab Epiſcopis conſiderandi ſunt, iudicium namque de illis, qui verè cauſant irregularitatem, ſiuè ſint infirmitatis, ſiuè deformitatis ab ipſis Epiſcopis ferendum eſt, vt habetur ab Innocent. *in c.2. de corpore vitiatis*, ex quo in eadē ſententia ſunt Syluest. *V. corpore uitiati q.1.* & Nauarr. *cap.27. num.200.* Sic cēſentur communiter irregulares, qui ſe caſtrari permittunt ob cantum, quod etiam ſupponitur illicitum; non verò, qui id permittunt ex iuſta, ac licita cauſa, qualis erit curatio morbi ingruentis, aut alia eiuſmodi, tunc enim non cenſentur irregulares *ex c. ſi quis abſciderit, & ex c. ſi quis ſe diſt. 55. & ex c. ſignificaſti de corpore vitiatis*; Regulariter igitur cauſant irregularitatem non diſpenſandam ab Epiſcopis illi corporis defectus, qui vel impediunt vſum ordinis, qualis eſt cæcitas, vel notabilem gignunt in ipſo corpore deformitatē, & præ cæteris carentia viſus in oculo ſiniſtro, qui dicitur oculus Canonis, ſi ex eo defectu neceſſe ſit ad legendum Canonem vultum indecorè contorquere ad ſiniſtram partem; ſi tamen quis ita oculo dextero præualeret, vt ſine vlla indecentia poſſet Canonem in Altari legere, non eſſet cenſendus irregularis, quod docet Nauarr. *cap. 27. num.199.* Ille verò, qui aliqua ſua culpa graui, quamuis inuitus, aliquo membro fuiſſet mutilatus, tametſi ea membri mutilatio ex ſe non cauſaſſet irregularitatem, eò quod eſſet occulta, vel grauem non induceret deformitatem, cenſendus eſt nihilominus irregularis *ex c. fin. diſt.55.* cuiuſmodi eſſet vir, cui in pœnam, & vltionem, deprehenſo in Adulterio, exciſa eſſent virilia, quam doctrinam tradunt Vgolin. Nauar. Auil. & alij communiter apud Cabaſſut. *lib. 5. cap. 19. num. 14.* quam tamen doctrinam ego non ità facilè admitterem, ſi eſſet diſputandi locus de hac materia, cum multas patiatur difficultates. Quid verò ſit dicendum de irregularitate impediente ex defectu corporis ſuſceptionem ordinis Sacerdotalis, an ſcilicet ſit diſpenſanda ab Epiſcopis pro Ordinibus inferioribus, quos fortaſſis non dicitur impedire, non eodem modo loquuntur Doctores, nam plerique aſſerunt, tali defectu laborantes non eſſe cenſendos irregulares, & ſic non indigere diſpenſatione Epiſcopali, alij verò volunt, eſſe cenſendos verè irregulares, nec proptereà eſſe ab Epiſcopis diſpenſandos. Vtraque opinio probabilis eſt, apud Cabaſſut. *l. c.*

LEX CCLXXXIIII.

Non diſpenſanda ab Epiſcopis quæcumque irregularitas proueniens ex delicto quocumque.

COmmunior DD. Sententia eſt apud Cabaſſut. *l.5. cap.20. Iur. Canon.* eas tantum irregularitates ex delicto prouenientes indigere Apoſtolica diſpenſatione, quæ contrahuntur ex delicto habente in ſe malitiam peccati mortalis. Ratio eſt deſumenda ex proportione, quam pœna debet habere cum culpa, & cum pœna irregularitatis impoſita delicto ſit grauis, etiam delictum debet eſſe graue; vnde ſequitur ex culpa veniali non ſequi irregularitatem

ritatem, ſaltem pro foro conſcientiæ, licet in foro externo aliquis poſſit cenſeri irregularis etiam ex culpa leui; & ſic aliquis putatus irregularis in foro externo, poterit tuta conſcientia ſua beneficia retinere, & fructus eorum percipere, & etiam ad ordines promoueri abſque alia diſpenſatione, dummodò inde publicum non oriatur ſcãdalum; & eſt aduertendum, quod irregularitas, quæcumque ſit, non contrahitur, niſi ex actu externo conſumato, vt habetur in Canone. Præter delicta, quæ inducunt infamiam Iuris, vel facti, & conſequenter irregularitatem, ſemper per actum Iudicis declarãdam ſiuè per Sententiam criminis declaratoriam, vt notat ſcitè Vaſquez. 22. *q.* 175. *cap.* 1. *ex c. Infames in* 6. *q.* 1. inducitur etiam irregularitas per Hæreſim, & Apoſtaſiam à fide *ex c. qui in aliquo, & ex c. quibus*, & hæc afficit etiam filios Hæreticorum *ex c. ſtatuimus*, niſi conſtet Parentes antè mortem fuiſſe conuerſos. Inducitur etiam irregularitas ex illicita membrorum mutilatione, item ex indebita ordinis ſuſceptione, vel exercitio, *ex c. cum illorum, & ex c. ſi quis Epiſcopus &c.* Inducitur denique potiſſimum ex crimine homicidij tam ex parte mandãtis, quàm ex parte conſulentis, & exequentis, cum hoc tamen diſcrimine inter mandantem, & conſulentem, vt qui ante factum reuocauit mandatum, tametſi mandati ſequatur effectus, non ſit obnoxius irregularitati, cum non cenſeatur influxum præbuiſſe in delictum perpetratum; quod dici non poteſt de conſulente, etiam reuocato conſilio, qui ſemper dicitur influxum præſtitiſſe; & hæc eſt communis DD. Sententia, cui ego ipſe libenter ſubſcriberem, ſi viderem diſparitatem in reuocante mandatum, & reuocante conſilium, dum vtrobique ſequatur effectus homicidij, cum mihi videatur æqualis influxus in vtroque reuocante, quidquid dicat Caballut. in contrarium *l. c.* In crimine igitur voluntarij homicidij etiam occulti non eſt ab Epiſcopis diſpenſanda irregularitas, quamuis alias irregularitates prouenientes ex occultis delictis poſſint, ac debeant in aliquibus caſibus diſpenſare. Aduertendum eſt tamen, quod illi ſoli, qui dubitant homicidium cauſaſſe, quod tamen non ſit omninò caſuale, & præter intentionem, & quod non ſit coniunctum cum aliqua actione volita connexa cum homicidio illo, quæ actio de ſua natura ſit peccatum mortale, cenſendi ſunt irregulares, hocque habetur ſtatutum apud plures Canones, quos refert Caballut. *l. c. n.* 12. In alijs verò caſibus dubijs, ex quibus ſequatur irregularitas, nec ne, excepto homicidio, non ſunt cenſendi irregulares, cum de his nihil habeatur in Iure Canonico, & odia ſint potius reſtringenda, quàm extendenda: Homicidia verò purè caſualia, in quibus nulla voluntas, neque in ſe ipſis, neque in cauſa conſiderari poteſt, nunquam dicuntur inducere irregularitatem; vt eſt communiſſima, & tutiſſima doctrina. Quid verò requiratur ad hoc, vt homicidium ſit verè occultum, & poſſit ab Epiſcopis abſolui explicat fuſè Barboſ. *Allegat.* 39. *n.* 20. *de Poteſt. Epiſc.* nec ea hic referre conſonum eſt breuitati in eiuſmodi legibus intentæ.

LEX CCLXXXV.

Ab Epiſcopis non degradandi Sacerdotes ob ſolum rebellionis crimen.

Contingit plerumque, vt Principes Laici inſtent apud Epiſcopos pro degradatione alicuius Clerici, vel

Sacerdotis rebellis, adhoc, vt Curiæ Sæculari tradatur, & etiam nece mulctetur, ex quo difficile negotium pertractandum inſurgit Epiſcopali Prudentiæ, quæ in his caſibus inter Scillā, & Charybdim dicitur periclitari. Si tamen Iuri Canonico adhęrendum eſt, non ſunt degradaudi Clerici, aut Sacerdotes ab Epiſcopis ob ſolum rebellionis crimen; quia hoc crimen non recenſetur inter caſus, ex quibus Clericus poteſt ab Epiſcopo degradari, quos licet non enumeret Paſqualigus *q. Moral. Iurid.* 89. ſupponit tamen enumeratos à Rota coram Coccino *deciſ.* 351. *num.* 7. extra quos caſus ſtatutos à Iure Canonico, & à Sum. Pontificibus non dicuntur Epiſcopi, vllam habere iuriſdictionem degradandi; pro certo enim habendum eſt, Ordinarios, ſeu Epiſcopos non poſſe deuenire ad degradationem Clerici, & traditionem Curiæ Sæculari, niſi authoritate à Iure Canonico conceſſa, quæ cum non intelligatur conceſſa in caſibus rebellionis pro degradatione, neque poſſunt ad illam deuenire. Hæc doctrina præſertim amplectenda eſt pro caſu rebellionis contra Principem Laicum; nam de Principe Eccleſiaſtico forſitan aliter ratiocinandum eſt.

LEX CCLXXXVI.

Sacerdotes licet degradati ob crimen rebellionis admittendi ab Epiſcopis ad celebrandum.

Exponitur hic Epiſcopali Prudentiæ caſus ad trutinam reuocandus, de Sacerdote, qui ob crimen rebellionis ſit à ſuo Ordinario ad inſtantiam Principis Sententiatus, vt degradetur, & tradatur Curiæ Sæculari, an ſcilicet, hoc non obſtante, poſſit admitti ad celebrandum. Videtur enim magnum faceſſere negotium, quod iam lata ſit Sententia à legitimo Iudice, qui præſumitur non tuliſſe illam Sententiam, niſi clarè conſtante crimine, neque ab illa Sententia à reo fuiſſe appellatum, & ideò cum iam omnia tranſierint in rem iudicatam ſuper magnum crimen, degradatum, & impeditum ratione infamiæ nullo modo eſſe admittendum ad miſſæ celebrationem. Pro veritate tamen tenendum eſt, eiuſmodi crimine irretitum, ac degradatum poſſe admitti, immò eſſe admittendum ad celebrandum. Ratio eſt, quia Sententia ordinarij degradantis tamquam nulla habenda eſt, & ideò nullum poſſe ſortiri effectum in perſonam condemnatam, cum ex dictis nulla ſupponatur Iuriſdictio in Ordinario ad illam ferendam Sententiam, quæ ferri non poteſt, niſi in caſibus à Iure Canonico, & Pontificio præſcriptis, inter quos non eſt caſus rebellionis, vt ſupra notatum eſt cum Paſqualig. Vnde cum illa Sententia ſit nulla, & inualida pro parte degradationis, & traditionis Curiæ Sæculari, erit etiam nulla, & inualida defectu iuriſdictionis pro parte celebrationis, nam Sententia, quæ indiuidua eſt, non poteſt pro vna parte valere, & pro altera non valere, quod clarum eſt in Iure Ciuili apud Bartol. & alios DD. communiter, & etiam apud Rotam coram Puteo *deciſ.* 315. & coram Burato *deciſ.* 641. & coram Merlino *deciſ.* 706. & coram Otthobono *deciſ.* 63. *num.* 72. *&* *deciſ.* 221. *num.* 1.

LEX CCLXXXVII.

Suſtinenda ab Epiſcopis immunitas Eccleſiaſtica in locis tantum gaudentibus tali priuilegio.

ERit ſemper Prudentiæ Epiſcopalis munus ea loca diſcernere, quæ gaudent immunitatis priuilegio, ne in ſuſtinenda Eccleſiaſtica immunitate pluſquam par eſt, aberret à recto, aut extra fines ab Eccleſia præſcriptos imprudenter euagetur. Loca verò, quæ communiter reputantur immunia, ſunt omnia loca Sacra, aut Religioſa, quæ ipſa religione conſecrantur; ſic ſtatuente Conſtitut. Greg. XIIII. pro immunitate ad illa verba, *ab Eccleſijs, Monaſterijs, Sacellis, Domibus regularibus, ac ſæcularibus, locisue ſacris, aut religioſis*, quæ vltima verba, videntur continere omnia genera locorum, quæ gaudent immunitate, quemadmodum infra ſubdit alia ſimilia verba, *delinquentes ad eorum Eccleſias, Monaſteria, Domus, & alia loca ſupradicta ſacra, ſeu religioſa reſpectiuè confugientes &c.* ex quibus colligitur, quod loca, quæ nec ſunt ſacra, ſeu conſecrata, nec ſunt religioſa, non gaudere immunitate; vnde erraret Epiſcopalis Prudentia, ſi Campanilia, quæ ſunt ſeiuncta ab Eccleſia, & alia eiuſmodi loca diſtantia, quæ non ſunt conſecrata, neque benedicta, vt ſunt Eccleſiæ, & Cæmeteria, neque ſunt religioſa, vt illa, in quibus exercentur opera pietatis, & Religionis, vt ſunt Monaſteria, & Hoſpitalia authoritate Epiſcopi erecta, ſuſtineret tamquam loca gaudentia immunitatis priuilegio; neque Campanile ſeiunctum ab Eccleſia eſt locus conſecratus, aut benedictus, neque locus, in quo exerceantur opera pietatis, & Religionis &c. Neque obſtat quod Campanile ſiuè ſeiunctum, ſiuè vnitum Eccleſiæ, ſit ſemper pars integralis eiuſdem Eccleſię, & conſequenter gaudeat eodem priuilegio, cum Campanile ſemper exigatur ab Eccleſia tamquam pars à toto; Dico enim Campanile ſeiunctum dici tantum partem Eccleſiæ materialem, ſcilicet, ſi Eccleſia conſideretur, tamquam aliquid materiale, non verò eſſe partem formalem, ſpectantem ad Eccleſiã, formaliter vt Eccleſia eſt; & quatenus eſt locus Deo conſecratus ad cultum, ſic enim Campanile ſeiunctum non poteſt dici pars formalis Eccleſiæ, cum non ſit conſecratum, neque benedictum, & ideò ad ipſum non debet extendi priuilegium immunitatis, cum ad ipſum non ſe extendat forma rei, cui priuilegium debetur; nec dicendum eſt agi hic de fauorabilibus, quæ debent extendi, & ampliari; dico enim id eſſe verum, quando fauorabilia participant de eadem forma. Addo priuilegia immunitatis eſſe ſtrictè interpretanda, tamquam odioſa, & contraria Iuri communi, vt habetur *ex l. 1. ff. de Iure immunitatum*; derogat enim immunitas Iuri publico, quod vult; quod delicta non remaneant impunita, *ex l. ita vulneratus ff. ad legem Aquiliam*.

LEX CCLXXXVIII.

Suſtinenda, quoad fieri poteſt, immunitas Eccleſiaſtica in quocumque Palatio Epiſcopali.

NOn eſt à Prudentia Epiſcopali, quærenda ratio immunitatis in quocumque Epiſcopali Palatio, ſed ſupponenda; hæcque ſuppoſita, tamquam res certa, prudenter, & pro viribus ſuſtinenda, licet enim pleriſque

Doctoribus non videantur Epiſcoporum Palatia ſemper immunia, ſed tantum, quando ſunt Eccleſiæ coniuncta, vel annexa, quemadmodum dictum eſt de turribus campanarum; cum tamen in Ædibus Epiſcoporum adſit quędam ſpecialis ratio excellentiæ, & pręrogatiuæ, eò quod ſint Domicilium ſacerrimæ dignitatis, atque ab ipſa dignitate quoquomodo conſecratum, non eodem modo de illis, & de Campanilibus differendum eſt; quidquid dicat in contrarium Paſqualig. *q. 3. ſelect. Iurid.* cum alijs pluribus, quos ipſe refert, aſſerentibus, non ſatis eſſe, vt locus aliquis gaudeat immunitate, quod in ipſo exerceantur quædã opera pia, vt campanas pulſare ad cultum Diuinum promouendum, Miſſas celebrare, vt in priuatis Oratorijs, reliquias Sanctorum aſſeruare, & id genus alia; cum S. Congregatio Epiſcoporum die 17. Nouembris 1617. & S. Congregatio immunitatis die 9. Decẽbris 1631. iam declarauerint, illa non ſufficere ad obtinendum immunitatis priuilegium. De Palatijs igitur, vel Ædibus Epiſcoporum, etiamſi ſint vltrà diſtantiam triginta paſſuum ab Eccleſia, immò tameiſi ſint extra propriam Diœceſim, aliter ſentiendum eſt, cum de illis ſpecialiter nulla fiat mentio, neque nominentur expreſsè ad excluſionem priuilegij immunitatis, quæ expreſſio in odioſis fieri deberet. Quæcumque ergo Epiſcoporum Palatia, etiam Titularium in quacumque diſtantia, & etiam extra propriam Diœceſim poſita, vt loca immunitate gaudentia, ab Epiſcopis ſuſtinenda ſunt, ad formam Palatiorum Cardinalium in Vrbe Roma, quæ æque in Vrbe, & extra Vrbem gaudent dicto priuilegio, ſic docente Diana pluribus in locis, ex doctrina Sanchez, & aliorum. De Palatijs autẽ Epiſcoporum idem docet Diana *part. 12.* ex Azorio, & alijs.

LEX CCLXXXIX.

Immunitas Eccleſiaſtica localis ab Epiſcopis ſummoperè tuenda.

CAnones Sacri, apud quos habetur Eccleſiaſticæ immunitatis diſtinctio in localem, realem, & perſonalem, de ſingulis ſingillatim proferunt iura in Iure communi contenta, atque loca immunia recenſentes, decernunt etiam ad ipſa confugientes immunitate gaudere, non tamen omnes, ſed habita criminum ratione, ſic *ex can. Minor, ex can. Reum, ex can. Frater, ex can. Si quis contumax, ex can. Metuentes, ex can. Vxor, ex can. Definiuit, & denique ex can. Conſtituimus 17. qu. 4.* Neque ab Epiſcopis permittendum eſt, quod rei criminum ad Eccleſias, vel alia loca ſacra confugientes extrahantur, niſi præſtito à perſequentibus, vel extrahentibus Sacramento de perſonæ confugientis ſecuritate; quod ab ipſis Chriſtianæ fidei exordijs ſeruatum conſtat ex Concil. Arauſican. 1. *can.* 5. *ex Aurelianenſ.* 1. *can.* 1. *& ex Aurelianenſ. 4. can.* 21. quibus poſtremò addita eſt Conſtitutio Gregorij XIV. anno 1591. quæ incipit, *Cum alias nonnulli, &c.* vbi plura ſtatuuntur circa ea, quæ ſpectant ad ſecuritatem reorum confugientium ad Eccleſias, & alia loca Sacra, in qua etiam excluduntur ab hac locorum immunitate publici latrones, & itinerum graſſatores, agrorum depopulatores, & illi omnes, qui intra Eccleſiam, Cœmeteriũ, & alia eiuſmodi loca ſacra, homicidia, vel hominũ mutilationes committunt, illi etiam, qui proditoriè homines trucidant, quos ſolemus veros aſſaſſinos vocare, deniq; hæretici omnes, & rei læſæ,

Maie-

Maieſtatis Principis quomodocumque; Præter iſtos iubet Conſtitutio Apoſtolica Gregorij reliquis omnibus criminum reis Eccleſiaſticam Immunitatem ſuffragari, quidquid habeatur in contrarium ex Gallica conſuetudine, ex qua, refert Caballut. *num.* 21. non gaudent immunitate Eccleſiæ, niſi cōfugientes ad illam ære alieno grauati, qui ſoli in Eccleſia, nec ibi capi poſſunt, nec inde extrahi. Illa etiam Eccleſiaſtica immunitas ab Epiſcopis ſummoperè tuenda eſt, qua prohibentur in Eccleſijs omnes prophani vſus, & prophanę negotiationes, iuxta exemplum Domini à templo eijcientis omnes vēditores, & emptores; domum namq; Dei decere ſanctitudinem, patet ex *Pſal.* 93. Vnde ab Epiſcopis debent prohiberi omnes baiulorum tranſitus, ſi cum mercibus, vel oneribus tranſeant. Neque debent permitti in Eccleſijs, Cœmeterijs, vel alijs huiuſmodi locis ſacris ſtrepitus forenſes, vel iudiciales actus, vel proceſſus; hæc enim omnia prohibentur fieri in Eccleſijs, & locis ſacris *ex cap. cum Eccleſia de immun. Eccleſ. & ex c. Decet. in* 6. quin immò quæcumque iudiciales ſententiæ in Eccleſijs latę *ex eodem c. Decet in fine*, dicuntur nullæ, & irritæ, idque ad ſeruandam illæſam in omni genere Eccleſiæ immunitatem.

LEX CCLXXXX.

Etiam Immunitas Eccleſiaſtica Realis, & Perſonalis ab Epiſcopis acerrimè propugnanda.

DE Eccleſiaſtica immunitate reali, & perſonali breuiter, & dilucidè tractari non poteſt, niſi diſtinguatur in hac materia, quænam ſit immunitas de iure diuino, quænam verò de iure humano, cum certum ſit, immunitatem de iure Diuino eſſe prorſus immutabilem, & indiſpenſabilem, quod dici nō poteſt de immunitate iure humano introducta, quæ eſt diſpenſationi, & etiam humanæ mutationi obnoxia iuxta nouos vſus, & nouas legitimi temporis præſcriptiones, & conſuetudines, quæ poſſunt quaſcumque leges humanas infringere ad differentiam Iuris Diuini, quod nulla diſpenſatione, nulla præſcriptione, aut oppoſita conſuetudine infringi poteſt ab hominibus, cum ſit ſuperioris ordinis ad quodcumque Ius humanum, vt habetur ex communi Ciuili, & Canonica doctrina. Igitur extra omnem dubitationis aleam, ſtatuendum eſt, Eccleſiæ poteſtatem, & authoritatem circa illa omnia, quæ ſpectant ad rerum fidei definitionem, ad Cleri diſciplinam, ad Euangelij doctrinam, ad verbi Dei prædicationem, ad internum, & externum animarum regimen, ad Sacramentorum adminiſtrationem, & denique ad beneficiorū, aliorumque miniſteriorum Eccleſiæ à Diuina inſtitutione corriuaſſe, atque in his omnibus Eccleſiam ipſam habere immediatè à Deo iuriſdictionē, cui nihil poteſt opponi à quacumque temporis præſcriptione, vel conſuetudine, & conſequenter ea omnia, quæ vi huius poteſtatis, & iuriſdictionis ſunt immunia, in quocumque caſu talia eſſe, & eſſe immutabilia, quibus nulla poteſt, aut hominum temeritas, aut temporum diuturnitas derogare. Cum verò præter immunitates Eccleſiæ, quę ſunt Diuinæ, atque adeò immutabilis inſtitutionis; aliæ quædam ſint immunitates, de quibus diſputatur inter Catholicos, an ſint immediatè à Deo, vel ab ipſa Eccleſia, & Sacris Canonibus, ideò videndum eſt, quęnam ſint illæ, quæ verè ab Epiſcopis ſunt acerrimè

pro-

propugnandę, abſque vlla diſpenſatione, vel relaxatione. Etiam immunitates bonorum Eccleſiæ temporalium, nec non Clericorum exemptiones, & priuilegia, quoad cauſas merè reales, & temporales, voluere quidam Doctores, eſſe de iure Diuino, & eſſe ſemper nefas ex aliqua præſcriptione, vel conſuetudine eas violare, vel imminuere, quæ doctrina videtur deduci *ex cap Quamquam de Cenſibus in* 6. vbi Bonifacius Papa VIII. aſſerit, Eccleſiam, & Clericos eſſe vna cum rebus ſuis iure Diuino à ſæcularium oneribus, & exactionibus exemptos. At alij plures grauiſſimi Doctores, huic Doctrinæ nõ aſſentientes aſſerunt, immunitates eiuſmodi eſſe tantum de iure humano; quod colligunt *ex Canon. Tributum Vrbani Papæ, & ex c.2. de maior. & obed. Innocentij IIII.* ac propterea pati pręſcriptiones, & conſuetudines in contrarium. Quidquid ſit de hac quæſtione, habemus apud Bald. *in l. Placet de ſacroſanct. Eccleſ. & ex canon. benè quidem diſt.*96. *c. Eccleſia, & ex c. Aduerſus de immunit. & ex c. Nouerint de ſent. Excom. & ex c. Quamquam de Cenſibus in* 6. bona omnia Eccleſiaſtica, quæ ſpectant ad immunitatem realem verè eſſe immunia, exceptis illis Eccleſiæ, vel Clericorum bonis, quæ transferuntur negotiandi cauſa, quæ *ex c. Quamquam* ſubijciuntur tributorum oneribus; vel etiam fundis, qui quocũque titulo transferuntur de manu laica in Eccleſię dominium, talia enim bona tranſeunt cum ſuis oneribus, quæ habebant antea *ex cap. ſi quis Laicus, & ex c. Paſtoralis de Decimis, & ex c. ex Litteris*, & alibi, nemo enim plus poteſt Iuris in alium transferre, quàm ipſe habeat *ex l. Idem plus Iuris ff. de reg. Iur.* Sic etiam patrimonia, ad quorum titulum Clerici promouentur ad Sacros ordines remanent oneribus realibus ſubiecta, nec gaudent, aut gaudere poſſunt immunitate beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum ſemper remaneant res purè temporales, & tranſeant ad hæredes. Hæc pauca obiter tacta ſunt, cum plura, & plura remaneant tangenda in hac materia apud DD. communiter diſputata. Videri poteſt Caballut. *lib.* 1. *de Iur. Can. c.*18.

LEX CCXCI.

Furantibus in Eccleſia non permittenda ab Epiſcopis Immunitas in eadem Eccleſia, in qua furantur.

PRudentię Epiſcopali, ſufficientem videtur ponere legem Bulla Gregorij XIV. de Immunitate Eccleſiarum, vbi quædam tantùm delicta excipiuntur, quibus nulla Eccleſiæ Immunitas conceditur; Vnde concluditur, quod omne aliud delictum, præter excepta in illa Bulla gaudeat Priuilegio Immunitatis, etiamſi ſit furtum factũ in Eccleſia, quod non eſt de exceptis. Prudentia tamen Epiſcopalis in hac materia, duo debet diſtinguere; primum eſt, quod furans in vna Eccleſia, & ad aliam confugiens, vt ſe ſeruet tutum, & incolumem, verè gaudet Immunitatis Priuilegio: Secundum eſt, quod furans in vna Eccleſia, & manens in illa eadem ob ſecuritatem, non gaudet Immunitate; & ratio eſt, quia Priuilegium Immunitatis conceditur tantum confugientibus ad Eccleſiam, vt patet ex verbis ſupradictę Conſtitutionis Pontificiæ §.3. confugientes autem ij tantum dicuntur, qui ad Eccleſiam recurrunt, vt auxilium implorent, & patrocinium; confugere enim id ſolum ſignificat, vt volunt multi Doctores, & notat etiã Calepinus *V. Confugio*, iuxta illud Virgilij 1. *Æneid. Ad te confugio, & ſupplex tua Numina poſco*; ille verò, qui accedit ad Eccleſiam, vt furetur non

non accedit, vt imploret auxilium, ſed potius, vt inferat iniuriam, & propterea non dicitur verè confugiens ad ipſam, neque comprehenditur ſub Priuilegio Bullæ tantum confugientibus conceſſo. Additur, quod cauſa finalis concedendi Immunitatem confugientibus ad Eccleſiam, eſt, vt illis adhibeatur miſericordia, & tamquam pœnitentes de delicto recipiantur, & protegantur, non verò, vt ipſorum delicta foueantur; eſt enim Eccleſia Iuſtitiæ cõſeruatrix, non violatrix, ac propterea ſi foueret furta ſibi facta, & illatas iniurias, delictis, & iniuſtitiæ daret manus, quod eſt abſurdiſſimum. Ex quo notant Suarez *tom.1.de Relig. tract.2. de Immunit.* Peregrin. *de Immunit. cap.12.* & Sperell. *deciſ.127. num.35.* eſſe Eccleſiæ cõſuetũ, quando fures ad ipſam confugiunt, res furtiuas, ſi extent, de manibus furantium auferre, vt ſuis dominis illas reſtituat, quod fit ne videatur Immunitas conceſſa ad delictorum patrocinium.

LEX CCXCII.

Furantibus in vna Eccleſia permittenda ab Epiſcopis Immunitas, ſi confugiant ad aliam.

VBi Prudentia Epiſcopalis agnoſcit verè eſſe furantium confugium ad Eccleſiam, non poteſt, nec debet Immunitatem negare iuxta Conſtitutionem Gregorij XIV. & alias rationes allatas in præcedenti; exceptis enim delictis expreſſis in Bulla, reliqua omninò Immunitate gaudent Eccleſiæ, ſuppoſito, quod ſit ad illius quærẽdum patrocinium verum confugium; idq; certum eſt, tum ex Iure Ciuili, tum ex Iure Canonico, & vtriuſque leges, & Canones affert Paſqualig. *loc. cit. nu.3.* *addens Rota deciſ.434. part.3. recent.* tota difficultas eſt de illis, qui poſt ablatum furtum reuertuntur ad illam Eccleſiam, cui furati ſunt, primùm vt reſtituant res ablatas; deinde vt tutelam, & patrocinium implorent; pro qua tamen reſoluendum eſt, ſic furantes, & reuertentes ad eamdem Eccleſiam priuilegio Immunitatis gaudere, cum verè tamquam pœnitentes ad illam confugiant, & protectionem Eccleſiæ promereantur; ſolum enim excluduntur actu delinquentes in Eccleſia, & ad ipſam non confugientes, in quibus ceſſat ratio finalis patrocinij, quæ non debet ijs patrocinari, qui iniuriam, & damnum inferunt. Quæ ratio, & doctrina militat etiam pro illis, qui licet non furentur Eccleſię, furantur tamen in Eccleſia, nimirum, vel crumenam, vel aliquid aliud ſimile; agunt enim ſemper contra reuerentiam debitam Eccleſiæ, eique iniuriam inferunt, ex quo nullum promerentur Eccleſiæ patrocinium, neque dicendi ſunt vllo modo ad Eccleſiam confugientes, & ideò illis non debetur patrocinium, alioquin diceretur Eccleſia delictis patrocinari; vnde concludendum eſt, quod etiam ſic furantes, ſint ab Eccleſia eijciendi; licet enim ſemper Eccleſiæ inferentes iniuriam ab eadem Eccleſia remouere in punitionem delicti in ipſa perpetrati.

LEX CCXCIII.

Non eximendi à foro ſæculari, tamquam Immunes, qui ſolo adſtringuntur voto Clericatus, vel Religionis.

PArs eſt potiſſima Epiſcopalis Prudentiæ, immunitatem, & libertatem Eccleſiaſticam tueri, atque illæſam omninò ſeruare, & in rebus omnibus,

ne

ne quid nimis agatur cauendum eſt; quandiù enim Clericatus, vel Religionis votum ſuum non ſortitur effectum, certum eſt, in eodem ſtatu perſonam relinquere, in quo erat prius, & ſic illā relinquere foro laico ſubiectam; cum votum ſit promiſſio Deo facta de re, quę promittitur ſuo tempore prętanda, & promiſſio rei faciendę non dicit rem factam, ex qua ſolum vouens eximetur à foro ſęculari; ſunt enim ſemper actus diſtincti, factum, & promiſſio facti, non ſolum ratione temporis, ſed ratione ipſius rei, quę nō eſt formaliter eadem, vt facta, & vt facienda, quemadmodum promiſſio de vendendo, nō eſt venditio, & ſic de ſimili, &c. neque primus actus ex natura ſua includit ſecundum, vt habemus ex Iure Ciuili *l. ſi quis ſtipulatus &c.* & ex Rota coram Ludouiſio *deciſ.* 28. *n.* 2. *& deciſ.* 348. *n.* 3. Neque pro contraria ſententia admittenda eſt hic ab Epiſcopis illa doctrina, quod ſcilicet Iudex ſæcularis non poſſit impedire, ne impleatur votum, ac proinde ſub hac ratione emittens votū Clericatus, vel Religionis ſoli ſubdatur Eccleſiæ; ſi enim ſubderetur Iudici Laico, Iudex Laicus puniendo, vel in carcerem detrudendo vouentem poſſet votum impedire, quod non admittunt, neque in Iure Ciuili Bald. Iaſon. Ferrat. & alij apud Paſqualig. *Q. Moral. Iurid.* 169. Habemus namque ex eodem Iure Ciuili, nec votum, nec iuramentum habere vim mutandi forum, cum ſolum id habeant, quod addant forum foro, vnde non poſſunt tollere ſubiectionem, quam vouētes habebant foro laico, antequam emitterent votum.

LEX CCXCIIII.

Neque cenſendi ab Epiſcopis exempti à foro Sæculari delinquentes contra votum emiſſum de non delinquendo contra votum Clericatus, vel Religionis.

CVm votum Clericatus ſit quid omninò ſpirituale, ac propterea etiam delictum ſequatur naturam voti, non ità perſpicuum eſt Prudentiæ Epiſcopali, an tale delictum, quod videtur purè ſpirituale, ſubtrahat delinquentem à Laica Iuriſdictione, & idcircò dignum duxi in hac materia aliquam doctrinæ legem conſtituere, ab Epiſcopis amplectendam. Igitur ſtatuendum eſt delictum perpetratum, etiam contra votum emiſſum non delinquendi in tali materia, non ſubtrahere delinquentem à foro Laico, cum certum ſit, Iuramenta, & vota non mutare forum, ſed ſolummodò addere forum foro, quod deſumitur ex Iure Ciuili, & etiam ex Iure Canonico in *cap. licet mulieres de for. compet.* vbi Bonif. VIII. id apertè decernit; & ratio eſt, quia delinquens, etiam contra votum, & iuramentum, ſemper eſt Laicus, & ideò ſemper ſubijcitur Iuriſdictioni Sæculari; non enim vota, & iuramenta priuata habent vim extrahendi perſonas à foro, in quo reperiuntur etiam dum vouent; & ſemper ſubſiſtit finis politicus optimi regiminis, quod delicta puniantur contra leges comiſſa. Nec obſtat textus in *cap. fin. de foro competen.* vbi dicitur, reum quemcumque ratione iuramenti eſſe conueniendum coram Iudice Eccleſiaſtico, quia ibi non agitur de iudicando in materia, circa quam verſatur iuramentum, ſed de obſeruantia iuramenti,

menti, in qua non eſt competens Iudex Laicus. Deinde, dato, quod pro obſeruantia iuramenti Iudex Eccleſiaſticus eſſet competens ratione materiæ ſpiritualis, non dicitur tamen competens priuatiuè quoad Sæcularem, quando adſit materia iudicij Sæcularis, ſed cumulatiuè, nam etiam Iudex Sæcularis quoquomodo cogere poteſt ad obſeruantiam iuramenti *ex cap. licet mulieres de Iureiurando in* 6. vbi Abbas id expreſſè docet.

LEX CCXCV.

Non admittenda ab Epiſcopis Matrimonia ſine ætate requiſita.

INter cætera Epiſcopalis Prudentiæ munera illud eſſe nequaquam ſpernendum, docent communiter Doctores, quod in connubijs ſolet attentè ætas coniugantium inueſtigari, vt matrimonia ineunda per habilem ætatem ſuum queant effectum ſortiri; ætas verò ad matrimonium requiſita, cum pubertatem importet, quæ in maſculis anno quattodecimo perficitur, in fœminis verò anno duodecimo, eſtq; neceſſariò ſub tali annorum numero reſtringenda; atque ab Epiſcopis conſideranda quod ſtatuitur *in cap. Impuberes de deſponſat. Impub. & in cap. Atteſtationes, & in cap. ex litteris,* vbi habentur hæc verba præciſè *donec compleat per annum decimumquartum,* & denique *in cap. fin. eodem tit.* vbi affertur caſus quidam de filia habente circiter annos duodecim, de quo tamen matrimonio ibidem ſtatuitur, talem filiam non fuiſſe nubilē defectu ætatis requiſitæ. Ratio huius doctrinæ eſt, quod ad contrahendum matrimoniū requiritur ætas habilis ad copulā, quæ ante numerū prędictorum annorum non poteſt intelligi, neque in mare, neq; in fœmina, vt docet Gloſſ. *ad cap. Puberes, &c.* Non eſt igitur in hac re diutiùs immorandum, cum ſit talis ætas per Sacros Canones conſtituta. Difficultas eſt, an verè requiratur eiuſmodi ætas perfectè completa, an ſufficiat, quod annus poſtremus determinatus ſit tantummodo inceptus, in qua re cum valdè diſſentiant inter ſe Doctores erunt in ſequenti lege ipſorum doctrinæ breuiter, vt moris eſt, examinandæ.

LEX CCXCVI.

Ætas requiſita annorum tali, & tali numero ad matrimonium ab Eccleſia præſcripta ab Epiſcopis exigenda, quod ſit perfectè completa, etiam quoad paucos dies.

NOn debet eſſe nouum Epiſcopali Prudentiæ, quod etiam in rebus moralibus ratione temporis admittatur materię paruitas, quæ excuſat à peccato in ſententia multorum; vnde dicuntur excuſari à peccato, qui ex voto tenerentur per annum ieiunare, & tantum per decem dies omitterent ieiunium; ſic de obligatione celebrandi per annum, & de reliquis eiuſmodi caſibus; parum enim in quacumqūe materia pro nihilò reputatur: & ex hac fortaſſis doctrinæ paritate docent plures Doctores apud Paſqualig. *Qu. Moral. Iurid.* 158. poſſe admitti ab Epiſcopis matrimonia tamquam valida, tametſi ad complendam præſcriptam ætatem à Iure Canonico deeſſent pauci dies vſque ad denarium numerum, cum illa ætas per ipſos non phyſicè, ſed moraliter ſit computanda, & quod parum diſtat, nihil diſtare videatur. Attamen eſſe ab Epiſcopis exigendum integrum complementum ætatis præ-

ſcriptæ abſque vllo dierum defectu docent alij plures, qui afferunt declarationem Sacræ Congregationis In Reatina die 14. Iunij 1621. in qua nullum dixit matrimonium factum cum Puella, cui ſex dies deerant pro complemento anni duodecimi, quod tamen intelligitur, niſi malitia ſuppleat ętatem, vt habetur *in cap. fin. de Deſponſat. impub.* Additur etiam *textus in cap. ex litteris de deſponſat. impub.* vbi Sum. Pontifex Vrbanus III. decernit, quod pro valido contrahendo matrimonio expectandum ſit in Puero complementum anni decimi, & quarti, ſi autem deeſſet aliquod tempus, nunquam poſſet intelligi anni complementũ, neque ſi vnus dies deeſſet; neque enim eſſet completus annus, neque in hac materia habendus eſſet pro completo; annus namque non completus non poteſt numerari pro anno *ex l. Anniculus ff. de verbor. ſignificat.* Ratio iſtius doctrinę eſt, quia tempus, quod aſſignatur à Iure computatur de momento in momentum, niſi aliud ſit ſtatutum in ipſo Iure, quod tradunt plures Iuriſtæ citati à Paſqualig. *loc. cit.* cum autem ſit à Iure determinatum, & præſcriptum complementum ætatis habilis ad contrahendum, non poteſt aliquid tolli de illo temporis complemento.

LEX CCXCVII.

Matrimoniorũ impedimenta, ſiue dirimentia, ſiue tantum impedientia non niſi ex iuſta, & rationabili cauſa ab Epiſcopis diſpenſanda.

IMpedimenta matrimonij, quæcumque ſint, ex ſola rationabili, & iuſta cauſa eſſe ab Epiſcopis diſpenſanda tradunt communiter DD.; habemus enim in iure Canonico, nullam poſſe fieri diſpenſationem, niſi fiat ex cauſa, quę quidem debet ſemper eſſe rationabilis, & iuſta; etiam in ijs, quæ ſpectãt ad Summos Pontifices, in quibus eſt plenitudo Eccleſiaſticę poteſtatis, quod aduertit Pyrrh. Corrad. *in Diſpenſ. Apoſt.* Licitæ autem, & inculpabilis diſpenſationis duę ſtatuuntur cauſæ *in c. Mutationes qu. 7. & in c. Expoſuiſti de Prabend.* nimirum neceſſitas, & vtilitas notabilis, quæ ſolent in pluribus caſibus contingere, quos colligit Zerola *p. 1. V. Diſpenſatio,* præter quos prohibet Concilium Trid. *Seſſ. 24. cap. 5. de refor.* omnem diſpenſationem; & in certis matrimoniorum impedimentis dirimentibus ſolus Papa regulariter diſpenſare poteſt, cum ſint, vel à Concilijs generalibus, vel à Pontificijs Conſtitutionibus inſtituta, ſuper quibus nihil poſſunt Epiſcopi, cum ſit Epiſcoporum poteſtas illis longè inferior, & ſubdita, vt habetur *in c. Inferior diſt. 21. Clementin. Ne Romani de elect.* vbi notat Cabaſſut. *in Iur. Canon. cap. 26. num. 3.* quædam eſſe matrimonij impedimẽta à Iure naturę introducta, qualia sũt matrimonia in linea recta aſcendentiũ, & deſcendẽtiũ quę neq; Papa, neq; Concihũ poſſunt diſpenſare. Epiſcopi igitur licet non poſſint, vt poteſt Papa in impedimentis dirimentibus diſpenſare regulariter, poſſunt tamen quandoque, immò debent attentis circumſtantijs, diſpenſare, vt quando matrimonium bona fide ex ignorantia Iuris, & facti contractum fuit in facie Eccleſiæ, ſi tamen impedimentum ſit occultum, neque poſſit adiri prima Sedes ob coniugum paupertatem, ruſticitatem, locorum diſtantiam, aliaſque ſimiles cauſas, neque poſſint citra ſcandalum coniuges ſeparari, & vrgeat periculum offenſę Dei, in eiuſmodi caſibus ne dum poſſunt, ſed debent Epiſcopi diſpenſare

re quoad forum conſcientię, & eſt communis Summiſtarum, & Theologorum doctrina. Quin immo addit Zerola *l.c.* ſe habuiſſe reſponſum ab Vrbe Romana, penes Epiſcopos Iure ordinario eſſe poteſtatem diſpenſandi in eiuſmodi impedimentis, ſi concurrant ſex ſequentes circumſtantiæ. 1. Vt iam fuerit contractum matrimonium. 2. Vt contractum fuerit ignoranter quoad impedimentum. 3. Vt ſit iam conſummatum. 4. Vt impedimentum ſit occultum. 5. Vt partes tali laborent paupertate, vt non poſſint ire, vel mittere ad Papam, vel ad Legatum. 6. Vt ſi fiat ſeparatio oriatur ſcādalum. Atque huiuſmodi Epiſcoporum poteſtas intelligenda eſt circa matrimonia irrita, ſed iam bona fide contracta; nam circa contrahenda arctior eſt Epiſcoporum poteſtas, & rarò contingit, poſſe Epiſcopos in hac parte diſpēſare, quoad impedimenta dirimentia, quandiù res adhuc eſt integra; licet Sanchez *de matrim. lib. 2. diſp.* 40. afferat caſum, in quo docet ipſe, poſſe Epiſcopum diſpenſare, etiam in matrimonio noudum contracto, ſed contrahendo, cum impedimento irritante, qui caſus cum ſit fusè deſcriptus, apud ipſum videri poteſt.

LEX CCXCVIII.

Non diſpenſanda ab Epiſcopis illa impedimenta dirimentia, cum quibus ſcienter, & ex malitia matrimonia contracta ſunt, vel conſummata.

Ex Trid. *Seſſ.* 24. *cap.* 5. *de refor.* non eſt ijs impertienda ab Epiſcopis diſpenſatio, quibus in contrahendis matrimonijs in gradibus prohibitis, aut bona fides, aut probabilis ignorantia non ſuffragatur, atque ad id maximè ſpectare debent Epiſcopi, ne ſub aliquo prætextu inualidę diſpenſationes per Pontificias ſubreptiones obtentæ ab ipſis approbentur, vel admittantur. Ille igitur, qui in gradu prohibito, aut cum alio quouis impedimento dirimente ſciens, & volens, irritum contraxit, aut conſummauit matrimonium ad hunc finem, vt ſibi facilius diſpenſetur, ſi non ſincerè, & explicitè apud Papas explicauit iſtas circumſtantias præmiſſi irriti matrimonij, aut copulæ conſummatę ad hunc finem facilius obtinendæ diſpenſationis, quę intentio neceſſariò exprimenda eſt, ſemper dicitur inualidam, & ſubreptitiam diſpenſationem obtinuiſſe iuxta *c. ſuper Litteris* 20. *& c. Dilectus* 26. *de reſcript.* vbi Couarr. 2. *part. de Sponſal. c.* 6. & Zerola loco ſupra citato, admonent Epiſcopos, vt hoc aduertant, & diſtrictè prohibeant cohabitationem ſponſorum, antequam veniat ab Vrbe Roma diſpenſatio. Quoniam verò ſæpè contingit, vt qui contrahunt matrimoniū cum impedimento dirimente, dum diſpenſationem expectant, interim inter ſe illum conſument poſt pręmiſſam ſupplicationem diſpenſationis (nam ſi ante ſupplicationem conſument, vt dixi, prorſus inualida erit diſpenſatio) quæritur hic, vtrum habita copula poſt datam ſupplicationem, valida ſit diſpenſatio; & cum communi doctrina reſpondendū eſt, valere, quia vbi preces veritate nituntur, nunquam dicitur ſubreptitia, aut inualida diſpenſatio; maximè quia ſupplicatio ſupponitur expedita ante illum defectum conſummationis irritantem, licet conſummatio matrimonij contigiſſet nondum confectis, aut expeditis litteris diſpenſationis, quod benè notauit Zerola *V. Diſpenſatio* apud Caballut. Quando verò à Sacra Pœnitentiaria conceditur

Epiſcopis, aut alijs delegatis facultas diſpenſandi cum aliquibus circa matrimonij impedimenta, debent Epiſcopi, vel Delegati primum inquirere, vtrum res ita ſe habeat, ſicut expoſita fuit Apoſtolicæ Sedi, cum ſemper in diſpenſationibus ponatur clauſula *ſi ſic eſt* atque clauſula verificata, tunc erit facienda diſpenſatio, quæ nunquam ſortitur effectum à die obtenti mandati Apoſtolici, ſed à die in quo facta eſt diſpenſatio ab ipſis Epiſcopis, vel Delegatis, & hæc ſunt maximè aduertenda.

LEX CCXCIX.

In cauſis Matrimonij non ſemper delegandæ ab Epiſcopis plures matronæ ad inſpiciendum de Virginitate.

QVo ſe vertat Epiſcopalis Prudentia in cauſis grauiſſimis Matrimonij, in quibus eſt accuratè probandum de alicuius fœminæ Virginitate, ambigit plerumque, immò quodnam capiat conſilium in re tanti ponderis penitus ignorat. Non eſt autem ab Epiſcopis in eiuſmodi cauſis amplectenda illorum opinio, qui cum Paciano *in l. 2. de probat. cap. 2. num.* 26. aſſerunt ad teſtificandum de alicuius mulieris Virginitate, ſaltem ſeptem fæminas inſpectrices eſſe neceſſarias, cum numerus iſte in nulla lege, aut Conſtitutione ſignetur, vt doctè notat Paſqualig. *deciſ.* 221. nec colligitur iſta neceſſitas *ex cap. propoſuiſti de probat.* nam ibi tantum habetur factum, in quo ſeptem fæminæ fuere Inſpectrices Virginitatis cuiuſdam puellæ, quæ etiam iuramento ſuam Virginitatem confirmauit, non verò decernitur, quod ſeptem ſint neceſſariæ, & licet ex Gloſſ. *V. quinque ad l. 1. §. ſi omnes, vel plures*, ſi adſit iuſpicio de muliere prægnante adhibendæ ſint quinque obſtetrices, idem non eſt inferendum ad probandam Virginitatem; quia in illo caſu, qui eſt ſpecialis, & diſparatus, à quo nec poteſt, nec debet fieri illatio, & in quo agebatur de præiudicio tertij ob hæreditatem, militat ratio diuerſa, eſſet enim contra legem naturæ, ſcilicet contra legem naturalis honeſtatis, ſi plures fæminæ adhiberentur ad inſpiciendam Virginem, vbi vna poſſet ſufficere, & magno grauaretur incommodo, & præiudicio virginalis pudor. Neque obſtat, quod vna ſola facili negotio decipiatur in re tanti momenti, cum ſæpè ſæpius non ſit adeò perita, & etiã poteſt dari caſus, quod vna mulier non ſit adeo verax; in his enim caſibus ità ſe gerere debet Epiſcopalis Prudentia, vt ſolum matronam peritam, honeſtam, & veracem deleget, quoad fieri poterit; & ſemper præ oculis erit habendum incommodum honeſtatis, fæminæ inſpiciendæ, & iudicandæ de Virginitate, & hæc eſt doctrina, quæ colligitur ex Gloſſ. *cap. nec aliqua Verbo obſtetricum quæſt.* 27. ex Bald. *cap. propoſuiſti de probat. num.* 4. *verbo item quia* ex Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp.* 109. & ex alijs pluribus.

LEX CCC.

Quandoque ab Epiſcopis delegandæ plures matronæ ad inſpiciendum de Virginitate in cauſis Matrimonij.

EAm preſcribunt Epiſcopis Prudentiæ legem in materia tam ardua Iuriſconſulti plures apud Paſqualig. *deciſ.* 222. vt ſi vnica matrona ſit fide digna, & perita, poſſit ab ipſis delegari ad inſpiciendum de Virginitate, dummodò tamen in eodem loco non ſint

aliæ

aliæ; Canoniſtæ verò quamplurimi docent abſolutè, vnicam matronam nunquam ſufficere, & nullo caſu eſſe ab Epiſcopis delegandam, cum ſit res admodum ardua, & cognitu difficillima, in qua vna tantum perſona, quamuis fide digniſſima, non poteſt eſſe ſatis ad ferendum teſtimonium; maximè cum ſemper in his caſibus agatur de ſoluendo Matrimonio, ac de tranſeundo ad alias nuptias, in quibus Epiſcopi cautè admodum, & prudenter debent procedere, cum ſemper interueniat animarum periculum. Sic præ cæteris Abbas *cap. propoſuiſti num.5. de probationibus* Garzias *de expenſ. cap.24.nu.*20. Sanchez, & alij *ad l. iuriſiurandi in fine cap. de teſtibus, & cap. licet vniuerſis de teſtibus &c.* ſaluo tamen ſemper meliori iudicio, eam prudentiæ legem eſſe ab Epiſcopis adhibendam cenſeo; quod ex natura rei vnica matrona, tamquam ſufficiens ſit delegatda, dummodò ſit perita, & apta ad Iudicium talis rei; idque ratione ſuprapoſita, ne honeſtati naturali damnum, & præiudicium inferatur, cum enim in his caſibus matronæ delegentur tamquam Iudices, licet dicantur etiam teſtes oculati, & vnus ſemper ſufficiat Iudex ad ferendũ iudicium, dummodò ſit peritus in arte, non debent, in hoc iudicio plures matronæ multiplicari. Quod verò inſpectrices delegentur tamquam Iudices, & non tamquam puri teſtes, ex facto ipſo conuincitur, nam ab Epiſcopis delegantur vt verè iudicent, an mulier ſit Virgo, an verò corrupta, in quo iudicio ſemper ſiſtendum eſt tamquam in lata ſentẽtia; quod deſumitur etiam ex *cap. cauſam Matrimonij de probat. & ex cap. quia iudicante &c.* cum igitur ex praxi tàm in foro Ciuili, quàm in foro Criminali vnus ſufficiat Iudex delegatus, vna quoque erit ſufficiens matrona delegata. Poſſunt tamen Epiſcopi ex rationabili aliqua cauſa, etiam plures inſpectrices delegare, quæ tunc contingit, quando vna non cenſeretur ſufficienter perita, vel fide digna, cum habeamus ex text. in re tàm ardua ſæpè oculos ipſos, & manus ipſas decipi, & hæc doctrina videtur etiam conſona *cap. propoſuiſti, & cap. cauſam Matrimonij, & cap. fin. de frigidis.*

LEX CCCI.

Diſpenſanda ab Epiſcopis quandoque etiam vota Summo Pontifici reſeruata.

QVotieſcumque adeſt impedimentum adeundi Summum Pontificem, & neceſſitas cogit, vt diſpenſatio maturetur vel pro votis reſeruatis, vel pro reſeruatis cenſuris, communis doctrina eſt, quod poſſint, & debeant Epiſcopi in tali caſu ijs ligatos abſoluere, & diſpenſare, & ratio deſumitur ex Epicheya, ſiue ex rationabili Pontificiæ mentis interpretatione, ſupponendo, quod Summus Pontifex noluerit cum tanto rigore ſibi vota reſeruare, ſed contentus ſit, vt, occurrente graui neceſſitate, & impotentia ad ipſum accedendi, talis poteſtas deuoluatur ad Epiſcopos; quam doctrinam de votis, & cenſuris tradunt præ cæteris Henriquez *lib.6. c.16. n.1. & c.9. n.7.* Sanchez *lib.2. de Matrim. diſp.*40. Auila *par. 2. de cenſur. c. 7. diſp.* 1. & cum iſtis alij plures. Verum tamen eſt, quod in tribus peregrinationum votis Papæ reſeruatis non ità facilè eſt ab Epiſcopis diſpenſandum, cum ſint vota, quæ includunt tempus ad libitum, vt plurimum, & poteſt executio differri, nec in ipſis poteſt ità facilè occurrere neceſſitas diſpenſationis, vt contingit in alijs, vt ſcitè notauit Suarez *lib.6. de vo-*

to cap.26. nam in votis perpetuæ continentiæ, & Religionis frequentius accidere ſolet neceſſitas, ob quam Epiſcopi poſſint, & debeant diſpenſare, præſertim ſi vouentes ſint coniugati, & etiam ſi ſint ſoluti, & adſit periculum incontinentiæ ex dilatione Matrimonij, vel aliud periculum ſcandali, & damni timeatur. In generali tamen conceſſione, ſiuè indulto pro alijs diſpenſandi in omnibus votis, illa quinque reſeruatā non debent intelligi cõprehenſa, quia quæ ſpecialiter reſeruãtur, ſpecialem etiam conceſſionis expreſſionem poſtulant, *ex c. ſi Epiſcopus de pænit. & remiſſ. in 6. & extrauaganti etſi Dominici*. Aduertendum eſt tamen, quod Epiſcopi diſpenſatio non vltra id ſe extendit, quod neceſſitas, quare illi omnes, cum quibus Epiſcopus diſpenſat ob dictas rationes, vel vt Matrimonium contrahant, vel vt contracto vti poſſint, ſemper contra votum peccabunt, ſi extra Matrimonium fornicentur, vel ſi, eo ſoluto, ad aliud tranſeant, ſine noua Pontificis diſpenſatione quod notant præ cæteris Suarez *l. c. cap.*26. & Sanchez *diſp.*40. *num.*40. Authoritas autem diſpenſandi in talibus caſibus conceſſa Epiſcopis eſt independens à quocumque alio delegato, ſiuè legato Pontificio prouinciali habente talem poteſtatem diſpenſandi, ad quẽ recurrere non eſt neceſſe illis, quibus legitimum adeſt impedimentum non adeundi Summum Pontificem, cum Epiſcopi id habeant à Iure, tamquam ordinarij Paſtores indepẽdenter à quocumque, vt notat Henriquez *lib. 6. de pænit.* quam poteſtatem non habent Prælati Regulares cum ſuis ſubditis, vt malè putant aliqui; dato enim, quod poſſint diſpenſare in aliquibus caſibus, qui vocantur Epiſcopales ordinarij, non tamen poſſunt in omnibus extraordinarijs, qualia ſunt vota reſeruata Pontificia per extraordinariam poteſtatẽ ſolis Epiſcopis deuoluta, vt optimè docent Rodriguez *tom.* 1. *q. Reg. q.* 63. Sanch. *lib.*2. *de Matrim. diſp.* 40. Miranda *in Manual. Prælat. tom.* 1. *qu.* 81. Henriquez *lib.*6. *de pænit. cap.*14. Suarez *l. c. cap.* 26. & alij plures.

LEX CCCII.

Etiam ab Epiſcopis diſpenſanda quæcumque vota reſeruata, quando de illorum valore, aut obligatione dubitatur à vouentibus.

Illud etiam erit ſummæ Prudentiæ Epiſcopalis opus, ſi quos nouerint Epiſcopi ſubditos ſuos ſcrupulis agitatos ob dubium de valore voti emiſſi, ſiuè dubium ſit Iuris, ſiuè facti, eos à tali voto abſoluere, & diſpenſare; cum enim votorum reſeruatio de ſua natura ſit quid odioſum; ideò ſecundum ſtrictam acceptionem ad certos tãtum caſus reſtringenda eſt, ità vt caſus dubios nunquam comprehendat, quod Suarez notauit etiam *de cenſuris diſp.*40. *ſect.*6. *num.*5. & Sanchez *lib.*1. *moral. cap.* 10. quæ doctrina intelligẽda eſt de illis caſibus, in quibus dubium de valore voti per ſe non liberat vouentes, ſed indiget, vel interpretatione, vel diſpenſatione ſuperioris; certum enim eſt, quod ex communi doctrina dubius de voto abſolutè non tenetur voto; ſic dubius de parte voti, non tenetur ad illam partem voti; vnde non mihi probatur illa ſententia quæ aſſerit indigere diſpenſatione Epiſcopi illud votum reſeruatum, ſi adſit dubium de reſeruatione, vt E. G. Si quis vouit caſtitatem, ſed dubitat, an quis vouerit perpetuam, & Pontifici reſeruatam, is non indiget diſpenſatione, ſed ſe ipſo ex tali dubio obli-

obligatur, quamuis Epiſcopi prudenter ad tollendos ſcrupulos debeant diſpenſare. Eodem modo cenſeo, non indigere diſpenſatione Epiſcopali illud votum, quod dicitur alternatiuum, quando ſcilicet quis vouit peregrinationem ad limina Apoſtolorum, vel ſolutionem centum aureorum in opus pium, nam quoad partem voti non reſeruatam, non eſt neceſſaria illa diſpenſatio, quæ fit ab Epiſcopis in caſibus, in quibus ipſis conceditur, poſſe etiam vota reſeruata diſpenſare, nam vna pars tantum cadit ſub reſeruatione, niſi vouens ſe obliget de nouo ad ſolam partem voti reſeruati, habemus enim ex *Reg. Iur. in* 6. in alternatiuis ſemper liberam eſſe debitoris electionem. Denique ſtatuendum eſt, Epiſcopos poſſe illa omnia vota diſpenſare, quæ priùs erant reſeruata, ſed poſtmodum commutata à Summo Pontifice in alia vota non reſeruata, nam eò ipſo, quod ſint in alia commutata, non remanent ampliùs illa, quæ erant priùs, nimirum reſeruata, & hæc omnia poterunt Epiſcopi pro libito diſpenſare, vel commutare. Neque obſtat, quod ſubrogatum induat naturam illius, cui ſubrogatur *ex c. Eccleſia, vbi Abbas num.* 3. nam ad ſummum id verum eſt quoad ea, quæ ſubrogantur per ſe, tamquam æquiualentia, non verò quoad ea, quæ ſubrogantur extrinſecè, & accidentaliter, vt ſunt alia vota non reſeruata, neque æquiualentia, in quibus tantum tollitur reſeruatio, quæ eſt quid extrinſecum. Addo, reſeruationem eſſe odioſam, vt dixi, & ideò non debere extendi ad materiam ſubrogatam ſine ſpeciali declaratione abrogantis.

LEX CCCIII.

Ab Epiſcopis diligenter cognoſcenda, & examinanda Miracula.

De Miraculis agunt Theologi plures cum D. Th. *p. part. quæſt.* 105. *art.* 7. & etiam Canoniſtæ plures cum Abbat. *in cap. cum Martha num.* 7. vnde non erit hic de hac materia diſſerendū, niſi quatenus ſpectat ad cognitionem Epiſcoporum in ordine ad illa probanda, & admittenda; & comprehenduntur hic vniuerſa Miracula, tum Sanctorum Beatificandorum, & Canonizandorum, tum etiam Sacrarum Imaginum, ad quæ omnia, vt optimè docet D. Thom. cum D. Auguſt., debet concurrere Deus, vt cauſa principalis operans modo extraordinario ſupra curſum naturæ, vel quoad ſubſtantiam facti, vel quoad modum operandi; id enim, quod à natura, vel in natura contingere poteſt per vires ipſius naturæ, nunquam erit dicendum miraculum, cum miraculum ſit aliquid mirandum omninò ſupra naturam, & ſupra vires cauſarum ſecundarum, principaliter operantium, cum miniſterialiter, & poſſint etiam creaturę ad miracula cōcurrere, ſaltem ſecundum modū operandi; miracula enim, quæ ſunt verè miracula ſecundum ſubſtantiam, & quæ excedunt vires totius, & vniuerſalis naturę, à ſolo Deo patrari poſſunt, vt ſcitè docet D. Th. *loc. cit.* quod enim fit præter ordinem totius naturæ, à ſolo Deo fieri poteſt, qui eſt ſupra totam naturam; & Angeli boni, vel mali ad ſummum poſſint principaliter aliquid facere, quod ſit ſupra ordinem naturæ particularis alicuius rei applicando actiua paſſiuis, non verò ſupra ordinē naturæ vniuerſalis. Epiſcopi igitur examinan-

minantes miracula, adhibito conſilio Theologorum, & virorum doctorum iuxta Concil. Trid. debent cognoſcere, an verè quæ putantur miracula,ſint ſupra ordinem totius naturæ, vel ſint, aut poſſint eſſe iuxta eumdem ordinē, & indè ſuum iudicium ferre, ne decipiantur, vt fuerunt decepti Egyptij à Magis Pharaonis, quando ope Dæmonam veros Serpentes, & veras ranas producebant; poteſt enim Diabolus, Deo permittente, multa facere, quæ videntur ſupra naturam, licet verè talia non ſint. Quemadmodum etiam viuente Iob viro patientiſſimo plura fecit, mouendo ad illius exterminium cauſas ſecundas, illaſque in ruinas, & neces applicando. Quomodo autem ab Epiſcopis,& ab alijs viris doctis poſſint dignoſci vera miracula, quæ habēt Deum Authorem, non ità facilè euinci poteſt, cum nullus homo, tametſi doctiſſimus vir, poſſit comprehendere totius, & vniuerſæ naturæ vires, quod neceſſarium eſſet, vt quis poſſet directè cognoſcere, quomodo quædam facta admiranda ſuperent omnes illas naturæ vires, ac ſint ſupra ordinem totius naturæ; ex qua doctrina infert D. Th. 3. *part.q.* 114. *art.*4. cum D.Auguſt. *lib.*83.*q.*79.ad diſcernenda vera miracula eſſe recurrendum ad circumſtantias extrinſecas, & præſertim eſſe finem inſpiciendum,an ſcilicet ſit finis,cui poſſit cooperari Deus agens extraordinario modo, nec nè; finis namque miraculorum ex D. Auguſt. *lib.* 10. *de Ciuit. Dei cap.* 12. debet eſſe Religio, & cultus Dei; hic enim eſt verus Character miraculorum, cum Dæmon odio habeat Deum, nec poſſit facere opera miranda in conteſtationem Religionis, & cultus Dei; vndè quando miracula habent hunc Characterem,cenſenda ſunt eſſe vera miracula, & habere Deum Authorem, & eſſe extra totum ordinē naturæ. Conditiones requiſitæ ad dignoſcenda vera miracula recenſentur à pluribus Doctoribus pręſertim à Laureto de Franchis *q.*2. de hac materia.

LEX CCCIIII.

Probationes miraculorum non ſemper admittendæ ab Epiſcopis per teſtes ſingulares.

QVidquid ſit de illorum doctrina, quam refert, & ſequitur Lauret. de Franch. *q.* 4. *de cult. erga canoniz.* aſſerentium piam magis eſſe opinionem, etiam pro probandis miraculis Beatificandorum, & Canonizandorum ſufficere teſtem ſingularem, cum ibi ipſe plures afferat caſus circa proceſſus Canonizationis Sanctorum, in quibus fides vni tantum ſingulari adhibita eſt, cum hoc ſit arbitrarium Iudici, præſertim ſi teſtis ſit omni fide dignus, vt demonſtrant Caſtrenſ. *Conſil.* 342. Farinac. *tract. de Teſtib.q.*64. & Ricc. *reſolut.* 492. In hac tamen tàm ardua quæſtione cum diſtinctione puto, eſſe procedendum; vel enim agitur de miraculo jam Canonizati, aut Beatificati in ordine ad Canonizationem,ſeu etiam de miraculo Beatificandi,aut Canonizandi, quod tamen ſit acceſſorium cæteris, & non ſit principale, in quo fundetur iudicium Beatificationis, ſeu Canonizationis, in hoc caſu putarem, poſſe ſufficere probationem per teſtes ſingulares, cum tunc agatur de eo, quod nemini nocet, & alteri prodeſt, vnde videtur ſatis eſſe teſtis vnicus iuxta *c. cum itaque, & c. de paruulis de conſecr. diſt.* 4. *& etiam iuxta Gloſſ in c. licet vniuerſis, & in c. placuit de conſecr. diſt.* 4.*& in c. in tanta diſt.*86. *& denique in cap. quanto q.*5. quæ doctrina ſemper locum habet, vbi factum tale eſt, in quo non

poſſit

poſſit haberi, niſi vnicus teſtis *ex l.* 1. §. *fin. ff. de verborum oblig.* Si verò agatur de miraculis in ordine ad Beatificationem, ſeu Canonizationem, quibus totum iudicium inniti debet de aliquo Beatificando, vel Canonizando, ego non ità facilè admitterem, quod eſſet ſatis vnicus teſtis, cum agatur de re grauiſſima in Eccleſia Dei, in qua plurimum periculi ineſſe poteſt, & in qua cautiſſimè procedendum eſt, vt notat etiam Gloſſ. *in c. venerabili V. diligentia de teſtibus*; debent enim in hac materia eſſe probationes certiſſimæ, & luce meridiana clariores, vt etiam de probationibus criminalibus afferunt DD. *in l. fin. c. de probat.* immò cum agatur de applicanda veritate in genere reuelata, nimirum, quod qui Sanctè in hac vita vixerunt, beata vita fruantur in Cœlo, hæc applicatio fieri non poteſt, niſi, quod in vniuerſale reuelatum eſt, reperiatur in perſona particulari per veritatem certiſſimam, & irrefragabilem, ad quam conteſtandam non ſufficit vnicus teſtis, vt tradunt Petr. Galleſin. *part.* 3. *de Canoniȥat. S. Didaci*. Iacob. Caſtellan. *de canoniȥat. Sanctorum q.* 7. Troil. Maluer. *cap.* 1. *de Canoniȥ. Sanctorum num.* 15. & Lucas Caſtellin. *de Inquiſit. miraculor.* Vndè colligitur, neque ſufficere vnicum teſtem, concurrentibus adminiculis, pro probatione miraculi, cui innitatur iudicium de Beatificatione, vel Canonizatione, quia vt probetur aliquod miraculum, non ſolum debet probari factum ipſum, ſed etiam omnes illæ circumſtantiæ, quæ ſufficiant ad excludendas omnes cauſas naturales, & ad extrahendum omninò factum à poteſtate naturæ, illudque reducendum in ſolum Deum Authorem, quod eſt moraliter impoſſibile; Neque aſſiſtentia Spiritus Sancti, quam ſupponitur habere Summus Pōtifex in hac materia, ne poſſit errare; operatur infallibilitatem, poſitis ſolum probationibus minus perfectis, nam tunc operatur hanc infallibilitatem, quando applicat veritatem reuelatam in communi, facto particulari alicuius Beatificandi, vel Canonizandi, in qua applicatione, dicitur aſſiſtere Spiritus Sanctus infallibiliter, ſuppoſito, quod ſint factæ probationes certiſſimæ, & irrefragabiles, quibus tantum, tamquam veriſſimis poteſt applicari veritas reuelata.

LEX CCCV.

Non omnia miracula ab Epiſcopis approbanda.

EX dictis ſatis conſtat, ea tantum miracula ab Epiſcopis eſſe approbanda, quæ verè miracula ſunt, nimirum vires totius naturæ excedentia, quæ, quia cognitu difficillima ſunt, cum haud facilè ſit exceſſum alicuius facti ſupra vires totius naturæ cognoſcere, ideò præcipitur Epiſcopis à Trident. *de Relig. Sanctorum ſeſſ.* 25. *propè finem*, vt adhibeant in cognitionē Theologos, alioſque pios viros, quorum conſilium audiant, licet non teneantur ſequi. Difficultas potiſſima in hac re ea eſt, an ſpectet ad Epiſcopos etiam eorum probare miracula, qui defuncti ſunt cum fama Sanctitatis, etiam antè Beatificationem, vel Canonizationem, videtur enim Decretum Trid. *Seſſ.* 25. *de Inuocat. & Venerat.* loqui indifferenter; additque Barboſa ad citatum locum Trid. ſe inſtante, emanaſſe Decretum à S. Cong. Concilij, quo ad omnia miracula in genere declaratur extenſa diſpoſitio Concilij Trid. quidquid ſit de hoc decreto emanato, quod profert Barboſa *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 97.

97. *num.* 1. dicendum eſt illi valdè obſtare Decretum Vrbani VIII. ſub die 13. Martij, & 2. Octobris 1625. in quo præcipitur Epiſcopis, vt circa non Beatificatos, & non Canonizatos ſumant tantum informationes, & negotium inſtructum tranſmittant ad Sedem Apoſtolicam, & expectent illius reſponſum, vndè patet, Epiſcopos non habere facultatem decernendi, & multò minus approbādi miracula pro non Beatificatis, & non Canonizatis. Verba decreti Vrbani VIII. referuntur per extenſum à Paſqualigo *in addit. quæſt.* 7. & hoc deſumitur etiam ex praxi Beatificationis, & Canonizationis, quæ nunc temporis ſeruatur, cum non poſſit de hac materia tractari, niſi poſt quadraginta annos à morte Serui Dei Beatificandi, & tunc ex ſola ſpeciali commiſſione Summi Pontificis in ordine ad inſtruendos proceſſus in genere, ne ratione dilationis pereant probationes, quæ poſtmodum de mandato Summi Pontificis examinari debent à S. Rituum Cong. Poſt verò Beatificationem, certum eſt, Epiſcopos ex diſpoſitione Concilij Trid. poſſe examinare, & approbare miracula, quæ fiunt à Beatificato eadem ratione, ac id fieri poteſt de Canonizato; nam vtriſque iam exhibetur cultus, neque is decernitur per approbationem miraculorū ab Epiſcopis, vt contingeret in approbatione miraculorum pro non Beatificatis, quia probare miracula ſaltem implicitè continet cultum decernere, quod non poſſunt facere Epiſcopi, cū id ſpecialiter prohibeatur *ex cap. Audiuimus de Relig. & Venerat. Sanctorum*, & idem eſt dicendum de omnibus illis non Beatificatis, qui tamen ex immemorabili tempore publicè coluntur tamquam Sancti, nam his quoque iam exhibetur cultus, & probatio miraculorum non eſt illa, quæ facit, vt exhibeatur. Aduertendum eſt autem ab Epiſcopis diſcrimen inter gratias, & miracula, nam gratiæ non excedunt vires totius naturæ, ſed intra illius ordinem ſunt, & poſſunt eſſe, quod non poteſt dici de miraculis, vt ſupradictū eſt, miraculum tamen ſemper erit gratia, quatenus ſpectat ad beneficium generis humani, gratia verò non ſemper miraculum, eſt vt ſupradictum eſt.

LEX CCCVI.

Solis Epiſcopis approbantibus, admittenda miracula.

Ex c. 1. *de Relig. & Venerat. Sanctorum*, & ex Trid. *Seſſ.* 25. *de Venerat. & Inuocat. Sanctorum*, ſatis apertè ſtatuitur, ad ſolam Romanam Sedem ſpectare decernere cultum exhibendum decedentibus cum fama Sanctitatis, & per conſequens, quod nemo inferior Summo Pontifice poſſit eorum miracula approbare, qui nondum obtinuerunt cultum ab Apoſtolica Sede, cum approbatio miraculorum ſit quædam indirecta approbatio cultus exhibendi, vt ſupra dictum eſt, & vtrumque prohibetur in Decreto Vrbani VIII. per hoc tamen non tollitur, quin Epiſcopi poſſint eorum miracula approbare, qui iam obtinuerunt cultum ab Apoſtolica Sede abſque alio recurſu ad Summū Pontificem, vt patet ex Trid. *l. c.* ſicque ad eoſdem ſpectabit illa facta admiranda examinare, quæ miraculi ſpeciem præſeferunt à Sacris Imaginibus prouenientia, vt eſſet permanens ſudor, vultus mutatio, & huiuſmodi, quæ tamen fraude, vel dolo non contingant, aut poſſint eſſe effectus purè naturales, ne decipiantur Populi; & interim Imagines Sacræ operiendæ ſunt, & Populi con-

concurſus quoad fieri poteſt impediendus. Difficultas igitur eſt, an loquendo de miraculis eorum Sanctorum, qui iam obtinuerunt cultum, vel per Beatificationem, vel per Canonizationem, ſpectet ad ſolos Epiſcopos illa approbare, an etiam ad alios ordinarios, qui dicuntur habere Iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Paſqualigus *in addit. quaeſt. 11. & quaeſt. 7. num.* 1193. cum alijs docet, id ſpectare ad quoſcumque ordinarios, qui vt plurimum veniunt Epiſcopi appellatione, cum habeant Iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, idque affirmat, quia plura alia ſimilia efficere poſſunt, licet non ſint Epiſcopi, & quia miracula approbare non eſt actus proprius Ordinis Epiſcopalis, cum ſit tantum actus Iuriſdictionis, quam exercere poſſunt omnes illi, qui dicuntur Ordinarij locorum. Communior tamen doctrina eſt, ad ſolos Epiſcopos ſpectare, cum ipſi tantum nominentur ſpecialiter in hac materia à Concil. Trid. dicta *ſeſſ.* 25. vbi ſunt duę particulæ excluſiuæ aliorum quorumcumque, nimirum particula, *niſi*, & alia particula, *nemini*, quæ in legum præſcriptionibus maximè obſeruatur, ſunt enim particulæ taxatiuæ, de ſua natura omnimodam excluſionem inferentes, vt notant Iuriſtæ omnes, & Canoniſtæ. Quod intelligendum eſt de ſolis miraculis, non de gratijs, ad quas non ſe extendit prohibitio Concilij, cum ſit odioſa, & reſtringenda, quemadmodum etiam dicitur, prohiberi publicatio miraculorum, non vero publicatio gratiarum, quæ poteſt fieri paſſim per Concionatores. Addo, quod licet non poſſint admitti noua miracula, niſi approbante Epiſcopo, poſſunt tamen admitti noua facta, quæ vulgo cenſentur miraculoſa, quia ad ſolos Epiſcopos ſpectat admittere, & approbare miracula, vt talia ſunt præcisè, nimirum excedentia omnes naturæ vires, quædam verò Sanctorum noua facta, quæ cenſentur miraculoſa, poſſunt eſſe intra ordinem naturæ, & ità non prohibentur admitti, tamquam certa in ratione facti, non verò in ratione miraculi.

LEX CCCVII.

Ab Epiſcopis omittentibus horas Canonicas non reſtituendi fructus Epiſcopatus.

MVnus eſt Epiſcopalis Prudētiæ ea omnia peragere, quorum obligationem inducit Epiſcopalis ſtatus, & ideò etiam tenentur Epiſcopi Horas Canonicas quotidiè recitare, ſaltem ex obligatione ordinibus adnexa, niſi adſit cauſa legitima excuſans à tali obligatione; nec modo quærimus, an Epiſcopatus ſit ordo diſtinctus ab alijs, quod vertitur in dubium apud Doctores: nec quærimus, an Epiſcopus ratione ordinis Epiſcopatus præcisè teneatur Horas Canonicas recitare, nam ſemper ſupponitur, teneri propter alios ordines ſuſceptos, tametſi non teneretur ratione ordinis Epiſcopatus. Difficultas igitur reſoluenda eſt, an ſuppoſita quomodocumque in Epiſcopis obligatione recitandi Horas Canonicas, ſi illas omittant, teneantur ad fructuum Epiſcopatus reſtitutionem; & ſtatuendum eſt cum doctrina Paſqualigi *qu. Moral. Iurid.* 210. nullo modo Epiſcopos teneri ad reſtitutionem fructuum ob omiſſionem Horarum Canonicarum. Ratio eſt, quia ex Conſt. Leonis X. *tom.* 1. *Bullar.* & ex Conſtit. Pij V. *tom.* 2. *Bullar.* colligitur, tantum teneri ad reſtitutionem fructuum illos Beneficiatos, quibus datur beneficium propter officium, quorum nomine

non veniunt Epiſcopi, qui propter dignitatis culmen ſunt ſpeciali nota digni, & eſſent ſpecialiter nominandi, vt ſcitè notat Loter. *de re benef. lib. qu.9. num.121. ex Gloſſ. in cap. licet Eccleſiarum V. dignitatum, de Præbend. in 6.* & etiam ex Rota *decif.529. num.2. part.3. Recent.* Additur, quod fructus Epiſcopatus, & Ius ad ipſos non conferuntur Epiſcopo propter officium, ſed ad ſuſtinendum, & exercendum munus Paſtorale, quod includit plures alias obligationes, præter obligationem officij, quæ iam in Epiſcopo ſupponitur contracta per alios ordines, vnde ceſſat ratio reſtitutionis, ſi omittatur officium, & licet in Conſtit. Pij V. videantur comprehendi omnia beneficia cuiuſcumque generis ſint, cum tamen Epiſcopatus ſit beneficium altioris ordinis, & ſpeciali nota dignum, fuiſſet ſpecialiter nominandum, cum ſit diuerſiſſimæ qualitatis ab alijs, præſertim quia ſumus in odioſis, & pœnalibus, quæ ſtrictè accipienda ſunt.

LEX CCCVIII.

Ab Epiſcopis non recitantibus Horas Canonicas reſtituendi fructus aliorum beneficiorum, ſi qua alia beneficia poſſideant, præter Epiſcopatum.

CVm poſſit dari caſus, quod aliquis Epiſcopus præter Epiſcopatum alia quædam beneficia poſſideat, non erit æquè iudicandum à Prudētia Epiſcopali de Epiſcopatu, & alijs beneficijs, quæ ſint inferioris ordinis, nam, vt dictum eſt, Epiſcopatus, licet ſit aliquo modo beneficium, cum ſit culmen Eccleſiaſticæ dignitatis, dicitur beneficium ſupra omne beneficium, quemadmodum dicunt Metaphyſici de Deo, quod ſit ens ſupra omne ens, & conſequenter non ſit dicendus verè ens, ſed quid ſupra ens. Igitur ſtatuendum eſt, Epiſcopos habentes alia beneficia præter Epiſcopatum, & non recitantes Horas Canonicas teneri ad reſtitutionem fructuum, qui colliguntur ex alijs beneficijs. Ratio eſt, quia reliqua beneficia præter Epiſcopatum, ſunt de illis beneficijs, quæ dantur propter officium, & comprehenduntur in Conſtitut. Leonis X. & Pij V. neque Epiſcopatus ſufficit ad tollendam talem obligationem, quia per ſe eſt adnexa beneficijs omnibus, quæ non ſunt Epiſcopatus, & eſt omninò independens ab Epiſcopatu, vnde Epiſcopatus non poteſt illam obligationem adimere, licet ipſe Epiſcopatus ſit ab illa omninò exemptus, & licet Epiſcopi ſint ſpeciali nota digni, & ſpecialiter nominandi ratione Epiſcopatus; non habent tamen idem priuilegium ratione aliorum beneficiorum inferiorum, quemadmodum etiam Epiſcopi, vt Epiſcopi, non comprehenduntur in iure ſub generali diſpoſitione ſuſpenſionis, & interdicti, niſi ſpecialiter nominentur, vt habemus ex *cap. Quia periculoſum de ſent. excommunicat. in* 6. vnde hæc exceptio firmat regulam in contrarium.

LEX CCCIX.

Recitandæ ab Epiſcopis Horæ Canonicæ abſque ſcrupulo, & obligatione reſtituendi fructus Epiſcopatus, data quacumque omiſſione.

A Finibus Prudentiæ Epiſcopalis nunquam debet exulare Epiſcoporum conſcientia, quæ iugiter ab ipſis præ oculis habenda eſt, & cum ſæpè contingat, Epiſcopos, vel non poſſe, vel etiā ex aliqua ſuppoſita rationabili cauſa non velle Horas Canonicas recitare,

tare, ideò videndum eſt, an, data quacumque omiſſione, teneantur Epiſcopi ad fructus Epiſcopatus reſtituendos; præſertim, cum id videatur apertiſſimè ſtatutū in Conſtit. Apoſtolicis Leonis X. *in Concil. Later. Conſtit.* 17. §. 38. *tom.*1. *Bullar.* & Pij V. *Conſtit.* 35. §. 1. *tom.*2. *Bullar.* ex quibus colligitur clarè, beneficiarios omnes non recitantes Horas Canonicas non facere fructus ſuos, atque ad reſtitutionem teneri, adiuncto etiam priuationis beneficiorum demerito, ſi poſt monitionem in omiſſione horarum Canonicarum perſeuerauerint. Poſſe tamen Epiſcopos omnes, ac debere ſine ſcrupulo, & obligatione reſtituendi fructus Epiſcopatus recitare Horas Canonicas, non obſtantibus illis Conſtitutionibus Apoſtolicis docet Paſqualig. *in qu. Moral. Iurid. quæſt.* 210. vbi oſtendit, illas Conſtitutiones Apoſtolicas non comprehendere, niſi verè beneficiarios, ſiuè cum cura animarum, ſiue ſine cura, quod patet legenti ex ipſis verbis poſitis in Conſtit.; Epiſcopi verò præciſè, vt Epiſcopi, non ſunt beneficiarij, quia Epiſcopatus non eſt beneficium, quod datur propter officium, cum ſit beneficium altioris ordinis ab Eccleſia collatum ad ſuſtinenda onera Paſtoralia, quæ plura ſunt; & cum Epiſcopatus ſit dignitatum culmen in ſuo genere, dicitur etiam beneficium ſpeciali nota dignum, quod ſub generali appellatione beneficiorum cōprehendi non poteſt, quod habetur expreſsè ex Gloſſa *in cap. licet Eccleſiar. V. dignitatum, & in cap. de Prebend. in* 6. etiam ex Rota *deciſ.*529. & apud Lotter. *de re benefic. lib.* 1. *quæſt.*9. Ex verbis igitur vtriuſque Conſtitutionis, tàm Leonis X. quàm Pij V. deducitur, teneri tantum ad reſtitutionem fructuum obtinentes beneficia, ſiue cum cura, ſiue ſine cura Animarum, in qua appellatione generica non comprehenduntur Epiſcopi. Nec obſtat, quod Pius V. in ſua Conſtit. 135. addat illa verba, *& qualiacumque alia beneficia, &c.* quę verba, cum ſint vniuerſaliſſima, videntur comprehendere etiam Epiſcopos; dico enim, illa verba, cum ſimus in odioſis, & pœnalibus eſſe reſtringenda ad beneficia tantum eiuſdem ordinis, & eiuſdem qualitatis, non verò ad beneficia altioris ordinis, & qualitatis diuerſę, vt eſt beneficium Epiſcopale, ſi hoc nomine ſit compellandum.

LEX CCCX.

Non ſupponenda ab Epiſcopis de obligatio à reſtitutione fructuum pro quocumque beneficio data officij omiſſione.

CEnſendi quidem Epiſcopi omnes immunes à reſtitutione fructuum pro Epiſcopatu, data quacumque officij omiſſione, idque ipſis facilè ſuadere poteſt conſcientia recta, ipſaque Epiſcopalis Prudentia; at ſi præter Epiſcopatum, alia obtineant beneficia, vt ſæpè contingit, in hoc caſu, ſi omittant Horas Canonicas, nulla ratione excuſari poſſunt à reſtitutione fructuum, quos ex alijs beneficijs ſuperadditis Epiſcopatui percipiunt; ſic enim vim habent eos obligandi Conſtitutiones Apoſtolicæ ſupraallegatæ Leonis X. & Pij V. cum illa beneficia comprehendantur ſub illa generali diſpoſitione, neque habeant prærogatiuam beneficij Epiſcopalis, quod eſt culmen dignitatis. Neque ex eo, quod illa omnia beneficia ſint Epiſcopi, dicuntur verè Epiſcopalia, atque adeò, vt ſpeciali nota digna, ſpecialiter nominanda; nam beneficium, ex eo, quod ſit in Epiſcopo, non dicitur propriè, & formaliter Epiſcopale, ſed ſolum materialiter,

& ideò

& ideò non omne beneficium Epiſcopi debet habere prærogatiuam Epiſcopatus,qui ex ſua natura non poteſt eſſe beneficium commune, etiam nō Epiſcopo, ſicuti poſſunt eſſe alia beneficia adnexa Epiſcopatui, & ex hac ratione cætera Epiſcopi beneficia ſemper ſunt diſtinguenda in priuilegijs ab ipſo Epiſcopatu, & licet in Iure Canonico id ſit Epiſcopis ſpeciale, vt nunquam comprehendantur ſub aliqua generali diſpoſitione, quod colligitur *ex cap. de ſent. excommunicat. in* 6. hoc tamen eſt intelligendum in ijs tantum rebus,quę afficiunt Epiſcopum, & Epiſcopatum, vt talis eſt: nimirum, vt poſitus in culmine dignitatum, non verò in alijs rebus,quę poſſunt eſſe communes ętiam non Epiſcopo, & ſunt omnimodè extra dignitatem Epiſcopalem, qualia ſunt alia beneficia ſimplicia adnexa Epiſcopatui, vndè concludendum ratione illorum, non eſſe Epiſcopos exemptos à reſtitutione fructuum.

LEX CCCXI.

Ab Epiſcopis Succeſſoribus non ſemper probanda facta Anteceſſorum.

SVmmoperè quidem commendanda ſunt à Succeſſoribus Epiſcopis pręclara illa Anteceſſorum geſta, quæ ſummam prætetulere pietatis, religionis, doctrinę, atque prudentiæ normā; eaque non probare ſemper impium eſſet, atque à recta ratione, & vitæ ſanctitate, quam profiteri tenentur Epiſcopi, valdè diſſonum, & alienum; At cum non ſit ſemper bonum iurare in verbo Magiſtri, nec veterum veſtigijs adhærere, cum ipſi quoque ab orbita rationis, & virtutis poſſint exorbitare, ideò Succeſſoribus Epiſcopis accuratè cauendum eſt, qua incedant via, vt & exempla maiorum ſequentes, non deflectant à recta. Ea itaque Epiſcopalis Prudentiæ lex ſtatuenda, vt ſemper prædeceſſorum approbent acta, & ſequantur, ſi numeros virtutis, & Paſtoralis officij impleant adamuſſim; illa verò eiurent, ac deteſtentur, ſi ab honeſta agendi forma quoquomodo declinauerint; potuit enim contingere, vt pręceſſores Epiſcopi, aut ex malitia, aut ex ignorantia, aut ex imprudentia nequaquam rectè egerint, quę rectè agenda erant; Ideò habemus in Iure Ciuili, & Canonico, *quod factum vnius non poteſt eſſe regula agendi pro altero, niſi factum ſit vndequaque commendabile*,ex quo inferunt DD. plures apud Paſqualig. *deciſ.*363. nullam eſſe capiendam benè agendi probabilitatem ex vnius facto, tametſi eſſet pijſſimus vir, & conſcientię timoratiſſimę cū vnuſquiſque poſſit non benè operari ſaltem ex inaduertentia, & imprudentia; plura enim in Epiſcopatu contingere poſſunt,quę indigent doctrina,qua caruerit pręceſſor; Item plura, quę indigeant prudentia, animi robore, eloquentię vi, alijſque rebus eiuſmodi, quibus fortaſſis erant quidam anteceſſores omninò deſtituti, atque in his caſibus ſanè non ſemper à Succeſſoribus probanda pręceſſorum Epiſcoporum facta.

LEX CCCXII.

Ab Epiſcopis doctrina Veterum non ſemper præferenda doctrinæ Recentiorum.

VEterum doctrina ſolo antiquitatis pretio inſignita non tanti pendēda eſt ab Epiſcopali Prudentia,vt ſemper neothericæ doctrinæ præferatur, licet enim authoritas antiquorum Doctorum videatur addere aliquem probabilitatis gradum doctrinæ, quæ tamquam

quam amplectenda proponitur, nimirum gradum probabilitatis extrinſecæ, quod videntur ſuſtinere quamplures apud Baldell. *Tom. pr. Theolog. Moralis lib.4.diſp.*11. & etiam apud Farinacium *quæſt.* 14. *Repert. Iudicial. num.* 5. reuera tamen doctrina Veterum cæteris paribus nunquam eſt cenſenda probabilior doctrina Recentiorum, cum ideò authoritas faciat probabilitatē extrinſecam, quatenus ſupponitur authoritas probabili inniti ratione, cum verò in Recentioribus eadem probabilis ratio eſſe poſſit, ipſi quoque poſſunt facere ſuam doctrinam æque probabilem; non enim ex ſola temporis antiquitate authoritas facit probabilitatē, ſed ex probabili ratione, quà ducti ſupponuntur antiquiores ipſi; Alioquin vetuſtiores tempore, in aliqua doctrina facerent maiorem probabilitatem, quàm Veteres, & ſic in infinitum. Recentiorum igitur doctrina cæteris paribus præferenda eſt doctrinæ Veterum; Vbi enim concurrit authoritas Veterum, & recentiorum, debet præſumi, quod authoritas recentiorum fundetur in meliori ratione; cum recētiores poſſint examinare ſtrictius Veterum doctrinas, atque eorum fundamenta ſcrutari; enim verò mentis humanæ acies in dies acuitur, & perficitur, & multa tangit, & profert in lucem recentiorum doctrina, quæ nunquam Veteres attigere; ſic ſcientia in dies creſcente, plures opiniones, & doctrinas, quæ apud Veteres erant probabiles, recentiores ſua doctrina omninò reddidere improbabiles; hoc eſt ad cognitionē improbabilitatis deceptos perduxere, quemadmodum verſa vice, quæ cenſebantur improbabiles ad probabilitatem, & praxim deuenere; ex quibus arguitur, longè melius recentiores ſemper fuiſſe ratiocinatos, & cum maiori rerum notitia, quàm Veteres.

LEX CCCXIII.

Eligendi ab Epiſcopis Vicarij Generales, qui ſint omni exceptione maiores.

DAbantur olim Epiſcopis Coadiutores quidam, qui Coepiſcopi vocabantur, nunc temporis ſtatuunt Sacri Canones, vt Epiſcopi Vicarios eligant in adiutorium, qui ſint omni exceptione maiores, vt in pluribus eorum vices gerant, à quibus in cauſis ordinarijs ſpectantibus ad Epiſcopos, non licet ab ipſis ad ſuos Epiſcopos appellare, cum conſtituant idem tribunal cum ijſdem Epiſcopis, quod habetur *in cap.*2. *de conſuet.& in c. Romana de appellat. in* 6. In eiuſmodi officium eligēdi ſunt ab Epiſcopis, non Laici, ſed viri ſaltem prima initiati tonſura, qui ſint Doctores, ſaltem in Iure Canonico, vel licentiati, aut alias idonei *ex c. In noua &c. & ex c.Decernimus &c.* Excluduntur tamē ab hoc munere coniugati omnes, licet Clerici, & Doctoratus laureà inſigniti, idq; habetur per Gloſſ. *in c. ad præſentiam*, & etiam bigami, niſi priùs fuerint impedimento bigamiæ ſoluti. Non excluduntur tamen Regulares ex conſenſu ſuorum ſuperiorū, niſi ſint Fratres minores, quibus id interdicitur *ex Clementin. exiui*, in his tamen omnibus, qui eliguntur in Vicarios Generales, debent reperiri qualitates neceſſariæ ad tale munus exercendum, præ quibus debet relucere vitæ probitas, ſcientia Ciuilis, & Canonica, ſcientia quoque moralis, & cauſarum forenſium peritia, Iuſtitia, & fortitudo; ſi enim Epiſcopi Vicarios ſibi eligerēt his qualitatibus deſtitutos, eſſent eorū omnium in culpa, quæ contingerent

*to cap.*26. nam in votis perpetuæ continentiæ, & Religionis frequentius accidere ſolet neceſſitas, ob quam Epiſcopi poſſint, & debeant diſpenſare, præſertim ſi vouentes ſint coniugati, & etiam ſi ſint ſoluti, & adſit periculum incontinentiæ ex dilatione Matrimonij, vel aliud periculum ſcandali, & damni timeatur. In generali tamen conceſſione, ſiuè indulto pro alijs diſpenſandi in omnibus votis, illa quinque reſeruatā non debent intelligi cõprehenſa, quia quæ ſpecialiter reſeruãtur, ſpecialem etiam conceſſionis expreſſionem poſtulant, *ex c. ſi Epiſcopus de pænit. & remiſſ. in* 6. *& extrauaganti etſi Dominici*. Aduertendum eſt tamen, quod Epiſcopi diſpenſatio non vltra id ſe extendit, quod neceſſitas, quare illi omnes, cum quibus Epiſcopus diſpenſat ob dictas rationes, vel vt Matrimonium contrahant, vel vt contracto vti poſſint, ſemper contra votum peccabunt, ſi extra Matrimonium fornicentur, vel ſi, eo ſoluto, ad aliud transeant, ſine noua Pontificis diſpenſatione quod notant præ cæteris Suarez *l. c. cap.*26. & Sanchez *diſp.*40. *num.*40. Authoritas autem diſpenſandi in talibus caſibus conceſſa Epiſcopis eſt independens à quocumque alio delegato, ſiuè legato Pontificio prouinciali habente talem poteſtatem diſpenſandi, ad quẽ recurrere non eſt neceſſe illis, quibus legitimum adeſt impedimentum non adeundi Summum Pontificem, cum Epiſcopi id habeant à Iure, tamquam ordinarij Paſtores indepẽdenter à quocumque, vt notat Henriquez *lib.* 6. *de pænit.* quam poteſtatem non habent Prælati Regulares cum ſuis ſubditis, vt malè putant aliqui; dato enim, quod poſſint diſpenſare in aliquibus caſibus, qui vocantur Epiſcopales ordinarij, non tamen poſſunt in omnibus extraordinarijs, qualia ſunt vota reſeruata Pontificia per extraordinariam poteſtatẽ ſolis Epiſcopis deuoluta, vt optimè docent Rodriguez *tom.* 1. *q. Reg. q.* 63. Sanch. *lib.*2. *de Matrim. diſp.* 40. Miranda *in Manual. Prælat. tom.* 1. *qu.* 81. Henriquez *lib.*6. *de pænit. cap.* 14. Suarez *l. c. cap.* 26. & alij plures.

LEX CCCII.

Etiam ab Epiſcopis diſpenſanda quæcumque vota reſeruata, quando de illorum valore, aut obligatione dubitatur à vouentibus.

ILlud etiam erit ſummæ Prudentiæ Epiſcopalis opus, ſi quos nouerint Epiſcopi ſubditos ſuos ſcrupulis agitatos ob dubium de valore voti emiſſi, ſiuè dubium ſit Iuris, ſiuè facti, eos à tali voto abſoluere, & diſpenſare; cum enim votorum reſeruatio de ſua natura ſit quid odioſum; ideó ſecundum ſtrictam acceptionem ad certos tãtum caſus reſtringenda eſt, ità vt caſus dubios nunquam comprehendat, quod Suarez notauit etiam *de cenſuris diſp.*40. *ſect.*6. *num.*5. & Sanchez *lib.*1. *moral. cap.* 10. quæ doctrina intelligẽda eſt de illis caſibus, in quibus dubium de valore voti per ſe non liberat vouentes, ſed indiget, vel interpretatione, vel diſpenſatione ſuperioris; certum enim eſt, quod ex communi doctrina dubius de voto abſolutè non tenetur voto; ſic dubius de parte voti, non tenetur ad illam partem voti: vnde non mihi probatur illa ſententia quæ aſſerit indigere diſpenſatione Epiſcopi illud votum reſeruatum, ſi adſit dubium de reſeruatione, vt E. G. Si quis vouit caſtitatem, ſed dubitat, an quis vouerit perpetuam, & Pontifici reſeruatam, is non indiget diſpenſatione, ſed ſe ipſo ex tali dubio obli-

obligatur, quamuis Epiſcopi pruden-ter ad tollendos ſcrupulos debeant diſpenſare. Eodem modo cenſeo, non indigere diſpenſatione Epiſcopali illud votum, quod dicitur alternatiuum, quando ſcilicet quis vouit peregrinationem ad limina Apoſtolorum, vel ſolutionem centum aureorum in opus pium, nam quoad partem voti non reſeruatam, non eſt neceſſaria illa diſpenſatio, quæ fit ab Epiſcopis in caſibus, in quibus ipſis conceditur, poſſe etiam vota reſeruata diſpenſare, nam vna pars tantum cadit ſub reſeruatione, niſi vouens ſe obliget de nouo ad ſolam partem voti reſeruati, habemus enim ex *Reg. Iur. in* 6. in alternatiuis ſemper liberam eſſe debitoris electionem. Denique ſtatuendum eſt, Epiſcopos poſſe illa omnia vota diſpenſare, quæ priùs erant reſeruata, ſed poſtmodum commutata à Summo Pontifice in alia vota non reſeruata, nam eò ipſo, quod ſint in alia commutata, non remanent ampliùs illa, quæ erant priùs, nimirum reſeruata, & hæc omnia poterunt Epiſcopi pro libito diſpenſare, vel commutare. Neque obſtat, quod ſubrogatum induat naturam illius, cui ſubrogatur *ex c. Eccleſia, vbi Abbas num.* 3. nam ad ſummum id verum eſt quoad ea, quæ ſubrogantur per ſe, tamquam æquiualentia, non verò quoad ea, quæ ſubrogantur extrinſecè, & accidentaliter, vt ſunt alia vota non reſeruata, neque æquiualentia, in quibus tantum tollitur reſeruatio, quæ eſt quid extrinſecum. Addo, reſeruationem eſſe odioſam, vt dixi, & ideò non debere extendi ad materiam ſubrogatam ſine ſpeciali declaratione abrogantis.

LEX CCCIII.

Ab Epiſcopis diligenter cognoſcenda, & examinanda Miracula.

De Miraculis agunt Theologi plures cum D. Th. *p. part. quæſt.* 105. *art.* 7. & etiam Canoniſtæ plures cum Abbat. *in cap. cum Martha num.* 7. vnde non erit hic de hac materia differendũ, niſi quatenus ſpectat ad cognitionem Epiſcoporum in ordine ad illa probanda, & admittenda; & comprehenduntur hic vniuerſa Miracula, tum Sanctorum Beatificandorum, & Canonizandorum, tum etiam Sacrarum Imaginum, ad quæ omnia, vt optimè docet D. Thom. cum D. Auguſt., debet concurrere Deus, vt cauſa principalis operans modo extraordinario ſupra curſum naturæ, vel quoad ſubſtantiam facti, vel quoad modum operandi; id enim, quod à natura, vel in natura contingere poteſt per vires ipſius naturæ, nunquam erit dicendum miraculum, cùm miraculum ſit aliquid mirandum omninò ſupra naturam, & ſupra vires cauſarum ſecundarum, principaliter operantium, cum miniſterialiter, & poſſint etiam creaturę ad miracula cõcurrere, ſaltem ſecundum modũ operandi; miracula enim, quæ ſunt verè miracula ſecundum ſubſtantiam, & quæ excedunt vires totius, & vniuerſalis naturę, à ſolo Deo patrari poſſunt, vt ſcitè docet D. Th. *loc. cit.* quod enim fit præter ordinem totius naturæ, à ſolo Deo fieri poteſt, qui eſt ſupra totam naturam; & Angeli boni, vel mali ad ſummum poſſunt principaliter aliquid facere, quod ſit ſupra ordinem naturæ particularis alicuius rei applicando actiua paſſiuis, non verò ſupra ordinẽ naturæ vniuerſalis. Epiſcopi igitur examinan-

minantes miracula, adhibito conſilio Theologorum, & virorum doctorum iuxta Concil. Trid. debent cognoſcere, an verè quæ putantur miracula, ſint ſupra ordinem totius naturæ, vel ſint, aut poſſint eſſe iuxta eumdem ordinē, & indè ſuum iudicium ferre, ne decipiantur, vt fuerunt decepti Egyptij à Magis Pharaonis, quando ope Dæmonam veros Serpentes, & veras ranas producebant; poteſt enim Diabolus, Deo permittente, multa facere, quæ videntur ſupra naturam, licet verè talia non ſint. Quemadmodum etiam viuente Iob viro patientiſſimo plura fecit, mouendo ad illius exterminium cauſas ſecundas, illaſque in ruinas, & neces applicando. Quomodo autem ab Epiſcopis, & ab alijs viris doctis poſſint dignoſci vera miracula, quæ habēt Deum Authorem, non ità facilè euinci poteſt, cum nullus homo, tametſi doctiſſimus vir, poſſit comprehendere totius, & vniuerſæ naturæ vires, quod neceſſarium eſſet, vt quis poſſet directè cognoſcere, quomodo quædam facta admiranda ſuperent omnes illas naturæ vires, ac ſint ſupra ordinem totius naturæ; ex qua doctrina infert D. Th. 3. *part.q.* 114. *art.*4. cum D. Auguſt. *lib.*8 3.*q.*79. ad diſcernenda vera miracula eſſe recurrendum ad circumſtantias extrinſecas, & præſertim eſſe finem inſpiciendum, an ſcilicet ſit finis, cui poſſit cooperari Deus agens extraordinario modo, nec nè: finis namque miraculorum ex D. Auguſt. *lib.* 10. *de Ciuit. Dei cap.* 12. debet eſſe Religio, & cultus Dei; hic enim eſt verus Character miraculorum, cum Dæmon odio habeat Deum, nec poſſit facere opera miranda in conteſtationem Religionis, & cultus Dei; vndè quando miracula habent hunc Characterem, cenſenda ſunt eſſe vera miracula, & habere Deum Authorem, & eſſe extra totum ordinē naturæ. Conditiones requiſitæ ad dignoſcenda vera miracula recenſentur à pluribus Doctoribus prę́ſertim à Laureto de Franchis *q.*2. de hac materia.

LEX CCCIIII.

Probationes miraculorum non ſemper admittenda ab Epiſcopis per teſtes ſingulares.

QVidquid ſit de illorum doctrina, quam refert, & ſequitur Lauret. de Franch. *q.* 4. *de cult. erga canoniz.* aſſerentium piam magis eſſe opinionem, etiam pro probandis miraculis Beatificandorum, & Canonizandorum ſufficere teſtem ſingularem, cum ibi ipſe plures afferat caſus circa proceſſus Canonizationis Sanctorum, in quibus fides vni tantum ſingulari adhibita eſt, cum hoc ſit arbitrarium Iudici, præſertim ſi teſtis ſit omni fide dignus, vt demonſtrant Caſtrenſ. *Conſil.*342. Farinac. *tract. de Teſtib.q.*64. & Ricc. *reſolut.* 492. In hac tamen tàm ardua quæſtione cum diſtinctione puto, eſſe procedendum; vel enim agitur de miraculo jam Canonizati, aut Beatificati in ordine ad Canonizationem, ſeu etiam de miraculo Beatificandi, aut Canonizandi, quod tamen ſit acceſſorium cæteris, & non ſit principale, in quo fundetur iudicium Beatificationis, ſeu Canonizationis, in hoc caſu putarem, poſſe ſufficere probationem per teſtes ſingulares, cum tunc agatur de eo, quod nemini nocet, & alteri prodeſt, vnde videtur ſatis eſſe teſtis vnicus iuxta *c. cum itaque, & c. de paruulis de conſecr. diſt.* 4. *& etiam iuxta Gloſſ. in c. licet vniuerſis, & in c. placuit de conſecr. diſt.* 4. *& in c. in tanta diſt.*86. *& denique in cap. quanto q.*5. quæ doctrina ſemper locum habet, vbi factum tale eſt, in quo non

poſſit

poſſit haberi, niſi vnicus teſtis *ex l.* 1. §. *fin. ff. de verborum oblig.* Si verò agatur de miraculis in ordine ad Beatificationem, ſeu Canonizationem, quibus totum iudicium inniti debet de aliquo Beatificando, vel Canonizando, ego non ità facilè admitterem, quod eſſet ſatis vnicus teſtis, cum agatur de re grauiſſima in Eccleſia Dei, in qua plurimum periculi ineſſe poteſt, & in qua cautiſſimè procedendum eſt, vt notat etiam Gloſſ. *in c. venerabili V. diligentia de teſtibus*; debent enim in hac materia eſſe probationes certiſſimæ, & luce meridiana clariores, vt etiam de probationibus criminalibus aſſerunt DD. *in l. fin. c. de probat.* immò cum agatur de applicanda veritate in genere reuelata, nimirum, quod qui Sanctè in hac vita vixerunt, beata vita fruantur in Cœlo, hæc applicatio fieri non poteſt, niſi, quod in vniuerſale reuelatum eſt, reperiatur in perſona particulari per veritatem certiſſimam, & irrefragabilem, ad quam conteſtandam non ſufficit vnicus teſtis, vt tradunt Petr. Galleſin. *part.* 3. *de Canoniz at. S. Didaci*. Iacob. Caſtellan. *de canoniz at. Sanctorum q.* 7. Troil. Maluer. *cap.* 1. *de Canoniz. Sanctorum num.* 15. & Lucas Caſtellin. *de Inquiſit. miraculor.* Vndè colligitur, neque ſufficere vnicum teſtem, concurrentibus adminiculis, pro probatione miraculi, cui innitatur iudicium de Beatificatione, vel Canonizatione, quia vt probetur aliquod miraculum, non ſolum debet probari factum ipſum, ſed etiam omnes illæ circumſtantiæ, quæ ſufficiant ad excludendas omnes cauſas naturales, & ad extrahendum omninò factum à poteſtate naturæ, illudque reducendum in ſolum Deum Authorem, quod eſt moraliter impoſſibile; Neque aſſiſtentia Spiritus Sancti, quam ſupponitur habere Summus Pōtifex in hac materia, ne poſſit errare; operatur infallibilitatem, poſitis ſolum probationibus minus perfectis, nam tunc operatur hanc infallibilitatem, quando applicat veritatem reuelatam in communi, facto particulari alicuius Beatificandi, vel Canonizandi, in qua applicatione, dicitur aſſiſtere Spiritus Sanctus infallibiliter, ſuppoſito, quod ſint factæ probationes certiſſimæ, & irrefragabiles, quibus tantum, tamquam veriſſimis poteſt applicari veritas reuelata.

LEX CCCV.

Non omnia miracula ab Epiſcopis approbanda.

EX dictis ſatis conſtat, ea tantum miracula ab Epiſcopis eſſe approbanda, quæ verè miracula ſunt, nimirum vires totius naturæ excedentia, quæ, quia cognitu difficillima ſunt, cum haud facilè ſit exceſſum alicuius facti ſupra vires totius naturæ cognoſcere, ideò præcipitur Epiſcopis à Trident. *de Relig. Sanctorum ſeſſ.* 25. *propè finem*, vt adhibeant in cognitionē Theologos, alioſque pios viros, quorum conſilium audiant, licet non teneantur ſequi. Difficultas potiſſima in hac re ea eſt, an ſpectet ad Epiſcopos etiam eorum probare miracula, qui defuncti ſunt cum fama Sanctitatis, etiam antè Beatificationem, vel Canonizationem, videtur enim Decretum Trid. *Seſſ.* 25. *de Inuocat. & Venerat.* loqui indifferenter; additque Barboſa ad citatum locum Trid. ſe inſtante, emanaſſe Decretum à S. Cong. Concilij, quo ad omnia miracula in genere declaratur extenſa diſpoſitio Concilij Trid. quidquid ſit de hoc decreto emanato, quod profert Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 97.

97. *num.* 1. dicendum eſt illi valdè obſtare Decretum Vrbani VIII. ſub die 13. Martij, & 2. Octobris 1625. in quo præcipitur Epiſcopis, vt circa non Beatificatos, & non Canonizatos ſumant tantum informationes, & negotium inſtructum tranſmittant ad Sedem Apoſtolicam, & expectent illius reſponſum, vndè patet, Epiſcopos non habere facultatem decernendi,& multò minus approbādi miracula pro non Beatificatis, & non Canonizatis. Verba decreti Vrbani VIII. referuntur per extenſum à Paſqualigo *in addit. quæſt.7.* & hoc deſumitur etiam ex praxi Beatificationis, & Canonizationis, quæ nunc temporis ſeruatur, cum non poſſit de hac materia tractari, niſi poſt quadraginta annos à morte Serui Dei Beatificandi, & tunc ex ſola ſpeciali commiſſione Summi Pontificis in ordine ad inſtruendos proceſſus in genere, ne ratione dilationis pereant probationes, quæ poſtmodum de mandato Summi Pontificis examinari debent à S. Rituum Cong. Poſt verò Beatificationem, certum eſt, Epiſcopos ex diſpoſitione Concilij Trid. poſſe examinare, & approbare miracula, quæ fiunt à Beatificato eadem ratione, ac id fieri poteſt de Canonizato; nam vtriſque iam exhibetur cultus, neque is decernitur per approbationem miraculorũ ab Epiſcopis, vt contingeret in approbatione miraculorum pro non Beatificatis, quia probare miracula ſaltem implicitè continet cultum decernere, quod non poſſunt facere Epiſcopi, cũ id ſpecialiter prohibeatur *ex cap. Audiuimus de Relig. & Venerat. Sanctorum*, & idem eſt dicendum de omnibus illis non Beatificatis, qui tamen ex immemorabili tempore publicè coluntur tamquam Sancti, nam his quoque iam exhibetur cultus, & probatio miraculorum non eſt illa, quæ facit, vt exhibeatur. Aduertendum eſt autem ab Epiſcopis diſcrimen inter gratias, & miracula, nam gratiæ non excedunt vires totius naturæ, ſed intra illius ordinem ſunt, & poſſunt eſſe, quod non poteſt dici de miraculis, vt ſupradictũ eſt, miraculum tamen ſemper erit gratia, quatenus ſpectat ad beneficium generis humani, gratia verò non ſemper miraculum,eſt vt ſupradictum eſt.

LEX CCCVI.

Solis Epiſcopis approbantibus, admittenda miracula.

EX *c.* 1. *de Relig. & Venerat. Sanctorum*, & ex Trid. *Seſſ.*25. *de Venerat. & Inuocat. Sanctorum*, ſatis apertè ſtatuitur, ad ſolam Romanam Sedem ſpectare decernere cultum exhibendum decedentibus cum fama Sanctitatis,& per conſequens, quod nemo inferior Summo Pontifice poſſit eorum miracula approbare,qui nondum obtinuerunt cultum ab Apoſtolica Sede, cum approbatio miraculorum ſit quædam indirecta approbatio cultus exhibendi,vt ſupra dictum eſt, & vtrumque prohibetur in Decreto Vrbani VIII. per hoc tamen non tollitur, quin Epiſcopi poſſint eorum miracula approbare, qui iam obtinuerunt cultum ab Apoſtolica Sede abſque alio recurſu ad Summũ Pontificem,vt patet ex Trid. *l. c.* ſicque ad eoſdem ſpectabit illa facta admiranda examinare, quæ miraculi ſpeciem præſeferunt à Sacris Imaginibus prouenientia, vt eſſet permanens ſudor, vultus mutatio, & huiuſmodi, quæ tamen fraude, vel dolo non contingunt, aut poſſint eſſe effectus purè naturales, ne decipiantur Populi; & interim Imagines Sacræ operiendæ ſunt, & Populi con-

concurſus quoad fieri poteſt impediendus. Difficultas igitur eſt, an loquendo de miraculis eorum Sanctorum, qui iam obtinuerunt cultum, vel per Beatificationem, vel per Canonizationem, ſpectet ad ſolos Epiſcopos illa approbare, an etiam ad alios ordinarios, qui dicuntur habere Iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Paſqualigus *in addit. quæſt. 11. & quæſt. 7. num.* 1193. cum alijs docet, id ſpectare ad quoſcumque ordinarios, qui vt plurimum veniunt Epiſcopi appellatione, cum habeant Iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, idque affirmat, quia plura alia ſimilia efficere poſſunt, licet non ſint Epiſcopi, & quia miracula approbare non eſt actus proprius Ordinis Epiſcopalis, cum ſit tantum actus Iuriſdictionis, quam exercere poſſunt omnes illi, qui dicuntur Ordinarij locorum. Communior tamen doctrina eſt, ad ſolos Epiſcopos ſpectare, cum ipſi tantum nominentur ſpecialiter in hac materia à Concil. Trid. dicta *ſeſſ.* 25. vbi ſunt duę particulæ excluſiuæ aliorum quorumcumque, nimirum particula, *niſi*, & alia particula, *nemini*, quæ in legum præſcriptionibus maximè obſeruatur, ſunt enim particulæ taxatiuæ, de ſua natura omnimodam excluſionem inferentes, vt notant Iuriſtæ omnes, & Canoniſtæ. Quod intelligendum eſt de ſolis miraculis, non de gratijs, ad quas non ſe extendit prohibitio Concilij, cum ſit odioſa, & reſtringenda, quemadmodum etiam dicitur, prohiberi publicatio miraculorum, non verò publicatio gratiarum, quæ poteſt fieri paſſim per Concionatores. Addo, quod licet non poſſint admitti noua miracula, niſi approbante Epiſcopo, poſſunt tamen admitti noua facta, quæ vulgo cenſentur miraculoſa, quia ad ſolos Epiſcopos ſpectat admittere, & approbare miracula, vt talia ſunt præcisè, nimirum excedentia omnes naturæ vires, quædam verò Sanctorum noua facta, quæ cenſentur miraculoſa, poſſunt eſſe intra ordinem naturæ, & ità non prohibentur admitti, tamquam certa in ratione facti, non verò in ratione miraculi.

LEX CCCVII.

Ab Epiſcopis omittentibus horas Canonicas non reſtituendi fructus Epiſcopatus.

MVnus eſt Epiſcopalis Prudētiæ ea omnia peragere, quorum obligationem inducit Epiſcopalis ſtatus, & ideò etiam tenentur Epiſcopi Horas Canonicas quotidiè recitare, ſaltem ex obligatione ordinibus adnexa, niſi adſit cauſa legitima excuſans à tali obligatione; nec modo quærimus, an Epiſcopatus ſit ordo diſtinctus ab alijs, quod vertitur in dubium apud Doctores: nec quærimus, an Epiſcopus ratione ordinis Epiſcopatus præcisè teneatur Horas Canonicas recitare, nam ſemper ſupponitur, teneri propter alios ordines ſuſceptos, tametſi non teneretur ratione ordinis Epiſcopatus. Difficultas igitur reſoluenda eſt, an ſuppoſita quomodocumque in Epiſcopis obligatione recitandi Horas Canonicas, ſi illas omittant, teneantur ad fructuum Epiſcopatus reſtitutionem; & ſtatuendum eſt cum doctrina Paſqualigi *qu. Moral. Iurid.* 210. nullo modo Epiſcopos teneri ad reſtitutionem fructuum ob omiſſionem Horarum Canonicarum. Ratio eſt, quia ex Conſt. Leonis X. *tom.* 1. *Bullar.* & ex Conſtit. Pij V. *tom.* 2. *Bullar.* colligitur, tantum teneri ad reſtitutionem fructuum illos Beneficiatos, quibus datur beneficium propter officium, quorum nomine

non veniunt Epiſcopi, qui propter dignitatis culmen ſunt ſpeciali nota digni, & eſſent ſpecialiter nominandi, vt ſcitè notat Loter. *de re benef. lib. qu.9. num.121. ex Gloſſ. in cap. licet Eccleſiarum V. dignitatum, de Prabend. in 6.* & etiam ex Rota *deciſ.*529. *num.*2. *part.*3. *Recent.* Additur, quod fructus Epiſcopatus, & Ius ad ipſos non conferuntur Epiſcopo propter officium, ſed ad ſuſtinendum, & exercendum munus Paſtorale, quod includit plures alias obligationes, præter obligationem officij, quæ iam in Epiſcopo ſupponitur contracta per alios ordines, vnde ceſſat ratio reſtitutionis, ſi omittatur officium, & licet in Conſtit. Pij V. videantur comprehendi omnia beneficia cuiuſcumque generis ſint, cum tamen Epiſcopatus ſit beneficium altioris ordinis, & ſpeciali nota dignum, fuiſſet ſpecialiter nominandum, cum ſit diuerſiſſimæ qualitatis ab alijs, præſertim quia ſumus in odioſis, & pœnalibus, quę ſtrictè accipienda ſunt.

LEX CCCVIII.

Ab Epiſcopis non recitantibus Horas Canonicas reſtituendi fructus aliorum beneficiorum, ſi qua alia beneficia poſſideant, præter Epiſcopatum.

CVm poſſit dari caſus, quod aliquis Epiſcopus præter Epiſcopatum alia quædam beneficia poſſideat, non erit æquè iudicandum à Prudētia Epiſcopali de Epiſcopatu, & alijs beneficijs, quæ ſint inferioris ordinis, nam, vt dictum eſt, Epiſcopatus, licet ſit aliquo modo beneficium, cum ſit culmen Eccleſiaſticæ dignitatis, dicitur beneficium ſupra omne beneficium, quemadmodum dicunt Metaphyſici de Deo, quod ſit ens ſupra omne ens, & conſequenter non ſit dicendus verè ens, ſed quid ſupra ens. Igitur ſtatuendum eſt, Epiſcopos habentes alia beneficia præter Epiſcopatum, & non recitantes Horas Canonicas teneri ad reſtitutionem fructuum, qui colliguntur ex alijs beneficijs. Ratio eſt, quia reliqua beneficia præter Epiſcopatum, ſunt de illis beneficijs, quæ dantur propter officium, & comprehenduntur in Conſtitut. Leonis X. & Pij V. neque Epiſcopatus ſufficit ad tollendam talem obligationem, quia per ſe eſt adnexa beneficijs omnibus, quæ non ſunt Epiſcopatus, & eſt omninò independens ab Epiſcopatu, vnde Epiſcopatus non poteſt illam obligationem adimere, licet ipſe Epiſcopatus ſit ab illa omninò exemptus, & licet Epiſcopi ſint ſpeciali nota digni, & ſpecialiter nominandi ratione Epiſcopatus; non habent tamen idem priuilegium ratione aliorum beneficiorum inferiorum, quemadmodum etiam Epiſcopi, vt Epiſcopi, non comprehenduntur in iure ſub generali diſpoſitione ſuſpenſionis, & interdicti, niſi ſpecialiter nominentur, vt habemus ex *cap. Quia periculoſum de ſentent. excommunicat. in* 6. vnde hæc exceptio firmat regulam in contrarium.

LEX CCCIX.

Recitandæ ab Epiſcopis Horæ Canonicæ abſque ſcrupulo, & obligatione reſtituendi fructus Epiſcopatus, data quacumque omiſſione.

A Finibus Prudentię Epiſcopalis nunquam debet exulare Epiſcoporum conſcientia, quæ iugiter ab ipſis præ oculis habenda eſt, & cum ſæpè contingat, Epiſcopos, vel non poſſe, vel etiā ex aliqua ſuppoſita rationabili cauſa non velle Horas Canonicas recitare,-

tare,-

tare, ideò videndum eſt, an, data quacumque omiſſione, teneantur Epiſcopi ad fructus Epiſcopatus reſtituendos; præſertim, cum id videatur apertiſſimè ſtatutū in Conſtit. Apoſtolicis Leonis X. *in Concil. Later. Conſtit.* 17. §. 38. *tom.1. Bullar.* & Pij V. *Conſtit.* 35. §. 1. *tom.2. Bullar.* ex quibus colligitur clarè, beneficiarios omnes non recitantes Horas Canonicas non facere fructus ſuos, atque ad reſtitutionem teneri, adiuncto etiam priuationis beneficiorum demerito, ſi poſt monitionem in omiſſione horarum Canonicarum perſeuerauerint. Poſſe tamen Epiſcopos omnes, ac debere ſine ſcrupulo, & obligatione reſtituendi fructus Epiſcopatus recitare Horas Canonicas, non obſtantibus illis Conſtitutionibus Apoſtolicis docet Paſqualig. *in qu. Moral. Iurid. quæſt.* 210. vbi oſtendit, illas Conſtitutiones Apoſtolicas non comprehendere, niſi verè beneficiarios, ſiuè cum cura animarum, ſiue ſine cura, quod patet legenti ex ipſis verbis poſitis in Conſtit. *ſ* Epiſcopi verò præcisè, vt Epiſcopi, non ſunt beneficiarij, quia Epiſcopatus non eſt beneficium, quod datur propter officium, cum ſit beneficium altioris ordinis ab Eccleſia collatum ad ſuſtinenda onera Paſtoralia, quæ plura ſunt; & cum Epiſcopatus ſit dignitatum culmen in ſuo genere, dicitur etiam beneficium ſpeciali nota dignum, quod ſub generali appellatione beneficiorum cõprehendi non poteſt, quod habetur expreſsè ex Gloſſa *in cap. licet Eccleſiar. V. dignitatum, & in cap. de Prebend. in* 6. etiam ex Rota *deciſ.* 529. & apud Lotter. *de re beneſic. lib.* 1. *quæſt.* 9. Ex verbis igitur vtriuſque Conſtitutionis, tàm Leonis X. quàm Pij V. deducitur, teneri tantum ad reſtitutionem fructuum obtinentes beneficia, ſiue cum cura, ſiue ſine cura Animarum, in qua appellatione generica non comprehenduntur Epiſcopi. Nec obſtat, quod Pius V. in ſua Conſtit. 135. addat illa verba, *& qualiacumque alia beneficia, &c.* quę verba, cum ſint vniuerſaliſſima, videntur comprehendere etiam Epiſcopos; dico enim, illa verba, cum ſimus in odioſis, & pœnalibus eſſe reſtringenda ad beneficia tantum eiuſdem ordinis, & eiuſdem qualitatis, non verò ad beneficia altioris ordinis, & qualitatis diuerſę, vt eſt beneficium Epiſcopale, ſi hoc nomine ſit compellandum.

LEX CCCX.

Non ſupponenda ab Epiſcopis deobligatio à reſtitutione fructuum pro quocumque beneficio data officij omiſſione.

CEnſendi quidem Epiſcopi omnes immunes à reſtitutione fructuum pro Epiſcopatu, data quacumque officij omiſſione, idque ipſis facilè ſuadere poteſt conſcientia recta, ipſaque Epiſcopalis Prudentia; at ſi præter Epiſcopatum, alia obtineant beneficia, vt ſæpè contingit, in hoc caſu, ſi omittant Horas Canonicas, nulla ratione excuſari poſſunt à reſtitutione fructuum, quos ex alijs beneficijs ſuperadditis Epiſcopatui percipiunt; ſic enim vim habent eos obligandi Conſtitutiones Apoſtolicæ ſupraallegatæ Leonis X. & Pij V. cum illa beneficia comprehendantur ſub illa generali diſpoſitione, neque habeant prærogatiuam beneficij Epiſcopalis, quod eſt culmen dignitatis. Neque ex eo, quod illa omnia beneficia ſint Epiſcopi, dicuntur verè Epiſcopalia, atque adeò, vt ſpeciali nota digna, ſpecialiter nominanda; nam beneficium, ex eo, quod ſit in Epiſcopo, non dicitur propriè, & formaliter Epiſcopale, ſed ſolum materialiter,

& ideò

quam ampleɾtenda proponitur, nimirum gradum probabilitatis extrinſecæ, quod videntur ſuſtinere quamplures apud Baldell. *Tom. pr. Theolog. Moralis lib.* 4. *diſp.* 11. & etiam apud Farinacium *quæſt.* 14. *Repert. Iudicial. num.* 5. reuera tamen doctrina Veterum cæteris paribus nunquam eſt cenſenda probabilior doctrina Recentiorum, cum ideò authoritas faciat probabilitatẽ extrinſecam, quatenus ſupponitur authoritas probabili inniti ratione, cum verò in Recentioribus eadem probabilis ratio eſſe poſſit, ipſi quoque poſſunt facere ſuam doctrinam æque probabilem; non enim ex ſola temporis antiquitate authoritas facit probabilitatẽ, ſed ex probabili ratione, quà ducti ſupponuntur antiquiores ipſi; Alioquin vetuſtiores tempore, in aliqua doctrina facerent maiorem probabilitatem, quàm Veteres, & ſic in infinitum. Recentiorum igitur doctrina cæteris paribus præferenda eſt doctrinæ Veterum; Vbi enim concurrit authoritas Veterum, & recentiorum, debet præſumi, quod authoritas recentiorum fundetur in meliori ratione; cum recẽtiores poſſint examinare ſtrictius Veterum doctrinas, atque eorum fundamenta ſcrutari; enim verò mentis humanæ acies in dies acuitur, & perficitur, & multa tangit, & profert in lucem recentiorum doctrina, quæ nunquam Veteres attigere; ſic ſcientia in dies creſcente, plures opiniones, & doctrinas, quæ apud Veteres erant probabiles, recentiores ſua doctrina omninò reddidere improbabiles; hoc eſt ad cognitionẽ improbabilitatis deceptos perduxere, quemadmodum verſa vice, quæ cenſebantur improbabiles ad probabilitatem, & praxim deuenere; ex quibus arguitur, longè melius recentiores ſemper fuiſſe ratiocinatos, & cum maiori rerum notitia, quàm Veteres.

LEX CCCXIII.

Eligendi ab Epiſcopis Vicarij Generales, qui ſint omni exceptione maiores.

DAbantur olim Epiſcopis Coadiutores quidam, qui Coepiſcopi vocabantur, nunc temporis ſtatuunt Sacri Canones, vt Epiſcopi Vicarios eligant in adiutorium, qui ſint omni exceptione maiores, vt in pluribus eorum vices gerant, à quibus in cauſis ordinarijs ſpectantibus ad Epiſcopos, non licet ab ipſis ad ſuos Epiſcopos appellare, cum conſtituant idem tribunal cum iiſdem Epiſcopis, quod habetur *in cap.* 2. *de conſuet. & in c. Romana de appellat. in* 6. In eiuſmodi officium eligẽdi ſunt ab Epiſcopis, non Laici, ſed viri ſaltem prima initiati tonſura, qui ſint Doctores, ſaltem in Iure Canonico, vel licentiati, aut alias idonei *ex c. In noua &c. & ex c. Decernimus &c.* Excluduntur tamẽ ab hoc munere coniugati omnes, licet Clerici, & Doctoratus laureà inſigniti, idq; habetur per Gloſſ. *in c. ad præſentiam*, & etiam bigami, niſi priùs fuerint impedimento bigamiæ ſoluti. Non excluduntur tamen Regulares ex conſenſu ſuorum ſuperiorũ, niſi ſint Fratres minores, quibus id interdicitur *ex Clementin. exiui*, in his tamen omnibus, qui eliguntur in Vicarios Generales, debent reperiri qualitates neceſſariæ ad tale munus exercendum, præ quibus debet relucere vitæ probitas, ſcientia Ciuilis, & Canonica, ſcientia quoque moralis, & cauſarum forenſium peritia, Iuſtitia, & fortitudo; ſi enim Epiſcopi Vicarios ſibi eligerẽt his qualitatibus deſtitutos, eſſent eorũ omnium in culpa, quæ contingerent

ex Vicariorum inſcitia, improbitate, & iniuſtitia, & de omnibus apud Deum, & homines tenerentur rationem reddere. De authoritate, & poteſtate Vicarij Generalis plura habentur apud Sacros Canones, & etiam apud Scriptores, qui varia cõceſſere vices gerenti Epiſcopi, quædam tamen à Iure, alia verò ex ipſius Epiſcopi conceſſione, qui tamen ea tantum poteſt Vicario concedere quæ ſunt Iuriſdictionis, non ea, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, niſi ipſe etiam Vicarius eſſet Epiſcopus, nã tunc omnia poſſet ex mandato ſui Epiſcopi, vt habetur *in c. Quaranta de conſuetud. V. Reſeruata*. Solent autem Vicarijs ab Epiſcopis concedi cauſarum cognitiones, criminum correctiones, diſpenſationes, abſolutiones, examinationes, approbationes, & alia ſimilia, non tamen beneficiorum collationes, niſi ex ſpeciali mandato; vt habetur *in c. vlt. de off. Vic.* licet poſſit Vicarius inſtituere præſentatos à Patronis, vt habetur *in c. ex frequentibus*. Nec Vicarius poteſt beneficia ſupprimere, vel vnire, vel vniones reuocare, nec Eccleſias diuidere, nec plura alia facere, quæ ſpectant ad ſolam authoritatem Epiſcopalem, quæ videri poſſunt apud Mallet. *l. 3. de Hierarch. & Iure Eccleſ. Milit. part.*1. *tit.7. num.*4. Licet autem Vicariatus ſit dignitas habens Iuriſdictionem, poteſt tamen Vicarius ad nutum Epiſcopi ammoueri *ex c. Omnis;* dummodo aliqua iuſta interſit cauſa; non tenetur tamen ad Syndacatum *ex Reſcript. Greg. XIII. anno* 1578. *ad Clerum, & Communitatem Tarent.* Reliqua quæ tractantur de Vicarijs Generalibus relinquuntur apud multos Scribentes de hac materia, apud quos certum eſt, Vicarium Generalem non poſſe ſibi ſubſtituere alium Vicarium cum pari authoritate, ſed tantum ad modicum tempus ex neceſſitate, & in certis caſibus, vt conſtat *ex c. Clericos 4. de offic. Vicar.*

LEX CCCXIIII.

Deputandi etiam ab Epiſcopis Vicarij Foranei, qui ſint ſpectatæ probitatis. doctrinæ.

ETiam extra Ciuitatem, vbi nec Sedes eſt Epiſcopi, neque Epiſcopalis Curia, pro locorum, Clericorum, & Congregationum neceſſitate, deligendi ſunt ab Epiſcopis Vicarij Foranei, qui in locis illis ab Vrbe remotis ſint velut Cleri Cuſtodes, & iugiter vigilent, velut oculi Epiſcoporum in longinquo poſiti ſupra Clericalem diſciplinam, omnemque rerum Eccleſiaſticarum obſeruantiam. Quantum verò doctrinæ, & probitatis, morumque præſtantiæ, & vitæ integritatis in eiuſmodi quoque miniſtris requiratur ex ipſorum miniſterio, facilè coniectari poteſt; non enim poſſent alijs in diſciplina præeſſe, niſi præcederent ipſi cæteros exemplo, & doctrina. Vicarij Foranei, qui conſtituitur ab Epiſcopo in certa Diœceſis parte, vel in oppidis, tametſi nulla ſit dignitas, cum ſit quoddam ſolummodo ipſis demandatum officium, nullamque adeò præcedentiam habeat, habet tamen poteſtatem quamdam, non ordinariam, ſed delegatam ab Epiſcopo, vi cuius plura agere poteſt, & etiam delegatam Iuriſdictionem exercere; ſic enim habetur ex Gloſſ. *in Clement. 2. V. Foraneus* vndè in cauſis ab ipſo pertractatis, poteſt dari ad Epiſcopum appellatio, quæ ſemper dari poteſt à Delegato ad Delegantem, vt habetur in Iure Canonico, & Ciuili. Potiſſima autem munera Vicarij Foranei ea ſunt, vt exactiſſimè, & iuſtiſſimè

ſimè Delegationes ſui Epiſcopi impleat, ſiue in Ciuilibus, ſiue in Criminalibus, vt fideliter commiſſas informationes ſumat, & tranſmittat, vt diligentiſſimè Congregationibus Parochorum, aliorumque ex Clero ſemper adſiſtat; vt deficientes à ritibus, & regulis Eccleſiaſticis prudenter ad reſcipiſcentiam moneat; denique, vt ſuorum Parochorum Eccleſias ſæpius viſitet, earumque decentem ornatum, & ſupellectilem in augmentum promoueat, vt Diuinus in omnibus augeatur cultus, & Dei gloria magis extendatur. Quæ ſanè munera perfectè impleri non poſſunt, niſi intrinſecus æſtuet zelus, & ardeat amor erga ipſum Deum in Vicarijs Foraneis, hęc omnia, dictante vera virtute, quæ maximè prędicare fas eſt inter Parochorum conuentus, aliorumque Clericorum Congregationes, vbi illi, qui præſident, debent eſſe potentes ad ſuadenda bona, opere & ſermone; non enim eſt ſatis alios doctrina ſana, & prędicatione adhortari, niſi à ſuadente agatur, quod dicitur, atque in hoc ſuadendi genere debent cęteris pręſtare Vicarij Foranei, ne eorum officium, & miniſterium ſit prorſus inane, atque in vocem, & verba omninò euaneſcat; quò omni cura, & ſollicitudine debent Epiſcopi intendere in ipſis deligendis, & deputandis.

L E X CCCXV.

Præficiendi ab Epiſcopis Parochi animarum cura, qui ſint Paſtores idonei.

IVbet Trident. Concil. *ſeſſ.24. de refor. c.18.* vt Eccleſijs Parochialibus animarum curæ præficiantur Paſtores idonei, quàm maximè fieri poteſt; cum enim officium Parochi ad ea extendatur, quæ ad Populorum ſalutem, ad Eccleſiæ ſibi commiſſæ decorem, & ad Sacramentorũ miniſterium ſpectant, debent in eligendos ad Parœciam ea omnia concurrere, quæ eos præ cæteris virtute conſpicuos, atque æſtimabiles faciant, vt ſummo cum fructu, & munera pietatis exerceant, & verbum Dei communicent, & Sacramenta diſtribuant, & fidei rudimenta egentibus diſperriant; munus enim Parochi illud eſt, vt rudiores erudiat, vt pauperum miſerias alleuet, vt Sacramentorum vſum inducat, vt pręcepta ieiunia, & feſtos dies indicat, vt omnibus denique vitæ, & bonorum operum exemplo præluceat; vitia publica corrigendo, concubinatus, & vſuras prohibendo, lites, & odia componendo, quæ ſanè maximam requirunt in Parocho habilitatem; & ideò præcipitur à Tridentino, vt contingente Parochialis Eccleſiæ vacatione, ſtatim Epiſcopus concurſum indicat, ad quem vocantur omnes, qui ſe examini volunt ſubijcere, & ab Examinatoribus in Synodo conſtitutis exactè de concurrentium ſcientia, & vitæ probitate diſcutiatur, ad hoc tantum, ne ad curam tanti ponderis, quantum eſt animarum cura, minus idoneus quis eligatur. Eligendi verò ſunt Parochi ab Epiſcopis, qui ex aliquo defectu, vel corporis, vel animæ non ſint ammouibiles à ſuis Eccleſijs, debent namque eſſe ſtabiles ad vitam, cum ineant quoddam matrimonium ſpirituale, quod eſt indiſſolubile; vnde ſequitur, quod Eccleſijs Parochialibus non poſſunt ab Epiſcopis deputari ad certum tempus Parochi, ſed ſolum Parochorum Coadiutores, donec deputentur ſtabiles Parochi; ſic habetur *in cap. Veniens de filijs Presbyt* & etiam in Concil. Trident. *Seſſ.21. c.6.* vbi prohibetur remoueri Parochos ob eorum im-

imperitiam, ſi alioqui honeſtè viuant, cum ad ſummum in certis caſibus poſſint illis adiungi Vicarij, vel Coadiutores, vt dictum eſt. Vnde Alex. Papa III. benè mandauit Londonenſi Epiſcopo, vt reſtitueret Sacerdoti Eccleſiam, ex qua ſine cauſa expulſus fuerat, licet ab initio eidem Eccleſię indignè fuiſſet admotus. Quin immò Io. Cabaſſut. *in Theor. & prax. Iur. Can. c.* 17. adducit, plures Canones Concilij Nicœni, Calcedonenſis & Arecatenſis 1. in quibus prohibentur, Sacerdotes ab vna Eccleſia in aliam commigrare. Obligationes Parochorum plures ſunt, quædam ex Iuſtitia, aliæ ex Charitate, & habentur apud Sacros Canones *c. cum in cunctis de elect. & c. quia non multi*, eaſque recenſet etiam Trid. *ſeſſ* 6. *de refor. cap.* 1. *& ſeſſ.* 7. *c.* 3. *& ſeſſ.* 23. *c.* 1. à quibus difficillimè poſſunt ſe ſubtrahere ſine peccato, vt notat Reginald. *in praxi l.* 30. *tract.* 3. & præ cæteris ſtrictiſſima eſt obligatio Reſidentiæ, nam ſi abſque legitima cauſa non reſideant, ne dum mortaliter peccant, ſed etiam non faciunt fructus ſuos, ſaltem pro eo tempore, quo abſunt, quod apertè docet Trid. *ſeſſ.* 23. *ſupracitata*. Tolluntur autem plures obligationes à Parochis poſitis, & cognitis pluribus cauſis legitimis, quæ cauſæ referuntur in Iure Canonico, & etiam à pluribus ſcriptoribus.

LEX CCCXVI.

Non inſtituendæ ab Epiſcopis nouæ Eccleſiæ Parochiales ſine congrua dote.

NOn prohibetur Epiſcopis nouas Parochiales Eccleſias inſtituere, ſi neceſſitas poſtulet, ſed iàtum iubentur per Sacros Canones, ne id faciant ſine debitis requiſitis, ſine congrui redditus aſſignatione, vel facili nimis animi conſenſu, nam plura in nouæ Eccleſiæ inſtitutione libranda ſunt, vt maturè, & prudenter agant. Præ cæteris verò ad dotem Eccleſiæ reſpiciendum eſt, cum ex illa, & Parochus, & Miniſter alendus ſit, idque videatur eſſe de Iure naturæ, & etiam de Iure Diuino; quapropter etiam Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 13. pro dote Eccleſiæ, quæ datur in ſponſam Parocho, taxauit ſummā centum ducatorū, qui ducati debent remanere Parocho, ſicut mille, qui dantur Epiſcopo pro congrua ſuſtentatione; Scilicet deductis omnibus oneribus, vt habetur ex Rota *diuerſ. part.* 1. *deciſ.* 108. ita tamen, vt valor ducatorum attendatur ſecundum conſuetudinem locorum, vbi poſitum eſt beneficium, ſic declarante Sac. Cong. Cardin. ſuper Concil. Trid. *c.* 13. *de refor.* Videtur namque non poſſe Parochum decenter viuere cum minori redditu annuo, cum ſaltem vnum Clericum inſeruientem debeat habere, præter onus hoſpitalitatis, quam debet exercere ex præcepto Iuris Canonici *in c. de Mora, & in c. de Prabendis, & in c. Dilectus.* Verum tamen eſt, quod ſicuti nunc temporis, neque plures Epiſcopi habent pro congrua mille, ita neque Parochi omnes poſſunt habere centum deductis oneribus, cū omnia ruant in peius, quod eſt proprium labentium ſæculorum, & quandoque compelluntur Epiſcopi nouas inſtituere Parochiales Eccleſias, ſic exigente neceſſitate, cum redditu longè minori, attenta locorum & populorum paupertate, & vbi viget neceſſitas, ſpectata principaliter animarum ſalute, rigor congruæ dotis nō eſt ſeruandus, dummodo aliter fieri non poſſit; nobilior namque finis, qualis eſt animarum ſalus, debet reliquis humanis finibus præualere, & hac ratione, ego ipſe vſus ſum pluries in meo Epiſcopatu, cum non poſſem aliter pro-

prouidere, nec dedecet humanas, & poſitiuas leges Diuinę legi poſthabere, quæ omnium legum regula eſt infallibilis, & æterna. Quæ verò requirantur, vt aliqua Eccleſia inſtituatur, & dicatur verè Parochialis habentur apud Concilium Trid. *ſeſſ.*21. *de refor. c.*4. & apud Sacros Canones, debent enim in ipſa à Parocho omnia Sacramenta poſſe commodè adminiſtrari, & illa populus ſubiectus recipere; Sacramentum nimirum Baptiſmi, Pœnitentię, Euchariſtię, & Matrimonij, & reliqua Sacramenta ab ipſa, & à Parocho ipſius prodire; & ſi contingat vnam Parochiam diuidi in duas ex aliqua canonica neceſſitate, eadem in vtraque ſeruanda ſunt, quę ſeruantur in vna, cum hoc tamen adiecto, vt fructus, & redditus in duos Parochos iuſtè diuidantur ad vtriuſque congruam ſuſtentationem; ac pręſertim populus nouę Parochię erectę compellendus eſt ad neceſſaria nouo Parocho ſubminiſtranda, vt habetur in Trid. *l. c.*

LEX CCCXVII.

Ab Epiſcopis non ità facilè aſſentiendum permutationibus Eccleſiarum, tàm pro ſe ipſis, quàm pro ſuis Parochis.

ILlud Matrimonium, & coniugium, quod interuenit inter Epiſcopũ, & propriam Eccleſiam, idem prorſus initur inter Parochum, & ſuam Eccleſiã Parochialem, & vtrumque quatuor tantum modis diſſolui poteſt, nimirum tranſlatione, renunciatione, depoſitione, & morte; & primò loquendo de trãſlationibus Epiſcoporum ex vna in alteram Eccleſiam, certum eſt has prohiberi per Canones Apoſtolorum 15. *&* 16. *per Nicænam Synodum can.* 16. *per Synodum Sardicen. can.* 1. *per Carthaginen can. Non licet*, & per alios plures Canones in Iure Canonico. Quæ tamen tranſlationes poſſunt permitti, & fieri authoritate ſolius Papæ ex vrgentiſſimis cauſis *ex c. Niſi ſpiritualis, & ex c. Quod tranſlationem de offic. legatorũ.* Quẽadmodum igitur non poteſt diſſolui matrimoniũ initum cum ſponſa abſq; conſenſu ipſius ineuntis, & non poteſt fieri matrimonium nouum, niſi cum ſoluto, ipſi matrimonio nouo aſſentienti, ità neque poterit ſolui primum matrimonium, & nouum iniri, niſi ipſo Epiſcopo conſentiente; cum agitur de eiuſmodi tranſlationibus, ſolent Pontifices eas permittere ex aliqua vrgentiſſima cauſa, ſemper aſſentientibus ipſis Epiſcopis iuxta Concil. Later. 5. *ſeſſ.* 9. Si enim non adſit conſenſus Epiſcopi tranſlati, vel transferendi, videntur permanere in tali Epiſcopo iura ad primam Eccleſiam, & eſſe ſemper Epiſcopum primæ Eccleſiæ, cui doctrinæ videtur fauere Rota *deciſ.*475. *num.* 6. *in fine*, & etiam Congreg. Epiſcop. ſub die 10. Decembris 1624. quam refert Barboſ. *Allegat.*119. *de poteſt. Epiſcop. nu.* 7. Neque pro cauſa permutationis ſufficit maior Eccleſiæ vtilitas, ſiuè in illa Eccleſia, quæ relinquitur, ſiuè in illa, quæ de nouo acquiritur, nam Summi Pontifices non tenentur ad eiuſmodi maiorem vtilitatem reſpicere, alioquin nimis eorũ conſcientia grauaretur, ſi in electionibus Epiſcoporum hac obligatione tenerentur, nam ſemper deberent eos promouere ad Epiſcopatũ, qui non ſolum eſſent digni, & vtiles, ſed qui eſſent vtiliores, & nimis graue eſſet hoc onus, ſi eſſent quæritandi Epiſcopi vtiliores Eccleſiæ. Hæc igitur maior vtilitas non ſufficit pro cauſa motiua, alioquin ſemper deberet interuenire in aſſumptionibus Epiſcoporũ. Neceſſitas tamen ſiuè coniuncta, ſiuè

non coniuncta cum maiore vtilitate, poteſt eſſe ſufficiens cauſa, cui neceſſitati tenentur Epiſcopi conſentire, quando facienda eſt tranſlatio, vel permutatio, & ſic debet ſemper interuenire eorum conſenſus. Quæ hactenus dicta ſunt de permutationibus Eccleſiarum pro Epiſcopis, dicenda ſunt proportionaliter pro Parochis, quibus extra cauſas in Sacris Canonibus preſcriptas, non licet ſuas primas Eccleſias Parochiales permutare, quod etiam ab Epiſcopis aduertendum eſt, quando admittunt Parochos ad concurſus aliarum Eccleſiarum, omnis permutatio cauſam requirit, ex qua ſemper Epiſcopi cenſentur diſpenſare, vt fiat legitima permutatio, quæ quidem requirit etiam in Parochis conſenſum, cum agatur de nouo connubio cum noua Eccleſia Sponſa. An verò Epiſcopi in aliquibus caſibus poſſint cogere Parochos ad eiuſmodi permutationes, & an Summi Pontifices ad eaſdem permutationes poſſint cogere Epiſcopos, variè in hac materia ſentiunt DD., qui poſſunt conciliari ex eò, quod poſſint permutantes quoquomodo coarctari ad præſtandum conſenſum ex cauſa cognita, qui conſenſus, licet coactus, ſemper eſt neceſſarius ad permutandũ; nec valet dicere conſenſum coactum perinde eſſe, ac ſi non eſſet conſenſus, quia non eſt neceſſe ad conſenſum, vt ſit omnimodè liber etiam ex cauſa, ſeu motiuo libero, ſed ſatis eſt, vt ſit liber elicitiuè, ſeu electiuè ad maius malum impendens euitandum, & talis conſenſus ſufficit in permutationibus Eccleſiarum, licet non ſufficiat in alijs rebus requirentibus omnimodam libertatem.

LEX CCCXVIII.

Ab Epiſcopis non ità facilè reſignandi, ſeu renunciandi Epiſcopatus iam obtenti.

ANtè electionem ad Epiſcopatum, vel etiam poſt electionem, nulla adhibita opera propria, factam à Summo Põtifice liberum eſt Epiſcopis, antequam fiat acceptatio, vel acceſſus ad Eccleſiam, ipſam Eccleſiam recuſare, ſiuè renunciare dignitatem Epiſcopatus, idque ne dum fieri poteſt abſque criminis, vel dedecoris nota, ſed etiam ſumma cum virtutis laude, ex cognitione propriæ imbecillitatis imparis ad tantum onus; hoc namque feciſſe quamplurimos Sanctiſſimos, atque commendatiſſimos viros, habemus ex Eccleſiaſtica hiſtoria. Verum id eſſe ab Epiſcopis faciendum poſt acceptationem, & poſt onus ſuſceptum, ſine graui cauſa ab Epiſcopali Prudentiæ lege ſemper vetitum fuiſſe accepimus à Sacris Canonibus; cum abſque cauſa ſemper vetitum fuerit coniugiũ diſſoluere, quod diximus interuenire inter Epiſcopum, & Eccleſiam. Cauſæ autem reſignandi, ſeu renunciandi Epiſcopatum plures ſunt, & ſex præſertim enunciantur in Sacris Canonibus, & ſingulariter recenſentur *in c. niſi cum pridem*, eaſque accuratè examinat Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 114. vbi videri poſſunt, atque ex his, ne dum poteſt, ſed etiam debet Epiſcopus Eccleſiam renunciare, ità tamen, vt ſemper Summi Pontificis arbitrio ſe ſubijciat, qui ſemper ſuppoſito Epiſcopi conſenſu poteſt, & multoties etiam tenetur reſignationem acceptare; idque aſſeritur extra illos caſus, in quibus poteſt Epiſcopus etiam ſine ſuo conſenſu deponi, & priuari, vt patet ex Concilijs;

Con-

Conſtitutionibus Pontificijs, & Iure Canonico, vt contingeret, ſi Epiſcopus eſſet Hæreticus, Apoſtata, Simoniacus, publicus concubinarius, Irregularis &c. in quibus caſibus, licet fortaſſis non in omnibus, eſſent aſſignandi congrui redditus ad ſuſtentationem, ne cogeretur mendicare, vel ſeruiliter viuere. Quanta verò circumſpectione, & reuerentia ſit cum Epiſcopis procedendum, etiam in eorum cauſis criminalibus, & quantum ſit in hac materia ipſorum dignitati deferēdum, monent Sacri Canones, & Sancti Patres, & ipſi Summi Pontifices Canonū authores, præſertim Sixtus Papa *in c. Accuſatio Epiſcoporum*, & Innocent. III. *in Concil. Generali relato in c. qualiter.* nec contra ipſos quidquam poſſunt Hæretici, alijque infames viri criminoſi, vt habetur *in c. alieni quaſt. 7.* immò neque oues propriæ Epiſcopi Paſtoris, vt habet Euſebius Papa *in c. oues quaſt. 7. & in c. ſi quis ſunt quaſt. 7.* monentur omnes Iudices Eccleſiaſtici, ne Epiſcoporum accuſatores, & vituperatores facilè audiant, niſi prius eorum ſuſpicio diſcutiatur, & benè cognoſcatur, qua intentione, qua temeritate, qua conſcientia, an pro Deo, vel pro inimicitia, aut pro cupiditate illa præſumant contra Epiſcopos, & hæc iubentur in multis Sacris Canonibus, quos refert Barboſa *allegat. 112. de poteſt. Epiſcop. num. 1.* vbi etiam reſoluit, omnes Epiſcoporū cauſas in rebus grauioribus eſſe ad Sedem Apoſtolicam deferendas, neque eas ſpectare ad Metropolitanos, aut ad Concilia Prouincialia, præſertim vbi eſſent Epiſcopi ex criminibus deponendi, vel ſuis Eccleſijs priuandi, & ibi etiam *num. 6.* crimina obnoxia talibus pœnis recenſentur.

LEX CCCIX.

Non facilè admittendæ ab Epiſcopis literæ commendatitiæ, niſi in rebus arbitrarijs.

EA ſolum ducente Prudentiæ lege ab Epiſcopis ſcribendæ, atque admittendæ ſunt literæ commendatitiæ, vt nec ipſi in literis conſcribendis dolū faciant, aut mentiantur in commendatione; neque in ijſdem recipiendis, vel admittendis præiudicium aliquod, aut damnum inferant benemerentibus, immerentibus indulgentes, literarum intuitu; quemadmodum enim ſic factæ, vel receptæ commendationes eſſent ſemper illicitæ, vel ratione damni illati, vel ratione mendacij, aut doli prolati, ſic ſemper eo modo commendantes, vel commendationes recipientes cōtra dictamen rationis agerent, & criminosè operarentur atque à malitia huius criminis ſola bona fides poſſet excuſare, atque etiam à debito reſarciendi damnum abſoluere: habemus namque *in regulis iuris in 6. quod nullus ex conſilio obligatur ad reſarciendum damnum, niſi conſilium fuerit fraudulentum*; dolus enim ex natura ſua ſemper eſt malus, & iniuſtus, & ſecum trahit reſarciendi obligationem, ſi per ipſum inferatur damnum, quod *ex l. & eleganter §. vltimo ff. de dolo* demonſtrant plures Doctores apud Rebell. *de oblig. Iuſt. p. 1.* Cum itaque in eiuſmodi literis cōmendatitijs, vel facilè conſcriptis, vel facilè admiſſis ab Epiſcopis, ſemper adſit periculum agendi contra iuſtitiā, mentiendi, aut dolosè ſe gerendi extra res arbitrarias, quas agere, vel prætermittere ſemper liberum eſt, ac proptereà licitum; optimè conſultum erit Epiſcopis ab eiuſmodi commendatitijs, vel conſcribendis, vel facilè admittendis

tendis abſtinere; niſi certò cognoſcatur meritum, aut aliundè conſtet qualitas perſonæ commendatæ, vel commendandæ, & aliqua etiam concurrant requiſita ad faciendas licitas, iuſtas, & honeſtas eiuſmodi commendationes, quæ requiſita, tum in facientibus, tum in recipientibus commendationes plura connumerantur à Doctoribus apud Salas *de legib. diſp.* 25. Rebell. *p.* 1. *de oblig. Iuſt.* Gomez 2. *variar. cap.* 13. *de fideiuſſ.* Paſqualig. *deciſ.* 121. & alios, quos facilè eſt in re tanti momenti conſulere.

LEX CCCXX.

Etiam Principum commendationes ab Epiſcopis reijcienda, ſi ſint extra res arbitrarias.

QVæ ſunt ab Epiſcopis, vel à Principibus gerenda ſecundum menſuram obligationis adnexæ, neque arbitrium admittunt, neque commendationem, cum ſemper ſit opus contra fas, & æquum, & etiam contra regulam rationis, quod, cum ſit ex ſua natura opus malum, non excipit cooperationem alicuius agentis abſque criminis nota; igitur vbi deeſt materia agendi arbitraria, deeſt etiam arbitriũ licitè cooperandi per commendationes, tum in Epiſcopis recipientibus, tum in Principibus commendantibus; commendationes verò in rebus arbitrarijs ſiuè factæ à Principibus, ſiuè receptæ ab Epiſcopis ſemper licitæ ſunt, niſi aliqua circumſtantia vitientur, cum ſemper reſpiciant quod de ſe licitum eſt, ſiuè fiat, ſiuè prætermittatur ex libertate; quapropter nunquam ſunt faciendæ à Principibus, neque ab Epiſcopis recipiendæ commendationes illæ, quæ ſecum afferunt vim quamdam coactiuam, ſaltem ex modo commendandi; videtur enim in tali caſu tolli omninò arbitrium, & libertas agendi? Si verò, etiamſi ſint efficaciſſimæ petitiones, & commendationes Principum, relinquant arbitrium, & libertatem agendi in Epiſcopis recipientibus commendationes, tunc ex ſua natura erunt ſemper licitæ, & poterunt à Principibus fieri, & ab Epiſcôpis admitti. Cum verò Principes petentes, & commendantes ſemper aliquem metum reuerentialem incutiant, & quandoque etiam minas adijciant de gratuitis ſubtrahendis, in hoc caſu poterunt Epiſcoſcopi commendationes Principum, eorumque petitiones recipere, ſi verſentur in materia licita, iuſta, & honeſta; poſſunt enim Epiſcopi ad eas admittendas moueri ex non leui, quod immineat Eccleſiæ, incommodo, & ſemper prudentius agent eas admittendo, quàm non admittendo, cum teneantur Epiſcopi propriæ Eccleſiæ cõmodum, & quietem præoculis habere, quando nihil inconſonum rationi, vel iuſtitiæ peragitur. Plura ſunt de hac re apud Paſqualig. *deciſ.* 125. 126. 127. *&c.*

LEX CCCXXI.

Sedis Apoſtolicæ reſcripta ab Epiſcopis ſumma veneratione excipienda:

OMnes ſcriptæ diſpoſitiones, quæ ab Apoſtolica Sede proficiſcuntur poſſunt ſecundum genus vniuerſaliſſimũ vocari reſcripta, & hæc omnia quæcumque ſint, debent ab Epiſcopis non ſine magna veneratione excipi, & executioni mandari; cum ſint ſupremi ſuperioris leges, quibus tenentur parere inferiores Epiſcopi. Notat tamen Rebuff *in praxi benef.* eſſe ab Epiſcopis conſiderandas tamquam res diſtinctas, & diuerſas, priuilegia, mandata, & reſcripta Pontificia; rurſumque alia eſſe reſcri-

reſcripta gratiæ, alia reſcripta Iuſtitiæ, quæ pro formarum diuerſitate, in quibus expediri ſolent, nunc dicuntur Signaturæ, nunc Breuia, nunc Bullæ; Ea, quæ dicuntur priuilegia, ab Epiſcopis ſemper ſtrictè interpretãda ſunt iuxta *l. ſi quando C. de ineff. Teſt. c.* 1. *&* 2. *de priuileg. in* 6. vbi Gloſſa hanc deducit rationem, quia omnis receſſus à Iure communi eſt odioſus, & cum priuilegium ſit receſſus à Iure communi in fauorem perſonæ ſingularis, vt potè odioſus, erit ſemper ſtrictè interpretandus, *iuxta l. Ius ſingulare ff. de legibus, & iuxta can. fin.* 25. *quæſt.* 1. Quæ verò dicuntur mandata, ea ſunt, quibus Papa ſignificat Ordinarijs, vt certę alicui perſonæ prouideant de beneficio; ſic namque explicantur mandata Pontificia *in c. mandatum cum duobus, & in c. de reſcriptis, & in c. accepimus de ætat. & qualit. ordinand & in c. ſi Capitulo de conceſſ. præbend. in* 6. & etiam mandata eiuſmodi connumerantur inter odioſa, cum opponantur Iuri communi, & ſint ſemper reſtrictiua Poteſtatis Ordinariorũ, vnde ex hac parte non erunt ab Epiſcopis diuerſimodè à priuilegijs conſideranda; Reſcripta denique, ſeu literæ Iuſtitiæ, ſunt, quæ debitum petentibus auxilium impertiunt, & hæc vt plurimum ad lites, & ad Iuſtitiæ adminiſtrationem tendunt, cuiuſmodi ſunt Iudiciorum euocationes, Iudicum delegationes, & quæcumque literæ, quæ pro litibus inſtituendis, vel reſtituendis à Sede Apoſtolica ĩpetrãtur. Sic gratiæ reſcripta ea ſunt, quæ ex mera liberalitate, & clementia procedunt, vt ſunt diſpenſationes, Indulgentiæ, remiſſiones, abſolutiones, rehabilitationes, prouiſiones de dignitatibus, & beneficijs, tàm in forma gratioſa, quàm in forma odioſa dignum; hocq; interuenit diſcrimen inter reſcripta gratiæ, & reſcripta Iuſtitiæ, quod hæc nihil Iuris de nouo tribuunt, ſed ſolum Ius anteà quæſitum confirmant, vel de illo cognoſci iubent; illa verò Ius nouum tribuunt impetranti, neque exigunt cauſæ cognitionem, cum ſint meræ voluntatis, niſi obſtet falſitas, aut ſubreptio, aut aliquid aliud in clauſula appoſita, *ſi dignis, ita &c.* & etiam aliud interuenit diſcrimen, quod reſcripta Iuſtitiæ ſignari ſolent per verbum, *placet.* gratiæ verò, per verbum, *fiat.* De Signaturis Apoſtolicis, Breuibus, Bullis, alijſque literis Apoſtolicis, quę varium inter ſe ſortiuntur diſcrimen ſcribunt omnes Canoniſtæ *in praxi rerum Apoſtolicarum, in praxi beneficiorum, & in praxi Eccleſiarum*; plura apud ipſos videri poterunt.

LEX CCCXXII.

Apoſtolicæ Sedis reſcripta ab Epiſcopis ſumma cum attention e examinanda.

DEcernit Concil. Trid. *ſeſſ.* 13. *c.* 5. *& ſeſſ.* 22. *c.* 5. *& ſeſſ.* 24. *c.* 11. Epiſcopos in examine literarum Apoſtolicarum eſſe Apoſtolicos Delegatos, quorum munus eſt examinare, vtrum ſuppreſſione veri, aut ſuppoſitione falſi, aut alio graui defectu ipſę literę Apoſtolicę vitientur, adeoque, facto examine, prꝫter verbum *Viſa*, debent ſcripto ſuam approbationem apponere, vel denegare, vel recuſare, vel executionem permittere, aut prohibere, aut ſuſpendere, iuxta *c. ſuper his de fid. Inſtrum. & c. Porrò de Priuilegiis* Expreſſio falſi, quę dicitur obreptio, & ſuppreſſio veri, quæ dici ſolet ſubreptio, ſi ſit malitioſa, reſcriptum reddit inualidum, vt eſt *in c. Decenti* 25. *qu.* 2. Si verò ex ſola ignorantia, vel ſimplicitate proceſſerit, tunc ab Epiſcopo, vel ab alio

Iudice

Iudice delegato facienda eſt diſtinctio; vel enim impetrans, re integrè, & verè expreſſa repetita obtinuiſſet à Papa ſaltem in forma communi, & in hoc caſu Epiſcopus, vel Iudex Delegatus per id reſcriptum debet procedere, ſeruato Iuris ordine, non verò ſecundum ſpecialem, & extraordinariam reſcripti formam; vel Delegatus iudicat apud ſe ipſum, quod rei veritate planè manifeſtata, & abſque interuentu obreptionis, vel ſubreptionis Papa non fuiſſet conceſſurus tale reſcriptum, & in hoc caſu delegatus debet prorſus abſtinere, perinde, ac ſi litterę nullę fuiſſent impetratę, & hoc ſtatuitur *in c. ſuper litteris de reſcript. Quod eſt conforme diſpoſitioni l.2. §. fin. ff. de Donat.* vbi hęc eadem diſtinctio adhibetur circa validitatem donationum. Quando autem in eodem negotio ſunt duo reſcripta, examinandũ eſt ab Epiſcopo, vel à Iudice delegato, an poſterius reſcriptum ab altera parte impetratum mentionem faciat de priore reſcripto, nec ne; ſi mentionem facit, pro valido habendum eſt, ſin inualidum, & prius reſcriptum in ſuo robore permanet; ſi verò poſterius reſcriptum mentionem facit anterioris, illud abroget in eo, in quo eſt incompatibile cum poſteriori. Sic habetur *in c. Cæterum de reſcript.* & idem examinandum eſt in collatione beneficij per Papam, nam ſi contra ſuam prouiſionem anteriorem, neque illius facta aliqua mentione, confert alteri idem beneficium, iſta poſterior collatio habetur pro ſubreptitia, atque pro inualida, iuxta *c. Cum olim de ſent. & re iudic.* Denique ab Epiſcopis diuerſimodè examinanda ſunt reſcripta gratię, & reſcripta Iuſtitię, quoad effectum, nam prima perpetuam vim habent, nec tempore expirant, vt habetur *in l. falſo C. de diuerſ. reſcript. & etiam in c. ſi cui de prebend. in 6. & in c. decet de Reg. Iur. in 6.* niſi tamen quis in executione reſcripti vltrà admodum negligens eſſet, quod cauetur *in c. ſi Clericus* & apud Gloſſ. & DD. communiter *in 6.* Secunda verò reſcripta, quę ſunt Iuſtitię, ſi intra annum executioni non mandantur, & ſuum non ſortiuntur effectum, expirant ſtatim elapſo anno, ſic ſtatuente Iure Canonico *in c. ſi autem & in c. Plerumque de reſcript.*

LEX CCCXXIII.

Non ſine cauſa ad ſe ipſos facienda ab Epiſcopis cauſarum auuocatio.

NEmini dubium poſſe Epiſcopos, quemadmodum etiam reliquos in ſuperioritatis gradu conſtitutos, eas ad ſe ipſos auuocare cauſas, quę apud Iudices inferiores pertractantur; at eam debet ſibi Prudentia Epiſcopalis imponere legem, vt id ex rationabili cauſa ſemper agat, ne lędatur Ius Iudicum inferiorum, qui licet habeant ſuam iuriſdictionem ſubordinatam Iudici ſuperiori, adhuc tamen, vt talis, dicitur ipſorum propria, & debet ab ipſis adminiſtrari; vnde ſi abſque rationabili cauſa ipſa priuarentur, fieret illis iniuria grauis, eò quod extra omnem rationē illa facultate priuarentur, quę ipſis conuenit ratione muneris, & officij. Ex quibus etiam ſequitur, quod Epiſcopus auuocans ad ſe cauſas ab inferiori abſque rationabili cauſa non leuiter peccet, cum ſemper agat contra rationem, & contra charitatem, vt docet Suarez *tom.4. de Relig. tract.8. & alibi.* Quinimmò addit Paſqualig. *deciſ.61.* peccare etiam contra iuſtitiam legalem, cum irrationabiliter prępuertat ordinem inſtitutum ad benè dirigendam Rempublicam Eccleſiaſticam. Cęterum

rum certiſſimum eſt, poſſe Epiſcopos, & plerumque debere ad ſe cauſas pendentes coram Iudicibus inferioribus auuocare, cum hęc ſit poteſtas à Iure gentium, à Iure naturę, & à quocumq; alio Iure adnexa ſuperioritati gradus iuriſdictionem exercenti; cum nullus Iudex inferior poſſit facere ſuum Ius ſuperioris, ſed tantum illud, quod eſt proprium ſui muneris, quod Ius ſemper eſt dependens ex natura ſua à Iure ſuperiori, ipſique ſubordinatum; hancque doctrinam tradunt etiam Leſana, Rodriguez, & alij agentes de Iure competenti ſuperioribus, & inferioribus Iudicibus Regularium.

LEX CCCXXIV.

Nunquam ab Archiepiſcopis, Metropolitanis, & Patriarchis auuocandæ cauſæ pendentes apud Epiſcopos Suffraganeos præciſa Appellatione.

NVlla ſanè poteſtas pendentes aduocandi cauſas in eo excogitari poteſt, qui omni iuriſdictione caret in eos, quorum cauſę eſſent aduocandę; atque cum Metropolitani omni iuriſdictione careant in ſubditos Epiſcoporum Suffraganeorum, ſecluſa appellatione, apertè ſequitur, neque eos poſſe talium ſubditorum cauſas ad ſe auocare, & hac ratione vtitur Couuar. *cap.* 9. *pract. quæſt. n.* 2. vbi docet, cauſas pendentes in Epiſcoporum curijs ſolum ratione appellationis ad Metropolitanos pertinere; idque etiam ſtatuitur *in cap. Romana de Appellat. in* 6. *& in cap. de officio P. floral. ord. & in cap. de foro competenti in* 6. & alibi ſępè, neque ab hac doctrina recedunt Rebuff. Lancellot. Riccius, Barboſa, & alij apud Paſqualig. *deciſ.* 57. Quibus ita ſtatutis à fortiori nequeunt Metropolitani Iuridicè ſe immiſcere in ijs, quę ſunt de Iure ſupremi dominij; ſi contingat, ſuos Epiſcopos ſuffraganeos in aliqua ditione, tamquam Principes abſolutos ſummum Imperium exercere; ex hoc enim capite nullo pacto ſunt Epiſcopi ſuffraganei dependentes ab Archiepiſcopo Metropolitano, nullaque ratione, neque ratione Appellationis Suffraganeorum ſubditi ſubijciuntur Metropolitano, qui omni Iuriſdictione caret in Suffraganeos, exceptis rebus ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis; vt latè demonſtratum eſt in pluribus Allegationibus editis in lucem in Eccleſia Nouarienſi, cuius Epiſcopus eſt Princeps abſolutus omni ſubiectione carens, quoad Principatum vtriuſque Ripariç; ex quo inferunt plerique Doctores ſubditos appellantes, aut recurrentes ad alienum Principem eſſe tamquam Rebelles puniendos, & ſeuerè mulctandos, cum quodammodo crimine lęſę Maieſtatis notentur apud omnes.

LEX CCCXXV.

Non facilè ab Epiſcopis noua Sanctorum feſta indicenda.

EX antiquâ Sacrorum Canonum diſpoſitione feſta Sacra in propria Diœceſi annuente Clero, & Populo ab Epiſcopis indici poſſunt; his tamen non nimia facilitate, & multiplicitate Clerus, & Populus eſt onerandus, ne abeat in contemptum, aut in inobſeruantiam eorum celebratio, cum ſit Epiſcopis maximè curandum, vt iam indicta ab Eccleſia feſta obſeruentur, & in hoc præſertim ab Epiſcoporum Prudentia inſiſtendum eſt. Quemadmodum verò poſſunt Epiſcopi feſta Sacra indicere in propria Diœceſi per Synodum ex ſola propria authoritate,

audito ſolum, & non expectato populi placito, vt cum pluribus DD. docet. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. alleg.*105. *num.* 36. *ex c.* 1. *de conſec. diſt.*3. *& ex c. conqueſtus de ferijs*; ſic contra non poſſunt dies feſtos ijs ſacrare, qui nondum authoritate Romana ſunt in Sanctorum numerum adſcripti. Addit huic Doctrinæ Canonicæ Sayr. *in Clau. Reg.l.*7. *c.*3. poſſe Epiſcopos ex cauſa aliquas feſtiuitates abrogare, & alias ſubrogare, prout magis expedire videbitur, ità tamen vt neque nimis prodigi ſint, nec nimium parchi, quæ ſanè omnia non ſunt in poteſtate Principum Sæcularium, qui ſine Epiſcopi authoritate non poſſunt ſubditis ſuis dies feſtos indicere, cum hæc ſit res purè ſpiritualis, ſpectans ad cultum Diuinum, vbi nulla interuenit, vel poteſt interuenire Sæcularis poteſtas, vt benè Abbas *in c.* 2. *de ferijs num.*2. & ibi Azor. *c.*26. *quæſt.* 5. *&* 6. nec obſtat in contrarium textus *in c. fin. de ferijs*, quod pro indicendis feſtis ſit ab Epiſcopis petendus populi cõſenſus, quod indicat eſſe aliqualem poteſtatem circa feſta etiam apud Laicos, nam ad illum textum reſpondet optimè Genuenſ. *in prax Neapol. c* 51. & Sanchez *in Decal. l.* 2. *c.* 43. quod ſcilicet ad ſummum adhibendus ſit ab Epiſcopis populi conſenſus, non ad ſtatuendos dies feſtos, pro quorum conſtitutione ſola authoritas reſidet apud Epiſcopos, ſed ſolum, vt audiant, an populus tali feſtorum nouitate, & multiplicitate oneretur; quæuè ſint, quæ ex conſuetudine coli omiſſum eſt; aut ſi Patronorum Eccleſiarum feſta venerari præcipiatur, nec ne; aut alijs de cauſis, quæ poſſunt quoquomodo etiã ad populum ſpectare, & erunt ſemper extra poteſtatem ſpiritualem qua gaudent ſoli Epiſcopi in Eccleſia. Neque etiam obſtat quod Princeps Sæcularis *ex c. Irreligioſa de conſecr. diſt.* 3. *& ex c. de ferijs* poſſit ſtatuere, & imponere pœnas contra violatores feſtorum, nam etiam Laicalis poteſtas, vt potè Deo ſubordinata, ſe extendit ad promouendum cultum Diuinum, qui maximè promouetur in obſeruatione feſtorũ, nec pro hac re, tamquam pro crimine perpetrato Laici pœnas imponere excedit poteſtatem Laicalem, cum non ſit quid ſpirituale, vt eſt legem condere in Spiritualibus, quod eſt omninò extra ſphæram poteſtatis temporalis.

LEX CCCXXVI.

Operum ſeruilium permiſſiones in diebus feſtis toto conatu ab Epiſcopis abolendæ.

EX Conſtit. Pij V. Pontificis Sanctiſſimi, quæ eſt conſtitutio quinta de feſtorum obſeruatione, habent Epiſcopi quàm rigidè debeant procedere contra feſtorum violatores, quod indicat quanta obligatione teneantur omnium operum ſeruilium permiſſiones in diebus feſtis abolere, ac fundiius eradicare, cum non modicum patiatur contemptum cultus Diuinus. Verum tamen eſt, quod non quæcumque opera ſeruilia ſunt ab Epiſcopis, tamquam prohibita, inhibenda, cum quædam ad neceſſarium vitæ vſum communiter permittantur, vt habemus *in c.* 1. *& in c. conqueſtus de ferijs*; illa enim ſeruilia, & mechanica opera, quæ rationabili diſpenſatione ex ſua cauſa neceſſaria iuſtificantur, nunquam intelliguntur prohibita, vel prohibenda, vt notat optimè Quaranta *in Summa. Bullar. V. dies feſti*; maximè ſi interueniat in operibus etiam ſeruilibus illa neceſſitas, quæ non habet legem, vt conſtat *ex c. licet, & ex c. conqueſtus in fine de ferijs. Ex Concilio Aurelianenſ.* 3.

ſub Virgilio Papa regnante Childeberto anno 1540. declaratum eſt etiam, opera ſeruilia Aurigarum, Coquorum, Piſtorum, famulorum domus adornantium, & aliorum omnium, qui adornant hominum corpora, non eſſe prohibita, nec prohibenda in diebus feſtis, & hoc quia cenſentur neceſſaria ad publicum commodum, & ſi forent prohibita, facilis nimis, & obuia daretur peccandi anſa fidelibus. Ex illis operibus, quæ neque ſeruilia ſunt, neque mechanica plura permittenda ſunt, plura inhibenda. Artificum delineationes in charta, quales ſunt Architectorum, Pictorum, Sculptorum, Acupictorum, Fabrorum Signorum, & aliæ ſimiles, quæ operationes ſunt ab omni ſeruilitate recedentes, dicuntur enim potiùs operationes animæ, quàm corporis, & ſtudij loco cenſentur, modo in ſola carta exarentur, quę id circà etiam Sacris diebus fieri non vetantur, vt eſt doctrina communis. Non tamen eodem modo ratiocinandum eſt de publicis actis Notariorum, quæ fiunt per ſcripturas (exceptis illis, quæ fiunt propter connubia, & vltimas voluntates) nec de publicis Iudiciarijs proceſſibus, aut alijs ſpectantibus ad ſtrepitus forenſes, nec de publicis iuramentis; hæc enim omnia prohibentur quia non ſunt, veluti priuata ſtudia, & ſcripturæ vitæ priuatæ, vt dictum eſt de alijs ſolius animæ operationibus, & ideò prohibentur, nec ſunt ab Epiſcopis permittenda; niſi tamen eſſent puræ ſcripturæ præparatoriæ priuatæ, licet præparentur domi priuatim etiam ad cauſas forenſes à Notarijs, & Procuratoribus. Addit Barboſa *de poteſt. Epiſc. l. cit.* deciſum eſſe à Sacra Congregatione licere diebus feſtis dare operam quibuſcumque rebus ad vitā neceſſarijs, tempore perituris, præſertim tempore vindemiarum, & meſſiū, & collectionis fructuum, vel vbi neceſſitas vrgeat, vel ſuadeat pietas, ad iudicium tamen ordinarij, qui cauere debet, ne ſubditi eiuſmodi indulgentijs abutantur, præſertim occaſione mercatorum, & nundinarum, pro quibus neque licet feſta violare. Reliqua ad materiam ſpectantia S. Cong. Prudentiæ Epiſcoporum relinquit conſideranda, & iudicanda.

LEX CCCXXVII.

Non ſine cauſa permittenda ab Epiſcopis opera ſeruilia in diebus feſtis.

IN vnam eamdemque Sententiam video Doctores omnes concurrere, in hac materia, feſtiuis diebus toto conatu patrocinantes, at non vnanimi ſenſu, atque ratione, cum inter ipſos adhuc diſſidiū errumpat ex varia operū ſeruilium opinione, pleriſque opinantibus ea dumtaxat opera ſeruilia eſſe intelligenda, quæ fiunt ob lucrum ex arte mechanica corporis, non animi impendio, & exercitio; atque cum multa ſint etiam opera, quæ fiunt ex arte ingenua, communia ſcilicet etiam viris ingenuis, non ex lucro laborantibus, quæ tamen ex corporis labore videntur ſeruilia, de his ſaltem videtur ſtatuendum, quod ſint ab Epiſcopis etiam in diebus feſtis facilè permittenda. Ad tollenda tamen in hac re Doctorum diſſidia, ſupponendum eſt, opera omnia, quæ non cadunt, ſub prohibitione præcepti ad cultum, & Sanctificationem feſtorum indicti, non indigere Epiſcopali diſpenſatione, ſiuè permiſſione, cum eiuſmodi opera, ſiuè vulgo dicantur ſeruilia, ſiuè ingenua, & non ſeruilia quocumque tempore abſque criminis nota ſint factibilia;

ſupponitur namque eiuſmodi opera, neque ſcandalum ex ſua natura populis inducere, neque cultui, & Sanctificationi feſtorum officere, ſed ex ſua ipſorum natura ſemper eſſe licita, nũquam prohibita; quò ſuppoſito, conſideranda tantum veniunt opera illa, quæ, vt ſeruilia, & ad lucrum ordinata verè ſunt prohibita cultumque feſtorum impediunt, pariuntque ſcandalum apud populos; & hæc vult Epiſcopalis Prudentia, vt non facilè, & ſine cauſa permittantur in diebus feſtis, quod habemus *ex cap. licet de ferijs*, vbi Sum. Pontifex ſolum ex cauſa vrgente diſpenſat Piſcationem, quod ſignum eſt non eſſe licitam, ſi fiat ex lucro quidquid cum Paſqualig. *deciſ.* 144. dicant in contrarium Nauar. Medina, Lopez, Sanchez, Palat. Ioan. à Cruce, Bonacina, & alij, ea innixi ratione, quod Piſcatio ſit opus indifferens, non ſeruile, quin commune etiam viris ingenuis ad animum recreandum, ex qua ratione etiam volunt Venationem factam cauſa lucri in diebus feſtis, eſſe licitam; itidem picturam, ſcriptionem, conſultationes, & id genus alia, quæ poſſunt eſſe communia etiam hominibus ingenuis, ac propterea licet ob lucrum facta, non eſſe dicenda opera ſeruilia. Hæc tamen ratio, & doctrina à Prudentia Epiſcopali non eſt facilè admittenda, cum videatur omnimodè deſtruere cultum, & Sanctificationem feſtorum, ob quam opera quædam cũ labore facta, & ob lucrum ſemper dicuntur ſeruilia, & prohibita; ſunt enim duo hæc incompoſſibilia diem feſtum ſanctificare, quod non fit, niſi ſanctis operibus, & quædam alia omninò ab hoc cultu auuertentia peragere, quod certum eſt in communiori doctrina.

LEX CCCXXVIII.

Neque Bacchanalia, neque Torneamenta in diebus feſtis ab Epiſcopis permittenda.

A Prudentia Epiſcopali non ſunt eiuſmodi opera ad trutinam reuocanda, vt indè deprehendat, an ſint ſeruilia verè, atque adeò feſtis diebus prohibita, an tantum ingenua, ſcilicet ad relaxandum animum introducta; cum enim etiam in hoc diſcrepent Doctores, & quidem fundati in doctrina probabili, poſſent fortaſſis Torneamenta, & Bacchanalia ab Epiſcopis, & rationabiliter permitti, & etiam rationabiliter negari. At eiuſmodi opera ex alio capite ab Epiſcopis conſideranda ſunt, quia etiamſi ex præcepto diei feſti non eſſent prohibita, poſſunt tamen eſſe, & dici prohibita ex maximo damno, quod inferunt animarum ſaluti, ob quam cautum eſt in tot Apoſtolicis Sanctionibus, & inſtitutis, ne in diebus feſtis Bacchanalia exerceantur, ne publicè ducantur Choreæ, ne populus perſonatus incedat, & ne Torneamenta excitentur; Aſſolent enim hæc omnia à cultu, & Sanctificatione feſtorum, ne dum maximè auuertere, ſed etiam in crimina, & peccata perducere, vt conſtat experimento. Neque omnia, quæ fiunt ad relaxandum animum licita ſunt, ſi cum periculo, ac detrimento ipſius animi iungantur; in qua re multos video deceptos, ſe ipſos, & alios fallentes; neque admitto eiuſmodi opera ex genere ſuo eſſe indifferentia, atque omni prorſus malitia vacua, quia tametſi quacumque alia malitia carerent, ea ſemper ipſis indita eſſet, quod ſint à cultu Diuino maximè auuertentia in die feſto; quod ſufficit, vt ab Epiſcopis prudenter interdicantur.

tur. Verum tamen eſt, quod vbi contraria conſuetudo, ſeu potiùs abuſus inoleuit, maxima prudentia Epiſcopis vtendum eſt, ne maior irrepat ruina, quàm ſit malum, cum ſemper agatur de re, quæ Principes tangit; ſemper ipſis melius conſultum erit euento irreparabili oculos aduertere, quàm animum ad inconſona ſponte conuertere.

LEX CCCXXIX.

Cogendi ab Epiſcopis ad venditionem nolentes vendere proprias ædes pro ædificatione Monaſterij, Loci pij, Scholarum, &c.

QVamplures Doctores Iuriſtæ, & Canoniſtæ, quos refert Lauret. de Franchis *qu.*8. docent abſque dubitatione, poſſe Epiſcopos compellere renuentes vendere proprias domos, vbi agatur de ędificando Monaſterio, loco pio, Schola, & his ſimilibus, dummodo tamen id fiat, non ad complacendum alijs, ſed ob puram vtilitatem Eccleſię, loci pij, &c. & ob neceſſitatem veram Monaſterij, quod notant Guido Papę *deciſ.*411. Vincent. de Frãchis *deciſ.*223.& alij. Addit. Maceratenſ. *lib.*1. *reſolut.*112. poſſe Epiſcopos cogere vicinos etiã ad venditionem proprię domus ob ſolam ampliationẽ viridarij, quia idem iudicandum eſt de viridario, ac de ipſo Monaſterio, cum viridarium dicatur pars Monaſterij, ob connexionem, quam inuicem habent; vt proinde vendita domo, veniat etiam viridarium, vt notat Iaſon. *in l. beneficium nu.* 14. *ff. de Conſtit. Princip.* quòd maximè intelligendum eſt, ſi agatur de Religioſis, aut Monialibus, nam his non minus eſt neceſſarium viridarium, quàm commoda habitatio, cum vtrumque ſit pars Monaſterij gaudens priuilegio immunitatis, & Clauſurę, quod ſcitè notat Paſqualig. *in addit. qu.*8. Ad hęc conſequitur, quod poſſint etiam Epiſcopi, cogere vicinos ad vendendam Religioſis ſeruitutem non attollendi altiùs ędificium, ſuppoſito quod id fiat ad vitandum aliquod damnum Eccleſię, vel Monaſterij, quale eſſet diminutio luminis, aeris ſalubris, ſubiectionis ad oculos, & huiuſmodi; non verò ſi fiat ad complacendum alijs, vel ad aliquod aliorum emolumentum; nam vicini non poſſunt alia ratione ab Epiſcopis cogi, niſi ex Eccleſię, vel Monaſterij priuilegio *in l. ſi quis Sepulchrum ff. de Relig. & ſumpt. fun.* quod priuilegium habet locum ſolum ſuppoſita indigentia, vt conſtat ex text. Neque quod dictum eſt de ędificatione, vel ampliatione Monaſterij, negari poteſt de ędificatione, vel ampliatione hoſpitij, quidquid dicat in contrarium Riccius *deciſ.* 138. *part.*1. nam etiam hoſpitia ſunt loca Religioſa, & Eccleſiaſtica, & debent gaudere priuilegio Eccleſię, vt habemus *ex cap. Ad hæc, & ex cap. de Xenodochijs Domibus,* & in ijs habet locum diſpoſitio legis *ſi quis Sepulchrum ff. de Relig. & ſumpt. fun.* quę extenditur ad Eccleſias, Monaſteria, & alia loca huiuſmodi, &c.

LEX CCCXXX.

Ab Epiſcopis compellendi vicini ad vendendas iuſto pretio proprias domos pro conſtruenda, vel amplianda Eccleſia.

REligionis fauore, poſſe quemlibet ab Epiſcopis cogi ad proprias vendendas domos pro conſtruenda, vel amplianda Eccleſia, ferè communiter ſentiunt Doctores apud Lauret. de Franchis *qu.*7. addentes etiam non ſolum

lum

lum pro conſtructione ,& ampliatione Eccleſię cogi,ſed etiã pro cõſtructione domus propè Eccleſiam,in qua habitet Clericus,qui debet Eccleſię inſeruire,& hęc cõmunis doctrina fundatur *in l.ſi quis ſepulchrũ iam citata*,vbi licet ſolũ diſponatur de ſepulchro, & via ad ipſum, ex identitate tamen rationis, habet locum etiam in Monaſterijs, & Eccleſijs, & earum ampliatione; quam doctrinam licet ex parte amplectatur Paſqual. *in addit.ad Lauret. quæſt.7.* ex parte tamen illam non admittit, cum doceat,non poſſe, nec debere cogi vicinum ad vendendam domum, etiam ſoluto iuſto pretio,ſi aliunde magnum patiatur damnum, quod conſtat etiam ex Rota *deciſ.402. n.3. part.3. Recent.* nihil enim pręcipi poteſt,quod ſit expreſsè contra iuſtitiam. Immò additur ex eadem deciſione Rotę, quod concurrente inſigni aliqua, & extraordinaria familię nobilitate, antiquitate, & ſingularitate ędificij, non poſſe vicinos cogi ad venditionem, maximè cum aliunde Eccleſiæ neceſſitati prouideri poſſit; præſertim ſi Eccleſia conſtruenda, vel amplianda eſſet poſterior, illo inſigni ædificio, vel Palatio; debuiſſet enim à conſtruentibus Eccleſiam pręuideri hæc difficultas inſignis demoliendæ fabricæ,& ſic aliunde prouideri; talia namque ædificia, cum multum conferant ad ſplendorem Ciuitatis, & ad communem vtilitatem, non ſunt ita facilè diruenda; ſupponit enim Paſqualig. *l. c.* talia ædificia inſignia, & ſingularia ex Conſtit.Gregorij XIII. eſſe æquè priuilegiata, & religioſa, vti ſunt Eccleſiæ. An verò Priuilegium cogendi vicinos ad venditionem pro conſtructione, vel ampliatione Eccleſiæ extendatur etiam ad locationem domus, ſine diſtinctione non eſt reſoluendum; ex vna namque parte, cum etiam locatio domus ſit in fauorem,& priuilegium Eccleſiæ, videtur idem dicendum de venditione, & locatione, maximè cum ex Rota in vna Nouarienſi bonorum 8.Martij 1593. coram Pennia pari greſſu incedant alienatio, & locatio. Ex altera verò parte docent Iuriſtæ plures, non eſſe eodem modo loquendum de venditione, ſeu alienatione, & de locatione, cum hæc duo maximè diſtent in Iure, ſuppoſito tamen, vt ſcitè notat Paſqualig. *l.c. ad l.ſi quis ante ff.de acquirend.poſſeſſione*, quod locatio non ſit facta ad longum tempus, ſic enim videtur æquiparari alienationi, vt conſtat ex communi doctrina.

LEX CCCXXXI.

Libera ſepulturæ electio, in quacumque Eccleſia fiat, ab Epiſcopis permittenda.

NOn debet latere prudentiam Epiſcopalem, quod neminem latet; nimirum eſſe liberum ius cuicumque Laico, qui ſit ſui iuris, vt poſſit ſibi ſepulturam eligere vbicumque libuerit, tàm in Eccleſia Regulari, quàm in ſæculari, tàm in partibus remotis, quàm in proximis, tàm in Sacriſtijs, Clauſtris, & Capitulis, quàm in alijs locis Sacris eiuſmodi. Id enim ſatis notum eſt *ex cap. cum liberum de ſepult. & ex cap. cum quis. §. ſi quis de Sepulturis in 6.* vbi hanc doctrinam tradunt communiter Canoniſtæ. Dixi liberam ſepulturæ electionem eſſe ab Epiſcopis permittendam, quia coacta electio, quæ eſt expreſsè contra Conſtitutionem Bonifacij VIII. non eſt permittenda,quemadmodum neque electio facta per votũ, aut iuramentum immutabile,cum hęc quoque electio non ſit omnimodè libera, ſi tamen ſit facta per inductionẽ, aut ſuaſionem efficacem alicuius, ita

vt

vt quoquomodo ſit dempta libertas liberæ electionis; & contra ſic ſuadentes, vel inducentes lata eſt cenſura, *in Clementina cap. Cupientes, & in cap. Animarum periculis de ſepult.* quia eiuſmodi electiones factæ contra Canones, & Apoſtol. Conſt. ſunt ipſo facto nullæ, & irritæ, & puniendi ſunt illi Clerici, vel Regulares, qui inducunt ſæculares ad ſe obligandos ad electionem ſepulturę ex voto, vel iuramento in tali, vel tali Eccleſia particulari. An verò eiuſmodi Conſtitutiones Pontificiæ factæ ſint tantum ad tuenda iura Parochialia, vel etiam ad tuendam libertatem humanam vſque ad extremum vitæ, non hic huic rei examinandæ locus, cum vterque finis potuerit eſſe intentus à Summ. Pontificibus.

LEX CCCXXXII.

Non cuicumque ſine diſcrimine permittenda ab Epiſcopis libera ſepultura electio in ſuis Eccleſijs.

IVs eligendi ſepulturas liberum quidem eſt, at non omnibus indiſcriminatim ab Epiſcopis liberum relinquendum eſt, cum multi ſint, quibus in hac re vti libertate non permittitur à Iure Canonico, quapropter Religioſis, ſeu Regularibus *in cap. fin. de ſepult. in* 6. apertè interdicitur electio ſepulturæ ex eo præſertim, quod Regulares non ſint ſui iuris, cum non habeant proprium velle, ac nolle; licet multi DD. concedant hanc facultatem, ſeu libertatem eligendi ſepulturam Regularibus decedentibus extra Clauſtra, quibus non eſt ita facilè ad propria Monaſteria deferri, quod videtur deduci ex eodem *cap. fin. de Sepult. in* 6. ad illa verba: *niſi tam remotè, &c.* tunc enim talis electio intelligitur fieri cum voluntate interpretatiua Superioris. Regularibus tamen Nouitijs permittenda eſt ab Epiſcopis electio ſepulturæ, cum ſint adhuc ſui iuris, & poſſint teſtari, nondum adſtricti obedientię voto; poſſunt enim adhuc in omnibus ſuam liberam voluntatem exercere. Maior difficultas eſt de vxore, de filiofamilias, & de ſeruo, quibus omnibus, nō eſt liberū velle, ſed his quoque ab Epiſcopis permittenda eſt libera ſepulturę electio, cum in hac re Spirituali ipſis quoque per Canones concedatur ampla libertas, vt patet *ex cap. de Vxor. & de Sepult. in* 6. *& ex cap. licet de ſepult. in* 6. *& ex cap. Vnaquaque* §. *exemplo, & aliunde, &c.* cenſentur enim Canones in hac re ſpirituali habere ius proprium, quod ius etiam habent Clerici omnes, qui non debent eſſe inferioris conditionis, quā Laici; ipſiſque ſpecialiter concedit electionem ſepulturæ *Canon. in extrauag. deteſtandæ §. præfati, & §. ſed vt Defunctorum, & in cap. Bonæ rei, & in cap. Vnaquaque,* & alibi ſępè. Vnde his omnibus Epiſcopalis prudentia abſque difficultatę poterit concedere liberam ſepulturæ electionem.

LEX CCCXXXIII.

Non permittendus ab Epiſcopis ſuperfluus mulierum ornatus.

SPectat ad munus Epiſcopalis Prudentiæ ijs omnibus manum admouere, quæ militant aduerſus animam, & quæ potiùs ducunt ad interitum, quàm ad ſalutem; ideò cum plerumque ſuperfluus mulierum ornatus non ſiſtat intra terminos honeſtatis, ſed prouocet ad libidinem, licet ex intentione vtentis non ordinetur ad talem finem, tenentur Epiſcopi oues ſuas ab hoc periculo immunes ſeruare, quod

fit

ſit, ſi aliqua lege, vel interdicto talis ornatus ab ipſis prohibeatur; & hæc doctrina eſt communis apud illos Doctores, qui volunt, mulieres ob ſuperfluum ornatum allicientem, vel prouocantem ad libidinem peccare mortaliter, quorum pleroſque citat, & ſequitur Paſqualig. *Q. Moral. Iurid.* 223. Ratio doctrinæ eſt, quia Epiſcopi ſunt Paſtores animarum, & tenentur ex officio oues ſuas dirigere ad ſalutem æternam, ac propterea ea omnia tollere debent, quæ ſalutis æternæ conſequutionem impediunt, illa media adhibẽdo, quibus periculum peccandi remouetur, quales ſunt leges prohibitiuæ ſuperflui mulierum ornatus, habemus namque *ex cap. error diſt.* 83. Innocentium Pontificem declaraſſe Prælatos negligentes extirpare delicta, cum poſſint, in ijſdem communicare, & etiam *ex c. irrefragabili de off. ordina.* Concilium Generale iniungere Prælatis, vt corrigant exceſſus, moreſque ſubditorum reforment, ne ſanguis illorum de manibus Prælatorum requiratur; & apud SS. PP. communiter hæc eadem obligatio exprimitur in omnibus ſuperioribus, præſertim in Epiſcopis, conſtat verò ſatis, quod ſuperfluus mulierum ornatus ex ſe ſemper eſt ſcandali occaſio, quamuis in mulieribus deſit praua intentio, nam ex ſe ſemper potens eſt prauas concupiſcentias in viris, & venenum libidinis inſtillare. Neque tam facili negotio admittenda eſt ab Epiſcopis illorum doctrina, qui volunt, fœminas etiam vtentes ſuperfluo ornatu non peccare mortaliter, & ideo ſub titulo mali moralis non poſſe ab Epiſcopis prohiberi; enim verò talis doctrina, licet fortaſſe probabilis, non eſt probanda tamquam tutior pro conſcientia, cum plerique Doctorum tradant doctrinam oppoſitam; ſufficit enim quod actio de ſua natura poſſit proximi ruinam afferre, licet quandoque per accidens non afferat.

LEX CCCXXXIIII.

Non permittenda ab Epiſcopis conſuetudo in mulieribus nudandi pectora.

IMponitur onus Epiſcopali Prudentiæ, vt quammaximè vigilet, ne praua aliqua conſuetudine vitientur mores ſubditorũ, aut penitus corrumpantur; debent enim Epiſcopi Paſtores ſic ſuper oues ſuas vigilare, vt nulla pereat ex illis ſcandali permiſſione; ideò præter ſuperfluum ornatum à mulieribus omninò tollendum, quoad fieri poteſt, impedienda eſt ab Epiſcopis illa conſuetudo in mulieribus, qua etiam pro regionum more ſolent facilè nudari ab ipſis pectora, licet id fiat ad pompam, & ad ſolam vanitatis, & pulchritudinis oſtentationem; nam docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 169. *art.* 2. actionem etiam ex vanitate, vel animi leuitate factam, quæ ſit tantum peccatum veniale, ſi ex illa occaſio peccandi alijs præbeatur, vel aliud graue damnum ſequatur poſſe prohiberi, tamquã obiectum abſolutè malum, quemadmodum etiam quædam purè indifferẽtia ob bonum commune Reipublicæ poſſunt fieri obiectum legis prohibitiuæ, vt habemus in materia de legibus. Verum tamen eſt, quod ſi ex actione, quæ prohibetur perraró naſceretur ſcandalum, aut peccata perpetrarentur potiùs ex prauâ peccantium diſpoſitione, quod eſt dicere, ſequerentur peccata per accidens, non per ſe, in hoc caſu non tenerentur Epiſcopi ſub mortali talem actionem prohibere; idque iudicandum eſt ex prudenti ipſius rei, & Doctorum æſtimatione; poſſet ta-

men talis actio ab Epiſcopis ſemper prohiberi, tameſi eſſet indifferens ob commune bonum ſubditorum. Ità pariter ſicut non debent permittere Epiſcopi, quod pectoris denudatio ex cõſuetudine introducatur apud mulieres, neque debent talem introductam conſuetudinem tolerare, cum multi doceant, adhuc mulieres per talem conſuetudinem iam introductam peccare mortaliter;& ſemper optimè conſultum erit animarum ſaluti, ſi eiuſmodi prauæ conſuetudines omninò, & funditus euellantur ab hominum ſocietate.

LEX CCCXXXV.

Non exercenda ab Epiſcopis Iuriſdictio contentioſa extra fines propriæ Diœceſis.

EX *c. congruente de offic. Iud. ordin. & ex c. accedentibus de exceſſ. Prælat. & ex Can. Epiſcopum* 9. *quæſt.* 2. ea eſt Iuriſdictio contentioſa, quæ exigit proceſſum Iudiciarium, & ſtrepitum forenſem, ad differentiam Iuriſdictionis voluntariæ, quæ non exercetur per Tribunal, neque cum vllo iudicio, ſeu contentioſo proceſſu; & ideò Epiſcopus in aliena Diœceſi vbi nullum poteſt Tribunal erigere, vel exercere, neque poterit exercere Iuriſdictionem contentioſam, neque in ſubditos proprios, in quos tantum poteſt illam Iuriſdictionem exercere, quæ afficit perſonas, non quæ afficit locum, ſeu loci dominium. *Ex Clement.* tamen 1. *de foro compet.* poterit etiam Iuriſdictione contentioſa vti, etiam in aliena Diœceſi, quando impeditur illam exercere in propria, cum hac tamen conditione, vt petat facultatem ab Epiſcopo illius Diœceſis, quam ſi non obtineat, vt illa vti poſſit, ſufficit, quod petat. Ita Caballut. *in Theor. Iuris Canon. lib.* 1. *c.* 8. *num.* 4. & ratio eſt, quia in tali caſu illa facultas ab alieno Epiſcopo irrationabiliter negatur. Iuriſdictione verò voluntaria ſemper poſſunt vti Epiſcopi, etiam extra proprios fines, nec requiritur, quod petatur facultas, ſicut in contentioſa, dummodo ſemper vtantur cum ſuis ſubditis, vnde poterunt ipſis conceſſiones gratiarum impertire, à peccatis, & à cenſuris abſoluere, & id genus alia plura facere, nimirum, beneficia conferre, cauſas delegare, & vota diſpenſare; ſic enim habetur apud Zerol. *in prax. Epiſcop. p.* 1. *V. Iuriſdict.* & apud Geminian. *in c fin. in* 6. *de elect.* Qui docent plerique, Epiſcopos etiam extra proprium Territorium poſſe edicere, & citationes expedire, dummodo trahat partes ad Tribunal proprij Territorij. An verò poſſint Epiſcopi ordines, & tonſuram ſuis ſubditis conferre vbicumque locorum, reuocant in dubium Doctores, illi maximè, qui ſupponunt, hanc Iuriſdictionem, vt afficientes perſonam, eſſe voluntariam. Communis tamen ſententia apud Rebuff. *tract. de nominat. qu.* 14. *nu.* 49. ſupponit, non poſſe conferre, niſi Tonſuram, vt alibi dictum eſt, hancque vni tantum, vel alteri ſubdito, ne videatur Epiſcopus, velle exercere Iuriſdictionem Epiſcopalem in aliena Diœceſi, quam ſolent Epiſcopi exercere in Pontificalibus, & publicis Ordinationibus, quæ Iuriſdictio, cum afficiat locum poteſtatis, & dominij eſt contentioſa, non voluntaria. Reliqua ſpectantia ad voluntariam Iuriſdictionem, fatentur Doctores omnes, poſſe ab Epiſcopis exerceri cum ſuis ſubditis, etiam extra fines propriæ ditionis, & Diœceſis, dummodo tamen non commiſceantur cum rebus ſpectantibus ad contentioſam; inter quę eſt aduertendum,

dum, nunquam ea commiſceri, quæ ſpectant ad forum internum conſcientiæ in ſuis ſubditis contingentia,

LEX CCCXXXVI.

Etiam extra fines propriæ Diœceſis exercenda ab Epiſcopis poteſtas, quam habent circa vota, & Matrimonia ſubditorum.

Non eſt hoc loco diſſerendum de Epiſcoporum poteſtate circa cenſuras, & Irregularitates, nam de his erit alibi ſpecialis tractatus, fauente Deo, Certum tamen eſt, Epiſcopos pro ſuis ſubditis vbicumque locorum habere poteſtatem diſpenſandi, & tollendi quaſcumque cenſuras, & Irregularitates prouenientes ex occulto delicto, exceptis tamen illis, quæ proueniunt ex homicidio voluntario, aut illis, quę proueniunt ex delictis ad forum contentioſum deductis. Expedit igitur Epiſcopis ad demonſtrandam poteſtatem, quam habent à Iure independenter à quocumque loco, quędam diſpenſare, & relaxare ſubditis ſuis, etiam extra fines Diœceſis, quod potiſſimum fieri poteſt, & debet in abſolutione à cenſuris, quæ poteſt fieri, etiam abſentibus, in diſpenſatione impedimentorum Matrimonij, & in relaxatione votorum, ſiue per diſpenſationem abſolutam, ſiue per commutationem in alia quædam bona opera. Quoad Matrimonij impedimenta non dirimentia, excepto ſimplici Religionis voto, aut perpetuæ caſtitatis, poſſunt Epiſcopi ſuis ſubditis cætera omnia diſpenſare, quod habent ex doctrina S. Antonini, Paludan, Nauarr, & aliorum Doctorum communiter apud Gabaſſut. *lib.* 1. *c.*8. *num.*12. Quin etiam poſſunt Epiſcopi quandoque relaxare etiam aliqua impedimenta dirimentia, cum hac tamen reſtrictione. Primò, vt valeat diſpenſatio tantum in foro conſcientiæ. 2. Vt bona fide, & ex ignorantia impedimenti contractum ſit Matrimonium, 3. Vt impedimentum ſit occultum, ſed nuptiæ ſint palam factæ. 4. Vt Papa, vel Legatus Apoſtolicus adiri non poſſit, vel ob coniugum paupertatem, vel ob infirmitatem, vel quia abſque euidenti peccati mortalis periculo differri, vel expectari non poſſit Romanæ Sedis diſpenſatio, vel ex alia ſimili cauſa, quæ doctrina habetur communiter apud Summiſtas, & prę ſertim apud Sãchez, Azorium, Coninch Bonacinã, & alios, qui etiam volunt, Epiſcopos poſſe alijs hanc diſpenſandi facultatem delegare, Idem dicendum de votis ſubditorum quæcumque ſint, & vbicumque ſint & etiam de Iuramentis; excipiuntur tamen vota ſolemnia, quæ habentur, tum in Sacra ordinatione, tum in Regulari profeſſione, & etiam quinque vota ſimplicia reſeruata Pontifici, qualia ſunt, votum perpetuæ continentiæ, votum Religioſæ profeſſionis, votum peregrinandi Hieroſolymam, votum peregrinationis Romanæ ad limina Apoſtolorum, & denique votum adeundi Compoſtellam ad Sanctum Iacobum, nam hæc omnia vota Pontifex ſibi expreſsè reſeruat, & Epiſcopi ea tantum poſſunt, quæ non reſeruantur à Iure, vel à Summo Pontifice. Doctores tamen etiam circa hæc vota facultatem Epiſcoporum extendunt, ſi vota non ſint omnino abſoluta, ſed ad aliquam circumſtantiam, vel conditionem reſtricta; ſic enim volunt etiam, Epiſcopos ex aliqua iuſta, & rationabili cauſa poſſe diſpenſare. Caſus plures reſtrictos, & conditionatos referunt Bonac. *ad* 2. *Decalogi præceptum diſp.* 4. *qu.*2. Leſſ. *lib.*2. *cap.*40. Sylueſt. *V. Votum n.*30. & alij plures. Vota verò dubia quoad ſubſtantiam voti, nullo

modo

modo obligant, nec indigent diſpenſatione Epiſcopi, licet ſint Papæ reſeruata dubia quoad circumſtantiam, de hac re videri poſſunt Summiſtæ omnes materiam fusè pertractantes, quod eſt contra noſtrarum legum inſtitutum.

LEX CCCXXXVII.

Indulgentiæ ab Epiſcopis concedendæ ſuis ſubditis, vbicumque ſint, etiam in loco exempto, & extra propriam Diœceſim, ſi illas petant.

Etiam non ſubditis, & Regularibus prodeſſe Indulgentias ab Epiſcopo conceſſas in loco, vbi conceduntur docent Nauar. *tract. de Indulg.* & Bellar. *lib. 1. c. 11. de Indulg.* additque rationem Mallet. *l. 3. p. 1. de Perſonis Eccleſ. præſertim de Regularibus*, quia fauores ſunt ſemper ampliandi, & cum exemptio Regularium ſit in ipſorum fauorem, non debet afferre præiudicium, eoſdem eximendo ab Indulgentijs. Ex qua doctrina licet inferre, quod etiam Indulgentiæ proſint non ſubditis, & poſſint ab Epiſcopis etiam non ſubditis concedi, vbicumque ſint. Difficultas eſt, quod, cum poteſtas concedendi Indulgentias, non ſit Poteſtas Ordinis Epiſcopalis, ſed poteſtas Iuriſdictionis acceptæ à Papa, non videtur quomodo hæc poteſtas poſſit exerceri, vbi in ſubditos nulla poteſt exerceri Iuriſdictio. Quidquid ſit, an Epiſcoporum poteſtas concedendi Indulgentias ſit de Iure Diuino accepta à Deo, vt eſt in Papa, an verò ſit tantum de Iure cõmuni accepta à Papa, quod diſputauit Henriquez *lib. 7. cap. 31.* Azor. *de Indulg. c. 54 quæſt. 2.* Bonac. *diſp. 6. quæſt. 1. puncto 3.* Barboſ. *allegat. 79 de poteſt. Epiſcop.* dicendum eſt, etiamſi talis poteſtas Iuriſdictionis in Epiſcopis non proueniat immediatè à Deo, cum ſit poteſtas Iuriſdictionis voluntariæ, vt benè notat Barboſ. *vbi ſupra num 6.* cum Suarez *diſp. 49. ſect. 3. num. 9.* & Ricc. *reſolut. 306. num. 5.* ſequitur, quod poſſit vbicumque exerceri ab Epiſcopis in ſuos ſubditos, vt de alijs eiuſmodi dictum eſt, quæ ſpectant ad ſolam Iuriſdictionem voluntariam, non contentioſam, quæ eſt illa, quæ non poteſt exerceri extra Diœceſim, neque in ſubditos. Indulgentiæ verò, quas Epiſcopi poſſunt concedere, ipſo Iure communi præſcriptæ ſunt, nam in dedicatione Eccleſiæ poſſunt concedere, & debent concedere Indulgentiam vnius anni; in reliquis caſibus poſſunt tantum concedere Indulgentiam quadraginta dierum, quæ quidem Indulgentiæ non dicuntur valere pro mortuis, ſed tantũ pro viuis, cum ad hos tantum extendatur Epiſcoporum facultas, ſic à Sede Apoſtolica reſtricta. vt docent Nauarr. Bellarmin. Sà, Reginald. Suarez, & alij apud Barboſ. *alleg. 78. num. 24.* Si verò Epiſcopus aliquis concederet alicui Eccleſiæ, vel perſonæ Indulgentiam quadraginta dierum in perpetuum, non poſſet ampliùs illam concedere, neque multiplicare, cum iam ſit exhauſta tota illius poteſtas; quin immò addit Henriquez apud Barboſ. *l. c. num. 16.* neque alium Epiſcopum ſucceſſorem poſſe aliam Indulgentiam concedere, quia talis Indulgentia fruſtraretur fine ſuo, cum iam ſit ab vno Epiſcopo conceſſa, quantum poſſit ab alijs concedi. An verò Epiſcopus poſſit ſibimetipſi Indulgentiam concedere, quam alijs concedit, affirmant plures DD. cum D. Th. *in addit. quæſt. 27. art. 4.* quia ipſe Epiſcopus non debet eſſe deterioris conditionis alijs, neque obſtat, quod nemo in ſe ipſum poſſit Iuriſdictionẽ exercere, quod tantũ verũ eſt de

Iuriſdictione pœnali, non gratioſa. Opus tamen erit Epiſcopalis Prudentiæ caſus, loca, & perſonas conſiderare, quibus ſunt concedendæ Indulgentiæ, & quoad perſonas ſubditas in alieno loco optimum erit conſilium petẽtibus tantum concedere; ne exercitium Iuriſdictionis voluntariæ fiat exercitiũ Iuriſdictionis contentioſæ; & eſt aduertendum, quod nunquam eſſent concedendę Indulgentię vltrà numerum dierum taxatum; ſi tamen concederentur, ſemper valerent pro illa parte, quæ poteſt concedi, habemus enim in regula Iuris, *quod in rebus ſeparabilibus, vtile per inutile non vitiatur*.

LEX CCCXXXVIII.

Ab Epiſcopis quandoque concedendæ Indulgentiæ etiam non ſubditis, & exemptis.

Ex *c. luminoſo de ſtat. Regular. in 6.* & ex doctrina Vgolin. *de Indulgent.* & Anton de Roſel. *ibidem*, videtur apertè, Epiſcopos non poſſe, nec debere Indulgentias concedere non ſubditis, & exemptis, cum nihil Iuriſdictionis in ipſos habeant Epiſcopi alieni, & conceſſio Indulgentiarum ſit actus verę Iuriſdictionis, vt dictum eſt; & etiam certũ ſit extraneos, & exemptos quoad Indulgentias eſſe immediatè tantum ſubiectos Summo Pontifici. His tamen non obſtantibus; dicendum eſt ad lucrandum Indulgentias non requiri omnimodam ſubiectionem Epiſcopo, cum velint aliqui DD. apud Barboſ. *allegat.* 88. *num.* 25. Peregrinantes per alienas Diœceſes, & habentes ab Epiſcopis proprijs facultatem, vt poſſint recipere Indulgentias etiam ab alienis, eas verè recipere, ac ſi eſſent ſubditi proprij; vnde ſequitur ad lucrandas Indulgẽtias non requiri ſubiectionem, & per conſequens Epiſcopos poſſe illas conferre, etiam non ſubditis, & exemptis, quales ſunt Regulares, & eiuſmodi; cum nulla ad alios ſubiectio per exemptionem, quæ ſemper debet eſſe in fauorem exemptorum, poſſit conuerti in eorum præiudicium, qua ratione vtuntur Barboſa *l. cit. num.* 27. Palud. *in* 4. *diſt.* 20. *quaſt.* 4. *art.* 4. Reginald. *l.* 7. *n.* 119. Bonac. *de Indulg. punct.* 3. quæ ratio deſumpta eſt ex Iure Ciuili, & Canonico, vt oſtendit Barboſa, & ſic Epiſcopi intra ſuam facultatem poterunt Indulgentias concedere quibuſcumque Religioſis. Addo ego, quod ſi Epiſcopus alicui Eccleſiæ, vel Altari concederet Indulgentiam, quã poteſt de Iure concedere, in honorem alicuius Sancti, vel alicuius feſtiuitatis, omnibus viſitantibus talem Eccleſiam, vel tale Altare, vt moris eſt, tunc ſanè omnes viſitantes, tametſi non eſſent ſubditi, lucrarentur talem Indulgentiã, cum in ordine ad illam lucrandam omnes pro tunc in illa Diœceſi commorantes cenſeantur ſubditi, cum talis poteſtas data ſit Epiſcopis in fauorẽ animarum, & fauores ſint ſemper ampliandi, quæ eſt doctrina multorum, ergo ſignum eſt pro lucrandis Indulgẽtijs, & pro ijſdem conferendis non requiri omnimodam, & rigoroſam ſubiectionem in recipientibus, neque rigoroſam Iuriſdictionem in conferentibus. Addo vlteriùs, quod ſicut omnes etiam extranei, & peregrini intelliguntur ſubditi illi Epiſcopo, ſub quo reperiuntur, quando ſuſcipiunt Sacramẽtum confeſſionis, & abſoluuntur à caſibus in alio loco reſeruatis, ità debent intelligi ſubditi quoad receptionem Indulgentiarum, quę de ſua natura ordinantur ad remiſſionem pœnæ, quæ remanet ſoluenda in alia vita poſt confeſſionem culpæ.

LEX CCCXXXIX.

Sacerdotes etiam ſine cauſa ad multum tempus non celebrantes admittendi ab Epiſcopis, tamquam legitimi teſtes, in foro Epiſcopali.

EX *cap. Infames in 6. quæſt.* 1. videtur lex ſatis apertè conſtituta pro Epiſcopali Prudentia in eiuſmodi caſibus obſeruanda, dum ibi præcipitur, nullum eſſe admittendum teſtem, tāquam legitimum, qui præſumatur propriorum ſcelerum conſcius, & ſit vitæ ſceleſtæ; Sacerdos autem, qui ex multo tempore contempſerit celebrare, præſumendus eſt talis. Additur, quod ne dum ex Iure Canonico, ſed etiam ex Iure Ciuili repellitur à foro, tamquam teſtis illegitimus, qui in Paſchate non ſumit Euchariſtiam, ſitque talis contemptor præcepti, eò quod ſupponatur hominem perſeuerātem in peccato, nec Deo, nec hominibus poſſe eſſe fidelem iuxtà ea, quæ tradunt Paris. *conſil.* 58. *num.* 83. *lib.* 4. Ruin. *conſil.* 106. Gramat. *conſil.* 38. Corn. *conſil.* 55. *& Rota* coram Cæſare de Graſſo *deciſ.* 9. & coram Millino *deciſ.* 434. Vnde multò magis erit repellendus Sacerdos, qui ferè nunquam celebrat, & exercitium ordinis Sacerdotalis contemnit. Ego tamē doctrinæ ſupratraditæ inhærens, dico, eiuſmodi Sacerdotes eſſe admittendos in foro, tamquam legitimos teſtes, quia licet miſſam non celebrent, poſſunt eſſe ſine peccato, cum ad id ex doctrina probabili putent, ſe non teneri, vnde ruunt fundamenta oppoſitæ doctrinæ, quæ repellit à foro, ſolummodò actu in peccato perſeuerantes, tamquam infideles Deo, & hominibus. Accedit etiam, quod nullo Iure inuenitur prohibitum, quod Sacerdos, qui nunquam celebrauit, admittatur, vt teſtis, vnde ſine ratione repelleretur à foro, præſertim cum contra ipſum non poſſit excipi de aliquo crimine, vt conſtat ex dictis; Neque ex omiſſione celebrationis poteſt oriri rationabiliter præſumptio malæ vitæ, cum talis præſumptio non oriatur ex eo, quod iuxta multorum opinionem eſt ſecundum rationem, & licitum ex ſua natura, quia immò poteſt etiam præſumi, quod oriatur ex motiuo virtutis, nimirum ex humilitate, qua ſe reputet indignum accedendi ad Altare. Neque eſt eadem ratio de eò, qui non implet Paſchatis præceptum, ſi conſtet, eum ex affectu peccati nolle accedere ad Sacramenta ſuſcipienda, quia ſic ſupponitur in peccato, & ideò infidelis Deo, & hominibus.

LEX CCCXXXX.

Non ideò ab Epiſcopis reputandi Sacerdotes homines perditi, & mala vita, quod dico abſtineant à miſſa celebratione.

NOn ſemper communior Doctorum Sententia cenſenda eſt Epiſcopali Prudentiæ indicta lex pro agendis ex Epiſcopatus officio, cum etiam minus communis opinio, dummodo ſit probabilis, poſſit Epiſcopis legem prudenter, & rationabiliter agendi cōſtituere. Verè communior, immò cōmuniſſima doctrina eſt, quam ego quoque ſaniorem puto, tenet Sacerdotes omnes non legitimè impeditos, teneri aliquoties in anno Miſſam celebrare ratione Sacerdotij præcisè, relictis alijs obligationibus, quibus impoſitis quilibet Sacerdos poteſt adſtringi; at cum non deſint plures, & qualificati Doctores, qui oppoſitum probabiliter aſſerunt, nullam ex vi ordinis Sacerdo-

cerdotalis agnoſcentes obligationem, non debent Epiſcopi Sacerdotes miſſę celebrationem omittentes, etiam ad multum tempus, tamquam homines perditos, & malæ vitæ illicò condemnare. Huius doctrinæ ſectatores enumerat Paſqualig. *Q. Moral. Iurid* 151. ſupra decem, & quatuor, viros doctiſſimos. Ratio eſt, quia, ſtante horum Doctorum opinione, quæ probabilis eſt, poteſt quilibet Sacerdos exiſtimare, ſe non teneri ad celebrandum, & ſic in hac omiſſione nullum eſſe peccatum, ſuppoſito, quod à tali omiſſione poſſit ſcandalum ſeparari; ſuppoſito ergo, quod Sacerdos non peccet, & poſſit non peccare in tali omiſſione, nunquã erit reputandus ab Epiſcopis improbus homo, neque poterit ex hoc præcisè condemnari. Verum tamen, quod Sacerdos celebrationem omittens ſine causa ad multum tempus, eſſet acriter ab Epiſcopo redarguendus, cum *ex cap. Infames in 6. quæſt.* 1. videatur contemnere gradum Sacerdotalem, ad quem fuit aſſumptus; maximè quia mundo, qui totus in maligno poſitus eſt, præberetur anſa malè iudicandi de tali Sacerdote, ex eò quod non auderet accedere ad Altare propriorum criminum conſcius, cum tamen talis omiſſio etiam ex virtute humilitatis poſſit prouenire.

LEX CCCXLI.

Licentia celebrandi miſſam, non ſemper, neque in quocumque loco concedenda ab Epiſcopis.

POterant Epiſcopi ante Concil. Trid. concedere licentiam celebrandi extra Eccleſiam, & publica Oratoria, hancque facultatem habebant de iure communi, vt patet *ex cap. Clericos de conſecrat. diſt.* 1. *& ex cap. Miſſarum, & ex cap. illic ergo eodem titul. & eadem diſt.* neque iſta facultas erat illis tantum collata vrgente neceſſitate, ſed etiam ad ſolum beneplacitum, dummodo tamen fuiſſet aliqua rationabilis cauſa, quæ requiritur in omni diſpenſatione; Poſt verò Decretum Trid. *de celeb. miſſarum ſeſſ.* 22. pro certò habendum eſt, non poſſe Epiſcopos extra caſus neceſſitatis, qui etiam accuratè cognoſcendi ſunt, concedere eiuſmodi licentias, cum Sancta Synodus ad tollendos abuſus abſolutè præcipiat Epiſcopis, ne patiantur eiuſmodi celebrationes miſſarum fieri in priuatis domibus; Vnde priuilegium illud cõceſſum Epiſcopis ante Trid. dicendum eſt abſolutè eſſe reuocatum, licet ſit inſertum in corpore Iuris, & non habeatur in Concilio clauſula expreſſè reuocatoria, cũ in præcepto Concilij habeatur æquiualens clauſulæ reuocatoriæ, dirigitur namque præceptum taxatione ad ipſos Epiſcopos priuilegiatos, & debet ſortiri in ipſos ſuum effectum, ne lex ſit fruſtratoria, maximè quia Concil. in illa lege ſpecialiter, & taxatiuè directa ad Epiſcopos intendit corrigere abuſus circa celebrationem miſſarum, qui fuerant introducti occaſione facultatis, quam habebant Epiſcopi ratione priuilegij inſerti in corpore Iuris, quod intentum Concilij non haberet effectum, ſi adhuc ipſis faueret illud priuilegium conceſſum ante Trid.; Idem eſt autem prorſus, quod Trid. præcipiat Epiſcopis, ne patiantur celebrare in priuatis domibus &c. ac ſi præciperet, ne vtantur priuilegio illo inſerto in corpore Iuris, cum præceptum Concilij ex ſe primò, & ex ſua natura ordinetur ad tollendum illud priuilegium, ex quo oriebantur abuſus, & licet non fiat in Concilio expreſſa mentio reuocationis per verba, ſit facto ipſo, nempe

pè præcepto; plus autem eſt aliquid facto ipſo præſtare,quàm verbis *ex cap. legebatur de maior. & obed. & ex cap. dilecti filii 2. de appellat.* Verum tamen eſt, quod ſtante etiam Decreto Concil. Trid. poſſunt Epiſcopi in multis caſibus neceſſitatis concedere eiuſmodi licentias, quod docent quamplurimi Doctores apud Paſqualig. *deciſ.*166 qui etiam affert declarationem Sacræ Cõgregationis factam Archiepiſcopo Ianuenſi in hac materia; cum etiam ſupradictum ſit, mentem Concilij fuiſſe tantum tollendi abuſus priuatæ celebrationis, qui oriebantur ex frequentibus, & continuatis licentijs Epiſcopõrum, quas concedebant etiam extra caſus neceſſitatis; Addo, neceſſitates nullam habere legẽ in ijs, quæ non ſunt intrinſecè mala,nullamque legem poſſe comprehendere caſus neceſſitatis, pro quibus, neque ſunt leges, neque cenſentur obligare.

LEX CCCXLII.

Pro concedendis eiuſmodi licentijs caſus neceſſitatis accuratè examinandi.

NE dum pro locis iam cultui Diuino deputatis, ſed etiam pro locis non ſic deputatis non ſunt ab Epiſcopis concedendæ celebrandi licentiæ, niſi attenta quadam vrgente neceſſitate; quæ ſemper ſtrictè diſcutienda eſt, & licet plerique Doctores affirment in aperta, atque euidenti neceſſitate non eſſe neceſſariam Epiſcopi cognitionẽ, & diſpenſationẽ,cum nulla ſit lex diſpenſabilis, vel diſpenſanda, vbi eſt euidens neceſſitas, quæ tollit omnem legem; attamen cum illa euidentia neceſſitatis ſit ab aliquo cognoſcenda, hoc ſanè ſpectat ad Epiſcopum, & non ad alios, cum verſemur in materia Eccleſiaſtica, quæ non eſt, niſi ab Epiſcopis cognoſcenda; at quando Epiſcopus, vel Vicarius Generalis adiri non poteſt pro petenda licentia, tunc ſufficere poteſt licentia interpretatiua,cum ſit de re, quæ rationabiliter negari non poteſt; ex quo deducitur, ſemper eſſe neceſſariam licentiam Epiſcopi, ſiuè tacitam, & interpretatiuam, & ſemper aliquo modo interuenire ex cauſa Epiſcopalem diſpenſationẽ; quidquid dicat in contrarium Paſqualigus *deciſ.* 168. docens à Iure communi haberi facultatem celebrandi etiam extra loca deputata abſque aliqua Epiſcopo:ũ licentia; cui doctrinæ videntur fauere Canones *in cap. ſicut non alii, & in cap. conceditur de conſecr. diſt.* 1. Neque admittenda eſt illorum doctrina,qui aſſerunt, nunquam poſſe dari neceſſitatem celebrandi extra loca ab Eccleſia deputata; datis enim rationabilibus impedimentis celebrandi in locis deputatis, videtur ceſſare omne præceptum, & omnis obligatio audiendi miſſam,ratione cuius dumtaxat daretur neceſſitas, dico enim plures, & plures poſſe contingere neceſſitatis caſus obligantes ad celebrandum etiam extra loca ſolita ab Eccleſia deputata, quos caſus enumerãt omnes ferè Doctores in hac materia, & quando deeſſent illi caſus communes, nimirum,peſtilentiæ, militiæ, maximi populorum concurſus, & affluentiæ;ſemper adeſt caſus neceſſitatis moralis fundatus in exigentia deuotionis fidelium, quæ non debet fraudari, & tenentur Epiſcopi viuidam ſeruare, & pereuntem excitare.

LEX

LEX CCCXLIII.

Nec ſemper, nec quibuſcumque Sacerdotibus inhibendus ab Epiſcopis vſus Altaris portatilis.

PRimum in vſu Altaris portatilis Epiſcopis cauendum eſt, vt Altare ipſum ita ſit arte, vel natura aptatum, vt ne dum in ſemetipſo conſecrationē admittat, ac retineat; verum etiam quod Sacroſancti Sacrificij celebrationem, ea, qua par eſt, reuerentia ſuſcipere queat; ſi enim Altare portatile careret quoquomodo ſigillo, vel ſepulchro, aut eſſet ita enormiter fractum, vt amitteret formam Altaris, & eſſet incapax capiendi Hoſtiam, & Calicem, aut etiam ſecundum aliquos Doctores remoueretur à Capſula, vel à ligno, cui erat annexum in conſecrationis actu; aut ſecundum alios, eſſet fractum omninò in quatuor angulis, vel cornibus, in quibus facta eſt conſecratio, tunc certè vſus eiuſmodi Altaris eſſet ab Epiſcopis inhibendus, (quidquid dicant quo ad hanc partem aliqui in contrarium) ſic namque deficerent in Altari requiſita ſtatuta per Canones, vt patet *ex cap. Ad hæc, & ex cap. Quod in dubijs de conſecratione Eccleſ. & Altaris*. Suppoſitis itaque debitis requiſitis in Altari portatili, non poteſt, nec debet Epiſcopus vnius loci interdicere vſum Altaris Epiſcopis alienigenis, ſeu alienæ Diœceſis, cum Epiſcopi omnes gaudeant hoc priuilegio *ex cap. Quoniam Epiſcopi de Priuileg. in* 6. cui priuilegio non eſt derogatum per Concil. Trident. *Seſſ.* 22. quod ibi tantum intendit tollere abuſum communem in vſu eiuſmodi Altaris, & cum hoc priuilegium ſit inſertum in corpore Iuris, debuiſſet de ipſo fieri ſpecialis mentio; ita ſentientibus multis Doctoribus apud Paſqualig. *deciſ.* 55. neque ab Epiſcopis inhibendus eſt vſus Altaris portatilis regularibus Miſſionarijs, dummodo id fiat in loco decenti, ſitque locus ita tutus, vt nullum adſit irreuerentiæ periculum, cum eiuſmodi priuilegium inueniatur à multis Summis Pontificibus conceſſum, & confirmatum regularibus Miſſionarijs, præſertim à Paulo III. & Gregorio XIII. ex quo fit, quod Epiſcopi non poſſint vti ea facultate, quam illis tribuit Concil. Trid. *Seſſ.* 22. *de obſeruandis, & vitandis in celeb. Miſſa*, nimirum impediendi Regulares, ne celebrent in Altari portatili, cum Summi Pontifices ſuis Decretis derogent Concilio in ordine ad Miſſionarios. Neque tandem abſolutè inhibendus eſt quibuſcumque Regularibus, etiam non Miſſionarijs, quidquid dicant in oppoſitum plerique Canoniſtarum afferentes clauſulam Decreti Cōcil. Trid. in qua ſunt illa verba *non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs* in quibus videntur aboleri omnia priuilegia Regularium; quæ ſi non eſſent reuocata per Trident. non fuiſſet neceſſe, quod Greg. XIII. conceſſiſſet Societat. Ieſu hoc ſpeciale priuilegium Miſſionarijs eiuſdem Religionis. Ex quibus tamen id tantum colligitur, quod Epiſcopi ex Trid. poſſint, ſi velint, inhibere Regularibus vſum Altaris portatilis, non verò quod debeant; Trid. enim non prohibet actum, & vſum Altaris portatilis Regularibus, ſed tantum concedit Epiſcopis facultatem prohibendi, ſi velint, tamquam Delegati Sedis Apoſtolicæ, quæ duo accuratè diſtinguenda ſunt ad hoc, vt Regularibus integra maneant priuilegia conceſſa, & etiam Epiſcopis poteſtas impediendi illorum vſum, & exercitium.

LEX CCCXLIV.

Non ſemper adhibendum ab Epiſcopis Altare portatile.

ALtaris portatilis vſus cuicumque Epiſcopo ſemper licitus eſt, at non ſemper congruens, & probandus; debent namque Epiſcopi priuilegio Pontificis, quod eſt inſertum in corpore Iuris, rationabiliter vti, hoc eſt, ex rationabili cauſa, cum ſcilicet nequeunt facili negotio Eccleſiam adire, quod intelligendum eſt, ne dum quando Epiſcopi celebrant, ſed etiam quando coram ſe mandant, vt Miſſa celebretur. Igitur tameſi Epiſcopi omnes poſſint vti pro libito Altari portatili ex priuilegio inſerto in corpore Iuris, cui non derogat Concil. Trident. cum de ipſo expreſſam mentionem non faciat, nihilò tamen minus illo vti nō debent, præſertim in aliena Diœceſi, maximè ſi diuturnè morari in illa contingeret, vt ſcitè notauit Beia *part.4. caſ.33.* Neque in Vrbe Roma probandus eſt in Epiſcopis eiuſmodi Altaris vſus, cum id teſte Diana *part.4. tract.4. reſol.15.* ſemper fuerit inſuetum, vbi tot Eccleſiarum, & Baſilicarum commodum experiuntur omnes. Cæterum, cum priuilegium conceſſum Epiſcopis celebrandi in Altari portatili, vt inſertum in corpore Iuris, habeat vim legis ſtatuentis id, quod conuenit Epiſcopis ratione ſtatus, & dignitatis, cenſetur abſolutum, & ampliſſimum pro quacumque Diœceſi, cum Trid. prohibeat tantum Epiſcopis, quod non permittant celebrari, ſiue à Sæcularibus, ſiue à Regularibus in Altari portatili, menſque Concilij fuerit tollendi tantum abuſus in hac re, ac ſpecialiter, ne celebretur in domibus priuatis, quarum nomine nūquam veniunt Palatia Epiſcoporum, quemadmodum neque ipſi Epiſcopi ratione ſtatus, & dignitatis veniunt nomine eorum, quibus interdicitur Altaris portatilis vſus.

LEX CCCXLV.

Pro viribus ab Epiſcopis erroganda Pauperibus Eleemoſyna.

EAm habent Epiſcopi omnes ſibi indictam prudentiæ, & obligationis legem, vt de ſuperfluis ad ſtatum Epiſcopalem decenter tuendum pauperibus errogent eleemoſynas, hocq; ipſis præceptum impoſitum eſt, tum ex Iuſtitia, tum ex Charitate; ex Iuſtitia, quia pauperes ius habent in bona Eccleſiæ Epiſcopis, & beneficiarijs ſuperflua; ex Charitate verò, quia Epiſcopi inſtituuntur, tamquam Paſtores animarum, & Patres Pauperum. Cum tamen caſus contingere poſſit, vt Epiſcopi, nec ſibi met ipſis, nec proprio ſtatui neceſſaria habeant, ideò ſtatuendum eſt, non ſemper teneri Epiſcopos eleemoſynas dare cum, & ipſi indigere, atque in neceſſarijs deficere ſæpè deprehendantur; primus enim proximus eſt ipſa perſona egens, & prima charitas debet à ſe ipſo incipere, vt vulgatiſſimo effiato loquuntur Doctores omnes. Excuſantur autem ab errogādis eleemoſynis, tunc præſertim, cum nimio Penſionum pondere grauantur; illi namque redditus, qui in leuamen pauperum eſſent conuertendi, & qui ſunt de iure pauperum, vt ſupradictum eſt, ex quadam poteſtate coactiua applicantur Penſionum ſolutioni; & ſic fiunt Epiſcopi impotentes ad pauperes ſubleuandos, ac propterea excuſantur, ſuppoſito tamen, quod verè fiant impotentes per onera Penſionum, &

quod ſit iugum, quod facili negotio nequeant à collo excutere; ſi enim vltra neceſſaria ad congruam, ac decentem ſuſtentationem quædam alia remanerent, ab elargitione eleemoſynæ nunquam excuſarentur. Magnum tamen populis ſuboriretur ſcandalum, ſi Epiſcopi non extenderent ſuas palmas ad pauperes, & manus ſuas inopi non aperirent, cuius criminis nota (ſi quæ eſſet) eſſet illis inurenda, qui alligant Epiſcopatibus onera Penſionum importabilia, cum longè latius eſſet ſuas dotes Eccleſijs relinquere ab omni onere immunes, quàm aliò aſportare, vbi nulla regnat egeſtas.

LEX CCCXLVI.

Eccleſiæ bona ab Epiſcopis tantum in pios vſus conuertenda.

Facile negotium eſt Epiſcopali prudentiæ ea conjecturare, quæ ex ipſo nomine reuelantur, cum enim Eccleſiæ bona dicantur à Doctoribus cõmuniter quodam ſpiritualitatis charactere inſigniri, vt talia ſunt, atque, vt Eccleſiæ iam ſacrata, dicantur etiam quodammodo ſacra, ferè ſacrilegium cenſendum eſſet, ſi eiuſmodi bona ad vſus prophanos traherentur. Neque pro tanti ſacrilegij excuſatione ſiſtendum eſt in dominio abſoluto, quod ſupponitur in Epiſcopo, & quocumq; alio beneficiario reddituum Eccleſiaſticorum, ex hoc enim ad ſummum ſequeretur, quod redditus ſic expenſi non eſſent reſtitutioni obnoxij, quod tamen quoad vſus prophanos ſuperfluos multi negant apud M. Ant. Brauum *ex vit.*8. vbi ſtatuitur, bona ſuperflua beneficiorum, tametſi ſint ſub dominio verò, & reali poſſeſſoris Eccleſiaſtici, ſi in leuamen pauperum non impendantur, eſſe reſtituenda, cum tranſeant ad poſſeſſores cum hoc onere Iuſtitiæ, & obligatione. Qua tamen omiſſa doctrina, cum nihil ad noſtram ſpectet, dicendum eſt, dato etiam quocumque dominio bonorum, & redituum Eccleſiæ in Epiſcopis, dominium illud non ſe extendi ad vſus prophanos ſuperfluos, ſed ad ſummum ad vſus prophanos neceſſarios; vſus autẽ prophani, qui dicuntur neceſſarij, non ſunt dicendi abſolutè prophani, ita vt redoleant vanitatem, aut aliquam incongruentiam in ſtatu Epiſcopali, ſed dicuntur prophani ad diſtinguendos vſus ſacros, ac purè ſpirituales, nam redditus Epiſcopatus conſumuntur etiã in rebus, quæ nihil habent ſacri, vel ſpiritualitatis, & tamen vſus eiuſmodi non damnantur, cum ſemper dirigantur ad neceſſitatem, vel Eccleſiæ, vel Epiſcopi, vel Epiſcopatus, qui finis ſufficiens eſt ad tollendam prophanitatem damnabilem. Illi igitur dumtaxat vſus prophani damnantur, qui ſunt ſimpliciter tales, qui diriguntur ad pompam, & vanitatem, tãmquam ad finem, & qui ſunt omninò ſuperflui, & non neceſſarij; & eiuſmodi vſibus nefas eſſet Epiſcopis Eccleſiæ bona, ſolũ in pios vſus abſumenda, imprudenter deuorare; quapropter Iuſtinianus ipſe Imper. *in text. de num. Cleric. determ.* §. [illegible], decernit, quemcumque Clericum præter neceſſaria ſibi retenta, teneri reliqua errogare in pios vſus Deo placentes, quæ licet ſit lex Cæſarea, obligat etiam Clericos, cum ſit à Iure Canonico confirmata, ita ſentiente D. Th. 2. *p. q.* [illegible] *art.*6. cũ Canones ipſi admittant leges Ciuiles, quoad vim directiuam, quæ ſemper ſupponuntur eſſe ſecundum rectam rationem. Sic Innocent. Pontif. *in cap. quia plerique in fine de Immunit. Eccleſ.*

Eccleſ. & in cap. quo iure diſt. 7. Atque ex hoc diſtrahentes bona Eccleſiæ extra vtilitatem ipſius Eccleſię, vel pios vſus dicuntur fures, & latrones. *Sic cap. ſi priuatum diſt.* 12. *& cap. quoniam quidquid, & cap. qui Chriſti, & tandem cap. de redditus Eccleſ.* vbi Textus per Decretum Simplicij Papę obligat quemdam Gaudentium Epiſcopum ad reſtitutionem, qui quartam partem reddituum Eccleſiaſticorum non dabat pauperibus.

LEX CCCXLVII.

Eccleſiæ ab Epiſcopis non ſemper immediatè benedicendæ, ſed ſemper immediatè conſecrandæ.

SVpponitur ex Iure Canonico, neminem poſſe Eccleſiam ædificare ſine aſſenſu Epiſcopi, cuius eſt, locum ædificationis aſſignare, & dotationem ad miniſterium, & neceſſarias reparationes præſcribere, Crucem etiam figere, & lapidem primarium collocare, vt conſtat *ex c. nemo Eccleſiam de conſecr. diſt.* 1. vbi tamen Gloſſ. ait, ad primi lapidis poſitionem, poſſe Epiſcopum alium delegare. Quæcumque igitur noua Eccleſia, quæ ędificatur, vel benedicenda eſt, vel conſecranda; ſi benedicenda tantùm, id fieri poterit, & per Epiſcopum immediatè, & etiam per ſimplicem Sacerdotem, delegatum tamen ab ipſo Epiſcopo; ſi verò conſecranda, id fieri poteſt à ſolo Epiſcopo immediatè, ſiuè Diœceſano, ſiuè quem voluerit Diœceſanus delegare, nullatenus verò à ſimplici Sacerdote, quod habetur *in c. cum aqua de conſecr. Eccl. & ex Oſtienſ. in Sum. n.* 2. *& ex Abb. ibid. num.* 2. & quod dicitur de conſecratione, intelligendum eſt etiam de reconſecratione, ſeu reconciliatione, nam ſolus Epiſcopus poteſt deſacratã Eccleſiam reconſecrare, quod de multis caſibus exprimitur in Iure Canonico; Vnde Epiſcopus *ex c. Eccleſiæ de conſecrat. diſt.* 1. poterit reconſecrare Eccleſiam, de qua dubitatur, an fuerit conſecrata, niſi tamen eſſet in contrarium aſſertio alicuius viri probi, & honeſti, qui contrarium teſtaretur de viſu, vel de certo auditu, vel ſi appareret aliqua conſecrationis nota in libris Eccleſię, vel in pariete, vel in columna; in hoc enim caſu præſumenda eſt olim conſecrata, vt habetur *in c. ſolemnitates iuncta Gloſſ. in V. Scripturæ de conſecr. diſt.* 1. Sic poterit Epiſcopus Eccleſiam reconſecrare in caſu, quod parietes Eccleſię fuiſſent incẽdio abſũpti, aut diruti, ſiuè in totum, ſiuè ex maiori parte; ſi enim tectum ſolum combuſtum, vel dirutum eſſet, aut etiam modica pars parietum, in hoc caſu non eſſet reconſecranda *ex c. de fabrica, & ex c. propoſuiſti, iuncta Gloſſ. de conſecr. Eccleſ.* quod totum *ait Hoſtienſ. in ſumma* debet pendere ex prudenti iudicio Epiſcopi. Alij caſus, in quibus poteſt, & debet Epiſcopus Eccleſias pollutas, & prophanatas, aut deſacratas reconſecrare, aut reconciliare, cum enumerentur in textu Canonico, hic relinquuntur à nobis, præſertim, quia nonnulli eorum longas ſecum trahunt diſputationes Doctorum in materia pollutionis Eccleſiarum, non enim vna, & eadem eſt omnium Sententia, per quid verè dicatur polluta, aut deſacrata aliqua Eccleſia; quapropter nobis conſultius eſt has omnes quęſtiones omittere, cum paſſim inueniantur apud ſcriptores huius materię.

LEX CCCXLVIII.

Non omnes Eccleſiæ, quæ cenſentur pollutæ, ab Epiſcopis reconciliandæ.

PLerumque contingit, vt ex imprudentia, vel ignorantia multorum quædam Eccleſiæ cenſeantur pollutæ, ac propterea indigeant ab Epiſcopis reconciliari, quæ tamen verè pollutæ non ſunt, nec indigent reconciliatione, vnde ab Epiſcopis in hac materia attendendæ ſunt plures, & plures circumſtantiæ, quæ rei veritati innitantur, non enim ſat eſt accurrere ad reconciliandam Eccleſiam, quod ad aures peruenerit, quod fuerit polluta per effuſionem ſanguinis, vel ſeminis, ſed conſideranda eſt, qualis fuerit talis effuſio; non enim omnis effuſio ſeminis, vel ſanguinis in loco Sacro locum Sacrum polluit, vt habetur *in c. vnic. de conſecr. in 6. Vox iniurioſam &c.* cum poſſit dari effuſio vtriuſque fortuita, & inuoluntaria, quæ ſanè ex communi doctrina Eccleſiam non polluit; neque etiam, data vera pollutione erit ſemper Eccleſia reconcilianda, cum adhuc, vt reconcilietur, debeat eſſe pollutio publicè notoria; qui enim ſecretò polluunt, etiamſi adeſſent duo, vel tres teſtes, non inferunt neceſſitatem reconciliationis, vt eſt apud Abb. *in cap. ſignificaſti num. 2. de adult.* quem ſequuntur Armil. Nauar. Oſtienſ. & alij plures; nec opus eſt reconciliatione, ſi pollutio contigerit extra ſpatium murorum Eccleſiæ, vel Chori, vel adiunctarum Capellarum, licet cenſeantur partes corporis Eccleſiæ; vnde non eſſet reconcilianda Eccleſia ob pollutionem Sacriſtiæ, vel Campanilis, vel Cæmeterij; & licet polluta Eccleſia cenſeatur etiam pollutum Cæmeterium, ſi ſit proximum, non ſi ſit remotum; non tamen è conuerſo, polluto Cæmeterio, polluitur Eccleſia. *Sic ex c. vnic. de conſecr. Eccleſiæ in 6.* Poterit autem etiam Eccleſia conſecrata polluta ex permiſſione Epiſcopi, aut illius Vicarij ablui aqua benedicta per ſimplicem Sacerdotem, adhibitis ordinarijs benedictionum precibus, & poſtea poterunt intra eam Diuina officia celebrari, ſicuti prius, donec per Epiſcopum conſecretur. Si vero Eccleſia tantum benedicta, & non conſecrata polluatur, ſufficiet ordinaria reconciliatio per ſimplicem Sacerdotem ex mandato Epiſcopi *ex c. fin. de conſecr. Eccleſ. iuncta Gloſſ.* Nefas tamen ſemper erit, facta Sacri loci publica, & notoria pollutione, in eo Diuina officia peragere, aut mortuos ſepelire, aut aliquid aliud Sacrum facere; & ſi contingat pollui, vel violari Eccleſia, dum actu Sacerdos Miſſam celebrat, ſi adhuc ad Canonem non peruenit, aut iam ipsũ non inchoauerit debet miſſam inchoatam intermittere; ſecus ſi iam Canonem Sacrum incepit ſtante proxima hoſtiæ præparatione ad conſecrationẽ, & hæc videtur eſſe doctrina communior.

LEX CCCXLIX.

Sacrum Chriſma ab Epiſcopis ſingulis annis conficiendum, & adminiſtrandum.

DOgma certiſſimum eſt in Eccleſia Dei, Sacramentum confirmationis non eſſe ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, ſed ad ſummum neceſſitatem quamdam præſeferre, quæ à Theologis vocatur neceſſitas ſecundum quid, hoc eſt, ad melius eſſe, cum fides, quæ in vnoquoque eſt ſimpliciter neceſſaria, per hoc Sacramentum

magis

magis ſolidetur, & roboretur contra infidelium oppugnationes; ideo, data neceſſitate, quæcumque ſit pro fidelium vniuerſitate, præcipitur Epiſcopis ſingulis annis, ſi fieri poteſt, vt Sacrum Chriſma conficiant, atque Eccleſijs diſtribuant, quod fieri ſolet Feria quinta Hebdomadæ maioris ex Chriſti Domini inſtituto, vt teſtatum reliquit D. Fabianus Papa, & Martyr, qui dicit, Ieſum Chriſtum in vltima cæna docuiſſe Apoſtolos de ritu Chriſmatis conficiendi, & hoc refert Caballut *l.3. Theor. & prax Iur. Can. c.3. num.6.* At quidquid ſit de hoc, certum eſt, ordinarium Cōfirmationis Miniſtrum eſſe ſolum Epiſcopum, vt eſt in Trid. *Seſſ. 7. de confir. Can.3.* & habetur etiam *in can. de his verò, & in can. manus quoque, de conſecr. diſt.5.* & probatur etiam ex actibus Apoſtolorum *c.8.* vbi ad Samaritanos dudum baptizatos mitti quoſdam de Apoſtolis oportuit, qui baptizatis per manuum impoſitionem Spiritum Sanctum conferrent. Dixi, *ordinarium Miniſtrum eſſe ſolum Epiſcopum*, nam extraordinarius miniſter ex ſpeciali, & immediata Papæ delegatione poteſt etiam eſſe Sacerdos ſimplex; habemus enim *in can. peruenit diſt.95.* Sanctum Pontificem Gregorium Magnum hāc poteſtatem permiſiſſe Epiſcopis Sardiniæ, & in Decreto Eugenij IV. quod eſt in fine Concilij Florent., poſſe aliquando per Summi Pontificis diſpenſationem, cum rationabili, & vrgente cauſa ſimplicem Sacerdotem Chriſmate ab Epiſcopo conſecrato adminiſtrare hoc Sacramentum; & videtur etiam fuiſſe doctrina D. Th. D. Ambroſ. & aliorum Sanctorum Patrum, qui tamen intelligendi ſunt de illa Cæremoniali Chriſmatione, quæ fieri ſolet per quemlibet Sacerdotem in baptiſmo, nam ôlim ſimplici Sacerdoti non licebat quemquā linire Chriſmate, immò neque baptizare, niſi abſente, vel iubente Epiſcopo, vel aliqua alia vrgente neceſſitate, vt habetur *in can. omni tempore 24. de conſecr. diſt. 4. & in Concil. Tolet.1. can. 20. & in Arauſic. c. 2.* Quinimmò Sanctus Leo Papa *Epiſt.88. ſub fine* iubet, præſente Epiſcopo, Presbyteros neque poſſe in Baptiſterium introire, neque præſente Antiſtite, poſſe infantes tingere, aut ſignare. Quæ loca omnia intelligenda ſunt, non de vnctione confirmationis, ſed de vnctione, quæ fit in baptiſmo; vbi omnes baptizandi conſignantur in vertice, adhibita Chriſmatis vnctione. Simplex igitur Sacerdos ex ſolius Papę delegatione poterit Sacramentum cōfirmationis conferre, non autem Sacrum Chriſma conficere, aut conſecrare; neque Summus Pontifex habet poteſtatem committendi Chriſmatis conſecrationem Sacerdoti ſimplici, cum hoc ſit munus Epiſcoporum ipſis ſolis delegatum, & delegandum; & ſemper nullum erit Sacramentum confirmationis, ſi, non obſtante quacumque Pontificia delegatione, à ſimplici Sacerdote conficiatur, docente D.Th. *3. part. quæſt.72. artic.3.* accedente etiam communi Doctorum conſenſu, Epiſcopalem Chriſmatis conſecrationem eſſe de eſſentia Sacramenti confirmationis; quidquid ſit an de eſſentia huius Sacramenti ſit admixtio balſami, an ſit tantùm de præcepto, quod apud Caballut. *l. cit.* eſt in controuerſia apud quoſdam Doctores.

LEX

LEX CCCL.

Sacramentum Confirmationis ſolis Baptizatis ab Epiſcopis conferendum eſt.

HAbetur in Cathechiſmo Romano, Sacramentum Confirmationis omnibus quidem baptizatis poſſe adminiſtrari, ſed minus expedire, vt hoc fiat antequam pueri vſum rationis obtineant, & ea ratio eſt, quia facilè contingit, vt plerumque infantes, immò ipſi etiam eorum Parentes hujus ſuſcepti Sacramenti recordationem non habeant poſt aliquot annorū decurſum, nutentque inter duo pericula, vel de hoc non ſuſcipiendo Sacramento, vel de eo iterando, quod non iterabile eſt, niſi ſub conditione: non enim ſolent Confirmationes in acta referri, vt ſolent baptiſmi, & matrimonia, cum longè maior in illis, quàm in his ſit difficultas propter promiſcuum multorum confirmandorum concurſum. Agitatur autem quæſtio, à D. Th. 3. *part. quæſt.* 72. *art.*8. an debeat hoc Sacramentum ab Epiſcopis conferri omnibus omninò fidelibus in quacumque ætate; & reſpondet affirmatiuè multiplici ratione. 1. Quia *in actibus Apoſtolorum* 2. habetur, quod omnes, qui erant in eadem domo cum Apoſtolis acceperunt Spiritum Sanctum, per eam verò domum ſignificatur Eccleſia. 2. Quia ſicut natura, quos generat intendit ad perfectum ſtatum deducere, ita Deus, & Eccleſia, quos genuerunt per baptiſmū intendunt per confirmationē ad ſtatū perfectū adducere, quod fit per Confirmationē, id atteſtante Vrbano I. *Canon.* 1. *de conſec. diſt.* 5. illis verbis, *Omnes fideles per manuum impoſitionem Epiſcoporum, Spiritum Sanctum per baptiſmum accipere debent, vt plenè Chriſtiani inueniantur.* Quin etiam ex multis veterum teſtimonijs compertum habemus, quoties citra vrgentē neceſſitatē ſolemniter baptizabantur Cathecumeni, morē fuiſſe, vt ſtatim à baptiſmo cōfirmarentur per impoſitionē manus ab Epiſcopo, & ſubinde Sacramento Euchariſtiæ communicarentur etiam infantes ipſi recens baptizati, vt teſtatum habemus à D. Cypriano *in l. de Lapſis.* Vſus tamen, & conſuetudo Eccleſiæ nunc eſt iuxta Cathechiſmum Romanum, vt non confirmentur infantes, niſi poſtquam ad vſum rationis peruenerint, illa adhibita forma ab Apoſtolis 1. *Corinth* accepta, *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* quam confirmādi formam ideo referunt Doctores ab Apoſtolis acceptā, quia D. Paulus 2. *Cor.* [illegible] hæc protulit verba, *Qui autem confirmat nos in Chriſto nobiſcum, & qui vnxit nos Deus, & qui ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris;* ex quibus verbis ſupponitur deductū decretū Eug. IV. ad Armenos, præteribens formam confirmationis, cum reliquis ſpectantibus ad eſſentiam Sacramentorum, quod notauit Cabaſſut *loc. cit.* De ijs, qui ab Epiſcopis initiandi ſunt tonſura, certum eſt ex Trid. *Seſſ.* 23. *c.* 4. *de reform.* quod debent eſſe prius confirmati, quemadmodum etiam pro reliquis ordinibus ſuſcipiendis, non peccarent tamen mortaliter præciſo contemptu, ſi accederēt ad Tonſurā, vel ad Ordines ſine confirmatione, & hæc doctrina communior inter DD. in materia Sacramentorum.

LEX

LEX CCCLI.

Indicenda ab Epiſcopis ſingulis annis Synodus Diœceſana.

EX Trid. *Seſſ.* 24. *de refor. c.*4. demandatur Epiſcopis, vt, niſi cauſa excuſet, ſingulis annis Synodum conuocent Diœceſanam, quemadmodum etiam præcipitur Archiepiſcopis, vt quolibet triennio Concilium celebrent Prouinciale; idque eſſe ſub præcepto volunt multi DD. ex declarat. S.Cong. eiuſdem Concil.j, pro quo non implendo ſemper debet eſſe aliqua cauſa excuſans, quæ debet proferri in Viſitatione liminum Apoſtolorum, ne deueniatur ad ſuſpenſionem officij, quam pœnam volunt Canoniſtæ plures impoſitam eſſe Epiſcopis negligentibus, vel omittentibus Synodos, vel Prouincialia Concilia celebrare, *ex cap. ſicut in fine de Accuſat.* & ex declarat. S.Congregat. Concilij 27. Martij 1590. cum enim ſint Synodi, & Concilia prouincialia ab Eccleſia inſtituta ad auuertenda Eccleſiarum incommoda, quæ ſuſcitantur in dies, ad reformandos Clericorum mores, & ad controuerſias componendas, maximum inde proueniret toti Eccleſiæ detrimentum, ſi culpabiliter ab Epiſcopis, vel Archiepiſcopis omitterentur, & ſic ob tantam culpam benè etiam dicitur impoſita ſuſpenſionis pœna. Quod etiam affirmat Maſſobr. *de Synod. c.* 2. & Franc. Leo *Theſaur. for. Eccleſ. p.*1. *c* 9. Synodo verò Diœceſana legitimè indicta, & congregata, debet namque congregari ab Epiſcopis in ſua tantum Diœceſi ex Clericis Subditis, vt notat Vgolin. *de offic. & poteſt. Epiſc. c.*4. pro materia Decretorum Synodalium ea tantum debent proponi ab ipſis Epiſcopis, in quibus, vt plurimum delinquitur, & in quibus deficit, vel minuitur obſeruantia, & diſciplina Eccleſiaſtica, ad hoc ſcilicet, vt opportuna ad reformationem applicentur remedia, & tollantur abuſus, tollantur ſcandala, & Diuinus cultus reparetur, & augeatur, vt habemus *ex c. Vt animarum de conſtit. in* 6. Epiſcopis enim liberum, ac licitum eſt in Synodo Diœceſana quæcumque ſtatuta condere, dummodo non repugnēt Sacris Canon. & Concilijs, quod certiſſimum eſt *ex c. quod ſuper his, & ex c. Cum inferior*, cum hac tamen conditione, ne fiat præiudicium priuilegijs Clericorũ, vel priuilegijs concernentibus fauorem Eccleſiæ, vel bonum publicum, quod *ex c. de Eccleſiaſticis* 25. *quæſt.* 2. notauit Rubeus *in Aphoriſm. V. Statutum.* Epiſcopis namque impoſitum eſt Sacros Canones nullo modo violare, vt patet *ex c. cum ſimus* 9. *qu.*3. contra quos ſi aliquid ſtatueretur, nullitati ſubiaceret *ex c. ſuper his apud Ricc. part.* 1. *deciſ.* cum Epiſcopi teneantur cuſtodire, non violare Canones. Verum tamen eſt, quod quandoque Epiſcopi poſſunt, & debent aliquid ſtatuere, quod non eſt ſtatutum in Iure Canonico *ex c. Illa autem, & ex c. Vtinam diſt.* 76. poſſunt enim Epiſcopi ſuis decretis ſemper augere vires Iuris cōmunis, vt patet *ex c. Prodeſt* 23. *q* 5. dummodo tamen abſtineant à ſuperfluis, & inutilibus, & contemptibilibus, & præſertim debent abſtinere à reuocatione decretorum ſuorum prædeceſſorum, quæ ſi quandoque ob melius bonum ſint reuocanda, ſemper erit exponenda cauſa ob eorum reuerentiam; cęterum certiſſimum eſt pœnes Epiſcopum eſſe poteſtatem condendi leges, præcepta, Conſtitutiones, & Decreta, quæ ad regimen propriæ Eccleſiæ, & ſubditorum expedire videbitur; hancque

po-

poteſtatem quodam Iure Monarchico eſſe illi tributam, vt notat Bald. *in Rub. vel dic quod Epiſcopus,&c.* & etiam Imol. *in c. cum contingat*: Vnde deducitur, talem poteſtatem à nullo ſubdito, ſiue ſit Capitulum, ſiue ſit tota Cleri Congregatio eſſe pendentem, & ſic neque eorum pro condendis legibus aſſenſum, aut conſenſum requiri, quod infra fuſiùs examinabitur.

LEX CCCLII.

Vocandi ad Synodum,& cogendi ab Epiſcopis omnes beneficiati, & habentes curam Animarum in propria Diœceſi.

STatuitur pluties in Iure Canonico, eſſe ab Epiſcopis vocandos ad Synodum, immò etiam compellendos omnes ſubditos curam animarum habentes, & etiam alia ſimplicia beneficia, tametſi eſſent ad illa per exemptos præſentati; & etiam ipſos Regulares, ſi ad Eccleſias Parochiales fuerint aſſumpti. Illi verò Parochialium Rectores, qui eſſent nullius Diœceſis ex declarat. S. Congr. apud Barboſ. *Allegat.* 93. tenentur accedere ad Synodum viciniorem,quamuis ex Nauar.*conſil.final. de maior. & obed. l.* 1. *c.* 1. fortaſſis,nec poſſint Epiſcopi eos ad Synodum vocare, aut compellere. Difficultas eſt de Canonicis Cathedralis, aut alijs,qui ſunt Collegiatæ Inferioris, & etiam de Sacerdotibus non habentibus beneficia, nam multi DD. volunt,ſi non adſit conſuetudo in contrarium per decennium introducta, non teneri ad Synodum, non poſſe vocari, neque cogi poſſe, exceptis tamen dignitatibus, vel alijs habentibus curam animarum. Ego tamen puto in certis caſibus,omnes poſſe vocari, & compelli, nimirũ ſi in Synodo agendum ſit de moribus totius Cleri vniuersè reformandis, vel de publicandis decretis proximi Concilij prouincialis, vel de alijs eiuſmodi Clerum vniuerſum afficientibus; tunc enim finis conuocandæ Synodi facit legem omnibus inuiolandam, & facta lege vniuerſali, vniuerſi tali legi debent parere, & hæc doctrina colligitur *ex c. ſuper his, & ex c. Conquerenti de offic. Ordinan.* Admittendæ ſunt tamen ab Epiſcopis cauſæ legitimæ impediẽtes acceſſum ad Synodum in quibuſcumque impeditis ſe excuſantibus, cum neceſſitas nulli legi ſubiaceat: An verò legitimè impediti poſſint adeſſe Synodo per Procuratorem cum ſpeciali mandato, & etiam per Procuratorem emittere fidei profeſſionem, dubium eſt apud DD. nam aliqui volunt apud Garziam *de benef.p.*5.*c.*3.*n.*74. non poſſe, & ita ſæpiùs declaratum eſſe per S. Congr. Concilij, alij verò probabilius volunt, poſſe, cum neque ex textu *in c. Optatum* 4. *diſt.*100. neque ex Trid.neque ex Conſtit.Pij III. habeantur verba, quæ ſignificent præſentiam perſonalem, & ideo valet illa Iuris Regula, *qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur*, & etiam illa *in l.* 1.*ff. de Procuratoribus, quod quidquid fieri poteſt per ſe ipſum, poteſt etiam fieri per Procuratorem.* Quid verò ſit dicendum de Sacerdotibus diuerſarum Diœceſum, in quibus fuerunt ad ordines promoti,qui tamen ratione beneficiorum non ſunt reſidentiæ adſtricti, & ſolent in aliqua Ciuitate permanens habere domicilium, ita vt dicantur Ciues alicuius Ciuitatis, an nimirum poſſint ab Epiſcopis illarum Diœceſum cogi pœnis, & cenſuris, vt accedant ad Synodum, ſatis declaratum eſt à Sac. Congr. Concilij die 18. Martij,anno 1645. nempè quod ſi nulla habeant beneficia, nullo modo poſſe cogi, ſi verò habeant beneficia

cia purè ſimplicia, non teneri accedere, niſi adſit conſuetudo in contrarium, vel niſi agatur in Synodo de rebus concernentibus beneficia Diœceſis vniuersè, vel niſi agatur de promulgandis decretis Concilij prouincialis, vt dictum eſt ſupra, tunc enim tenentur accedere ad Synodum illius Epiſcopi, cui ſubijciuntur ratione domicilij; & illam declarationem S. Congr. refert Squillant. *p. 1. c. 5. num. 17.*

LEX CCCLIII.

Pro ſanciendis Synodalibus decretis audiendum ab Epiſcopis ſui Capituli Conſilium.

EX *c. Nouit 4. & ex c. de his, quæ fiunt à Prelat.* certum eſt Epiſcopum, & Canonicos Cathedralis vnum corpus ſpirituale, ac myſticum conſtituere, cuius quidem Epiſcopus caput dicitur, Canonici verò, qui ſimul tantum conſtituunt Capitulum, dicuntur membra, ac propterea tantam eſſe inter Epiſcopum, ac Capitulum connexionem, vt in quibuſdam rebus, & officijs ſit quædam mutua dependentia, ita tamen, vt ſemper ab Epiſcopo tamquam à capite Capitulum dependeat, cũ caput in corpore ſit ſemper pars Princeps, & Imperans, ex quo fit, vt plerique Doctorum afferant Epiſcopum, licet poſſit vti, ſi velit, conſilio Canonicorum tãquam Conſiliariorum, non tamen neque ad hoc teneri more Principum Iure Monarchico imperantium, quam doctrinam attuli ego ipſe in Allegatione typis edita, poſt decreta meæ Synodi promulgata anno 1674. & à S. Cong. Concil. recognita, & approbata. Quidquid ſit de doctrina allata, quod nimirum, neque teneantur Epiſcopi audire, vel prærequirere Conſilium Capituli in ſanciendis decretis Synodalibus, tutior illa eſt, & communior inter DD. quod verè teneantur Epiſcopi tale conſilium requirere, licet non teneantur illud ſequi; quæ conſona eſt declarationibus S. Cong. Concil. de hac re ſæpius conſultæ, in quarum vna, quæ dicitur Veneta 27. Apr. 1592. his expreſsè verbis reſcripſit Patriarchæ Venetiarum, *poſſe amplitudinem tuã in Synodo Diœceſana facere Conſtitutiones abſq; conſenſu, & approbatione Cleri*, debere tamen requirere Conſiliũ Capituli, licet illud non teneatur ſequi, niſi in quibuſdam caſibus à Iure expreſſis. Et eodem planè reſponſo, reſcripſit etiam Epiſcopo Oriolen. die 17. Maij 1599. Vnde colligitur, Conſilium quidem eſſe ab Epiſcopis audiendum, & requirendum, at non neceſſariò amplectendum, cum Epiſcoporum Iuriſdictio in ferendis legibus ſit omninò independens à conſenſu ſubditorum, vt docent Canoniſtæ omnes. Conſilium verò in rebus arduis adhibere, maximè ab illis, qui faciunt vnum corpus cum Epiſcopo, vt ſunt Canonici Cathedralis, maximè congruit rationi boni regiminis, quale præ cæteris debet eſſe regimen Eccleſiaſticum. Cæterum omnis poteſtas condendi leges, & ſtatuta in Synodo ſtatuenda eſt penes ſolum Epiſcopum priuatiuè ad Capitulum, & ad Clerum vniuersè, & hæc conſuetudo iam toto Orbe inoleuit, vt Epiſcopi ſoli, præuijs conſultationibus circa res grauiores, ſuas leges ferant in Synodo independenter à quocumque, cum ſint ipſi ſummi Principes in ſuis Diœceſibus.

LEX CCCLIV.

Ad ſancienda decreta Synodalia, neque requirendus, neque expectandus ab Epiſcopis conſenſus Capituli, vel Cleri.

IN Allegatione adnexa in calce Synodi Editi anno 1674. ſatis demonſtratum eſt, eſſe rem ſolius iuriſdictionis, & poteſtatis Epiſcopalis ſtatuta Synodalia condere generaliter, & indiſtinctè, ac proinde non requiri conſenſum Cleri, vel Capituli; Ad tollendum tamen multorum errorem, qui adhuc putant, eſſe ab Epiſcopis requirendum, & expectandum eiuſmodi conſenſum, operæ pretium eſt quædam alia iam dictis adiungere, vt clarius eluceſcat veritas; non enim æquum eſt, vt à ſubditis quoquomodo pendeat facultas condendi leges, quas ipſi, vt plurimum conderent ad proprium commodum, non ad publicum bonum. Si verò ſubditi deberent conſenſum præbere, iam non eſſet tota poteſtas in Principe, & ipſi ſubditi æquarentur Principi, & haberent partem Imperij, quod valdè diſſonum eſt ab optima regiminis inſtitutione; ad quod tollendum inconueniens nullo modo eſt requirendus, aut expectandus conſenſus Cleri, & Capituli; vt optimè notat Barboſ. *de poteſtat. Epiſc. p.* 2. *Allegat.* 24. Neque obſtat illa multorum doctrina, quod nulla lex obligat, niſi acceptetur, ex quo ſequitur in omni lege obligãte requiri conſenſum ſubditorum; dico enim, illam doctrinam non eſſe vniuerſaliter veram, neque vniuersè acceptam, vt patet apud DD. Deinde dato, quod eſſet vera in humanis legibus, quorum conditores ab ipſis ſubditis, & populis authoritatem ferendi leges acceperunt, non poteſt tamen verificari in legibus Eccleſiaſticis; nam eiuſmodi conditores non à ſubditis, aut à populis illam poteſtatem acceperunt media Pontificis collatione. Neque ex eo, quod Tridentini Decreta alicubi non ſint recepta, inferendum eſt, non obligare, quia vt lata à Summo Pontifice, Summo omnium Principe, ex ſe ſemper obligant, tameſi ex ſumma benignitate, & prudentia Pontificis ad impedienda ſcandala, & grauiora mala illorum inobſeruantia tolleretur, quæ quidem ſcientia, & patientia Pontificis vim quamdam habet tacitę diſpenſationis, cum ſæpè inobedientium pertinacia inuincibilis ſit, vel ſaltem vinci non poſſit ſine maximo Eccleſiæ detrimento. Nec pertinacibus fauet forma Romani Pontificalis, vbi cauetur Conſtitutiones in Synodo publicandas debere confirmari per verbum *placet*; hoc enim intelligitur ſolummodo de Synodis Prouincialibus, in quibus Epiſcopi omnes, qui in illis ſunt legum Latores debent conſentire; vel ſi intelligitur etiam de Synodis Diœceſanis, dico illi formæ eſſe derogatum per declarationes allatas S. Cong. Concilij, & prę ſertim in Veneta citata die 27. Aprilis 1592. vt patet ex illis verbis, *Non obſtante quod ex forma Romani Pontificalis*, &c.

LEX CCCLV.

Illa dumtaxat res ab Epiſcopis præcipienda ſuis ſubditis, quæ ſint conformes legi Diuinæ.

OMnis lex, ſiue ſit naturalis, ſiue Ciuilis, ſiue Canonica, vt iuſtè conſcientiam liget, & ad obſeruantiam obliget, debet legi Diuinæ conformari, quæ dicitur prima lex, & æterna ſecundum æternam Dei rationem infallibilem inſtituta, ac propterea nulla res à quo-

à quocumque ſuperiore pręcipi poteſt, quæ à lege Diuina quoquomodo diſſentanea ſit, vel difformis iuxta doctrinam Apoſtoli *ad Rom.* 13. vbi hæc habet. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas, niſi à Deo, quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt; itaque qui reſiſtit poteſtati ordinationi Dei reſiſtit; qui autem reſiſtunt ipſi, ſibi damnationem acquirunt;* & hæc Apoſtoli doctrina, cum valeat in Principibus, & Magiſtratibus politicis, multò validior eſt in Republica Eccleſiaſtica, vbi idem Apoſtolus *ad Hæbreos* 13. ſcribens ait, *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis; ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Nulla igitur eſt adeò ſublimis,&excelſa authoritas,ſiue publica, ſiue priuata, ſiue in Ciuili,ſiue in Eccleſiaſtica Republica, quæ poſſit præcipere res iniuſtas legi Diuinæ repugnantes; id enim habet ex ſua intrinſeca natura vnaquæque lex, vt habeat pro obiecto bonum, & honeſtũ, quod ſemper reſpicit Diuina lex, aut leges omnes ſolent corriuare;res enim iniquas neque præcipere licet imperanti, nec fas eſt exequi obtemperanti, & quemadmodum lex Canonica *in can. ſi quis non recto, & in can. cum aliquis* 24. *qu.*3. irritam, & inanem facit omnem excommunicationem latam, ſeu ferendam in innocentem, ſic pari ratione aſſerendum eſt de quacumque alia lege euidẽter iniuſta rem iniuſtam præcipiente; docente etiam D. Tho. ad hanc rem 2. 2. *q.*69. *art.*3. *ad* 1. poteſtati inferiori in tantum ſubijci debere, in quantum ſuperioris ordinem ſeruat, à qua ſi exorbitet lex inferioris, ei ſubijci non oportet; idemque repetit Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. *in corp.* vnde ſequitur,non eſſe à ſubditis obtemperandum Epiſcopis, neque Sũmis Pontificibus,ſi res euidenter malas, vel iniuſtas præciperent, quia eorum poteſtas data eſt in ædificationem,non in deſtructionem Eccleſiæ, vel ſalutis animarum; ac propterea,neque redargutionem paſſi ſunt illi ex Clero, qui decretis Liberij Sum. Pontif. in Concil. Sirmienſi parere recuſarunt, conſentientibus in damnationem Sancti Athanaſij omninò iniuſtam propter perſecutionem Arrianorum, de qua re ſcribit D.Hilarius *in l. aduerſ.* Conſtant. Auguſt. & D. Hieron. *in Chronico*, & D. Damaſus Papa *in vita Liberij*; Qui enim illis decretis paruiſſent, grauiter peccaſſent, & quoquomodo hæreticis conſenſiſſent, in quo conſenſu grauis in Deum fuiſſet offenſa. Quod prorſus contigiſſet illis, qui Decretis Stephani VIII. & Sergij III. de iterandis ordinibus iam receptis à Formoſo Sum.Pontif. paruiſſent, cum non liceat ordines iterare, & ſic de ſingulis, &c.

LEX CCCLVI.

Nihil ab Epiſcopis præcipiendum, quod ſit alienum à lege Canonica.

A Lege Diuina non diſſentit Ciuilis lex, neque Canonica, cum omnes æquè in vnum conſentiant, quod eſt in bonam humanæ ſocietatis directionem intendere,vnumque ſemper fuit omnium legum obiectum, & finis, commune bonum. Cum igitur in quocumque Iure, ſiue Ciuili,etiam Ius Diuinum comprehendatur, nihil ab Epiſcopis ſuis ſubditis obſeruandum poteſt proponi, quod ſit alienũ à Iure ipſo Canonico, quod etiam Pontificium vocari ſolet, quatenus Pontificum authoritate dicitur inſtitutum,cui Epiſcopi omnes in ſuis indicendis legibus, ac rebus pręcipiendis tenentur adhærere, ne à prima Imperij, ſeu impe-

randi lege imprudenter exorbitent. Quomodo verò Ius Canonicum in Eccleſiam fuerit introductum, ex quibus rebus compactum, communis Doctorum ſenſus indicat, ex quo deducitur, regulas omnes, & Canonicas Doctrinas in vnum Ius coaluiſſe ex Diuinis Sacræ Scripturæ, & Apoſtolorum traditionibus, ex Eccleſiaſticis ſanctionibus, à Pontificibus, & Sacris Synodis profectis, & etiam ex multis conſuetudinibus in Eccleſia receptis, & obſeruatis; quorum rerum collectores primi, quinam fuerint, nondum certò ſcitur, nam primæ collectionis meminit Dionyſius Abbas in ſua præfatione Canonum, vbi refert, collectionem continuiſſe centum ſexagintaquinque Canones deſumptos ex Nicęna Synodo, cæteriſque Græcorum Synodis; atque huius primę collectionis multiplex mentio fit in Synodo Chalcedonenſi *art.*4.1 1.1 3. *& alibi*. Subſequuta deinde eſt collectio Dionyſiana; Dionyſius namque Abbas, ratione iuſta ob ſtaturæ paruitatem, cognominatus exiguus, ſed meritis ſanctitatis, & doctrinæ verè magnus, qui floruit tempore Theodorici Italiæ Regis, omnes illius temporis Eccleſiaſticos Canones collegit ex Eccleſiæ Concilijs, ad ſuum vſque tempus celebratis; quibus Canones Apoſtolorum pręmiſit numero quinquaginta, quē numerum alij collectores acceperunt, & adprobarunt ex authoritate Leonis IX. *in Can. Clementis diſt.*16. tametſi dicant Græci Canones Apoſtolicos fuiſſe numero octoginta quatuor. Hanc Dionyſianam collectionem tenuit, & ſeruauit Romana Eccleſia, licet nullas adhuc contineret Sum. Pontif. Conſtitutiones, vt admonet Nicolaus I. ſcribens ad vniuerſos Galliarum Epiſcopos *in Can. ſi Romanorum diſt.*19. poſterioribus tamen temporibus hæc collectio aucta fuit Decretalibus Syluestri Siricij, & aliorum deinceps Romanorum Pontificum, vſque ad Gregorium II. incluſiuè, quod tradit Leo IV. Pontifex *in Can. de Libellis diſt.* 20. his prorſus verbis, *Quibus autem in omnibus Eccleſiaſticis vtimur iudicus, ſunt Canones Apoſtolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocaſarienſium, Tangrenſium, Antiochenſium, Lodicenſium, Conſtantinopolitanorum, Epheſinorum, Chalcedonenſium, Sardicenſium, Aphricanenſium, Carthaginenſium, & cum illis Regula Præſulum Romanorum, Syluestri, Siricij, Innocentij, Zoſimi, Cæleſtini, Leonis, Gelaſij, Hilarij, Simmachi, Hormiſda, Simplicij, & Gregorij Iunioris. Iſti omnino ſunt, & per quos iudicant Epiſcopi, & per quos Epiſcopi ſimul indicantur, & Clerici*. Plures aliæ collectiones Sacrorũ Canonum factæ ſunt poſtmodũ ab alijs collectoribus, quos referunt Canoniſtæ poſt multas Æcumenicas, & non Æcumenicas Synodos, quas non intereſt ſuprapoſitis adiungere, cum nobis ſatis ſit fontes, vnde emanauit Ius Canonicum obiter delibaſſe, vt omnibus perſpicuum eſſet nemini à regulis tam Sacrę, & Sanctæ inſtitutionis fas eſſe recedere, neque imperando, neque obtemperando.

SACRI
CANONES
SPECTANTES AD PRVDENTIAM EPISCOPALEM
pro
OPTIMO ECCLESIÆ REGIMINE.

SACRI CANONES

Spectantes ad Prudentiam Epiſcopalem pro optimo Eccleſiæ regimine.

PRoferuntur hic Sacri Canones ferè omnes, quibus Icon Epiſcopalis Prudentiæ, veluti Lineamentis exactè perficitur, ne quid huic operi deſit, vnde optimum Eccleſiæ regimen vel inſtitui poſſit, vel exerceri, ad veræ Prudentiæ normam, & formam. Non omnium eiuſmodi Canonum virens adhuc, ac vigens obſeruantia eſt, cum non pauci temporum lapſu, & deſuetudine exoluerint, plures etiam vel omninò abrogati, vel certis limitibus neotherica doctrina circumſcripti. Vna Fides immutabilis, nec errores vnquam paſſa eſt, nec Canones mutationi obnoxios, in omnibus ſemper eadem. Et hæc ad Elenchum Sacrorum Canonum Epiſcopalium operæ pretium fuit præmittere.

SACRI CANONES.

Spectantes ad dignitatem, & præeminentiam Epiſcopalem.

DIgnitas Epiſcopalis eſt maior omni dignitate huius mundi. *Concil. Rauenn.* 3. *poſt. Clem. V. cap.*6. & cum ſit à Deo inſtituta, *Sixtus I. epiſt.* 2. *Anacletus epiſt.* 3. quiſquis illam damnat, Dei ordinationem damnat. *Adrianus* 1. *in Decret. c.*1. Debet ergo præ cæteris omnibus honorari. *Pelagius* 2. *epiſt.*2. *de maiorit. & obed. c. ſollicita*; nam Epiſcopi non tantum ſunt Doctores populorum. *Clement.* 1. *epiſt* 4. & Summi Sacerdotes. *Anacletus epiſt.*2. *diſt.* 79. *c. Electionem*, ſed ipſis Imperatoribus ſunt præferendi. *de Maiorit. & obed. c. ſollicita*; cum ipſi & Duces, & Principes verè ſint. *lib.*2. *Conſtit. Apoſt. c.*25. *&* 26. ſuumque Principatum in ſubditos Sacerdotes exerceant. *l.*8. *Conſt. Apoſt. c. vlt.*

Accedit, quod cum Epiſcopi ſint Dei Locatenentes in Mundo. *Clem.* 1. *epiſt.* 3. & Throni ipſius met Dei nuncupentur. *Felix* 2. *epiſt.*1. *c.*17. non ſubſunt Principibus ſæculi, ſed præſunt. *de Maiorit. & obed. c. ſollicita*, vnde dedecet illos Principibus ſæcularibus perſonaliter inſeruire. *Concil. Trid. Seſſ.* 25. *de refor. c.* 17. immò, & ipſis locum cedere non poſſunt. *Concil. Trid. ibid. c.*27. nec ſtare dum Principes accūbunt, etiamſi ab eis ſumant partem, & cibum. *Concil. Mediol.* 1. *part.* 2. *de dignitate, &c.* cum igitur Dignitas Epiſcopalis per ſe ipſam ſit ſemper maxima. *Gregor VII. lib* 4. *epiſt.*2. *lib.*11. *epiſt.*2. non poteſt fieri maior per hoc, quod Rex, vel Imperator incolat ſuam Ciuitatem. *Gelaſius epiſt.* 13.

Epiſcopi ſunt Paſtores Populorum Fidelium. *Ioan.*3. *epiſt. vnica*, Sunt Columnæ Eccleſiæ. *Sixtus* 2. *epiſt.*2. *Iulius I. epiſt.*2. *c.*23. Sunt Interceſſores apud Deum pro delictis populorum; *Greg.* 1. *l.*1. *epiſt.*24. vnde cum omnibus præſint, & proſint, debent ab omnibus fidelibus in orationibus Eccleſiæ iuuari. *Concil. Nican.* 1. *ex Arabico c.*57.

SACRI CANONES

Spectantes ad qualitates requiſitas in Epiſcopis eligendis.

EPiſcopalis Dignitas non eſt danda per ordinem ad diuitias, ſed ad merita. *diſt.*41. *c. Epiſcopus, & c. Clericus*, vnde illiteratus non poteſt fieri Epiſcopus. *Concil. Valent.* 2. *c.*7. *Aquiſgranen. ſub Ludouico Pio c.*14. *Aquiſgran.*3. *c.*8. *Trid. Seſſ.*7. *de refor. c.*1. *Seſſ.*22. *c.*2. *&c.* Quod ſi illiteratus factus ſit Epiſcopus priuari debet Iuriſdictione, & Epiſcopatu. *Honorius* 3. *ex Cirone de ætat. & qualit. &c. c.*1. Sed non tantum requiruntur literæ in Epiſcopo eligendo, quæ quales ſint vide *Concil. Trid. Seſſ.*22. *de reform. c.*2. ſed etiam determinata ętas 30. ſaltē annorum. *Concil. Agathen. c.*17. *Concil. Arelat.* 3. *c.*3. *Concil. Lateran.*5. *Seſſ.*9. *de refor. Curiæ.* Nec poteſt diſpenſari, niſi ad ſummum pro tribus annis. *diſt.*78. *c. ſi quis Triginta, c. Nemo, c. Preſbyter, c ſi triginta annorum*, hinc eſt, quod Iuuenes, etiamſi ſint nobiles, & raris qualitatibus inſigniti, in Epiſcopos non poſſunt eligi. *Gregor. VII. lib.* 4. *epiſt* 4. *&* 5. *lib.*5. *ep.*11. Immò, & ignobiles ad Epiſcopatū poſſunt aſſumi, dummodo ſingulari virtute præditi dignoſcantur. *Gregor.*7. *lib.*9. *epiſt.*2. cum vera nobilitas in Epiſcopis, non à loco, vel genere, ſed à morum probitate iudicanda ſit.

diſt.40. c.Nos qui, & c.Non loca.

Neque poteſt eligi in Epiſcopum, qui id ſibi procurat pecunia, aut precibus. *Simmacus epiſt. ad Cæſarium, Concil. Tolet.4. c.19.Gregor.1. l.4. ep.23.* & ambitioſus talis Dignitatis repulſam meretur. 1. 9. 1. *c. Eſtote ergo, & c. Nullus itaque.* ſed potius fugiens Epiſcopatum, ad Epiſcopatum euehi debet. *Concil. Auernen.c.2.Concil.Aurelian.5.c.*10.8.9.1. *c. In ſcripturis.* Rurſus non poteſt eligi, qui per multum tempus non fuerit continens. *Gregor. I. lib.8. ep 4. diſt.* 68. *c.*4. Nec infamis, nec publicus pœnitens, nec hæreticus, alijque huius farinæ, vt videre eſt, *in c. Non negamus diſt.* 61. *in c. Qui in aliquo diſt.*51.*in c.Apoſtolus diſt.*81.*& in Concil.Tolet.4.cap.*19. Neque eligi poteſt, qui Curijs ſæcularibus,aut militiæ vacauit. *Siricius ep.2.c.*1. Neque criminoſus capitaliter. *c. Apoſtolus diſt.* 81. *c.Bene nouit. diſt.*61. Neque denique qui cupit eſſe Epiſcopus, vt præſit, non vt proſit. *c.Qui Epiſcopatum* 8. 9. 1.

SACRI CANONES

Spectantes ad Iuriſdictionem Epiſcopalem in propria Diœceſi.

EPiſcopus habet Iuriſdictionem in omnes Presbyteros, & Clericos ſuæ Diœceſis, & qui ſunt in ſua Diœceſi. *Concil: Ratiſbonen. Concil. Roman. ſub Silueſtro c.7. Concil. Venenſ. c.* 8. *Concil. Trid. Seſſ.6. de refor. c.3.* & omnes punire poteſt *ibid.* Adde, quod Epiſcopus habet poteſtatem iudicandi omnes delinquentes in ſua Diœceſi, in cauſis ſpiritualibus. *l.2. Conſtit. Apoſtolic. c.*11. 13.36.37.*& 46. Anterus epiſt. vnic. c.Facta ſubditorum* 19.*q.*3. Immò Epiſcopus exercere poteſt Iuriſdictionem in omnes perſonas ſuæ Diœceſis, cuiuſcumque conditionis ſint, etiamſi Laici, & Principes, in ſpiritualibus tamen tantum. *De Maior.& obed. c. ſollicitæ,* quam Iuriſdictionem in ſpiritualibus habet etiam ſuper Imperatoribus,& Regibus. *Nicolaus I. in append. ep.*11.*Concil.Tiburt.* 1. *c.*32. *Concil. Aquiſgran.* 3. *part.* 4. *c.*5. *&* 7. hinc ſequitur,Epiſcopum habere poteſtatem, & Iuriſdictionem excommunicandi per ſe ipſum, vel etiam per ſuum Vicarium omnes ſuos ſubditos, aggrauandi pœnas, ponendi Interdictum, ſuſpendendi à beneficio, ab officio, & ab ingreſſu Eccleſiæ, etiam ſæculares. *In Conſtit. Martini V. Concil. Conſtant. Seſſ.vlt.*

Maledicentes, & detrahentes de Epiſcopo, ab eodem debent puniri. *Concil. Mediol.*1.*p.2. de dign. ab Ep. retin.* Crimen adulterij punitur ab Epiſcopo. *Concil.Roman.ſub Ioanne* 9. & ad punienda crimina, poteſt Epiſcopus vti brachio ſæculari. *c. Perniciosa de offic. Iud. Ord.* Poteſt etiam viſitare, & punire toties quoties, cathedralia,capitula, & alia,non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium, vel exemptione, &c. *Concil. Trid. Seſſ.* 6. *de refor. c.* 4. Habet inſuper Iuriſdictionem in Cappellanos Regios, qui non viuunt intra ſepta domus Regiæ: In Prothonotarios honorarios, Acolitos,Comites Palatinos, & alios, qui in Curia reſident, ratione beneficiorum, & ob id etiam in familiares Cardinalium. *Concil. Trid. Seſſ.*24. *de refor. c.*11. Epiſcopus quid poſſit, vt Papæ Delegatus videatur *Trident. Seſſ.* 24. *de refor. c.* 10. *& alibi paſſim.*

Epiſcopus poteſt procedere in cauſa,quādo Delegatus Papæ nō procedit. *c. Significauit de offic. Iud. ord.* & omnes Clericorum ſuorum cauſas debet iudicare. *Gregor. I. lib.9. ex regeſt. epiſt.* 32. *Concil. Trid. Seſſ.6. de refor. c.3.* & poteſt etiam iudicare cauſas miſerabilium perſo-

perſonarum, & compellere exemptos (ſi non habent Iudices) ad ſoluenda debita. *Concil. Trid. Seſſ.7. de refor. c.*14.

Epiſcopus eſt executor omnium diſpoſitionum, tàm in vltima voluntate, quàm inter viuos factarum. *Concil. Trid. Seſſ.*22. *de refor. c.*28. vnde poteſt cogere hæredes ad executionem teſtamenti, ſi elapſo anno non fuerint executi mentem Teſtatoris. *c. Nos quidem de Teſtament.* & poteſt omnia interdicere hæredi non ſoluenti legata. *c. Si hæred. ibid.*

Epiſcopus habet Iurisdictionem in omnia loca pia Diœceſis, vt Eccleſias, Hoſpitalia, &c. ſi non ſint exempta. *c. cum Dilectus de relig. Domib. & c. de Xenodochijs. Concil. Trid. ſeſſ.*24. *de refor. c.*11. habet etiam iuriſdictionem in omnes ſeruientes Hoſpitalibus, & locis pijs, &c. *Trid.* 16.

Poteſt Epiſcopus compellere Parochum diffamatum ad ſe purgandum, niſi appellauerit. *c. Nos inter. de purg. can.* In Viſitatione, & extra, poteſt, quoties eſt opus, procedere in cauſis Criminalibus omnium Clericorum Sæcularium, etiam exemptorum, vt delegatus S. A. non obſtante quocumque priuilegio. *Trident. ſeſſ.*14. *de reform. c.*4. Poteſt etiam Epiſcopus ſuſpendere quoſcumque Clericos ordinatos in Sacris ſine literis Dimiſſorijs, vel ſine examine, ſi ab eo reperti ſint non idonei, & hoc arbitrio ſuo, & ad tempus. *Trid. c.*3. *de refor. ſeſſ.*14.

Epiſcopus in omni loco ſuæ Diœceſis non exempto poteſt ſedere pro Tribunali, & iudicere. *c. Cum Epiſcopus de offic. in* 6. & de quolibet loco, non exempto, poteſt perſonas Eccleſiaſticas, ſi opus ſit, capere, & carcerare. *c. Cum Epiſcopus de offic. Iud. ord. in* 6.

Epiſcopus, vt delegatus Sedis Apoſtolicæ poteſt aliquando perpetuò vnire beneficia, ſiue curata, ſiue non, ob paupertatem Curatorum, & alios caſus à Iure permiſſos, ſiue reſeruata, ſiue aliter affecta; abſque tamen præiudicio obtinentium illa. *Trid. c.* 5. *de refor. ſeſſ.*21.

Epiſcopalis Iuriſdictio non poteſt committi pro pretio, & ſic faciens perdit poteſtatem committendi officium. *Concil. Colon.*2. *tit. de officior. &c. c.*2. *Concil. Lateran.* 3. *c.*15. Epiſcopalis iuriſdictio per Papam eſt defendenda, & cuſtodienda. *c. Peruenit* 11. *qu.*1.

SACRI CANONES

Spectantes ad Iuriſdictionem Epiſcopalem in aliena Diœceſi.

PLura Concilia, & Canones afferuntur prohibentia Epiſcopo poſſe facere vllum actum iuridicum in aliena Diœceſi, quod ſi aliquem faciat, ſemper eſt irritus, excepta ordinatione, quæ illicita quidem eſt, ſed valida, & tantum ſuſpenditur executio ordinis. *Concil. Rauennat.*2. *ſub Clem.* 5. *c.*24. *Concil. Carthag.* 1. *c.*10. *Carthag.*2. *can.*11. *Carthag.* 3. *c.*20. *Conſtantinop.* 1. *c.*3. *Lucenſe* 2. *c.*7. *Magunt.*3. *c.*14. *Damaſus epiſt.* 5. *Sixtus* 2. *ep.* 2. 9. *qu* 2. *c. Nullus alterius, c. Nullus Primas, c. Placuit. & p.*3. *per totam ferè, c. Nullus Epiſcopus De Parochijs, &c.*

Hinc ſequitur, non poſſe Epiſcopum iudicare ſubditum alterius Epiſcopi, 6. 9. 3. *c.*1. Neque poſſe inſtituere Clericos in aliena Diœceſi. *Honor.* 3. *ex Cirone de Clericis Pereg. c.*1. Neque poſſe exercere Pontificalia, ſine licentia Epiſcopi loci. *Concil. Rauennat.* 2. *c.*24. & hoc ſub pœna ſuſpenſionis ab exercitio Pōtificalium ipſo facto. *Concil. Trid. c.*5. *de refor. ſeſſ.*6. Neque poſſe in alte-

 rius

tius Diœceſi abſoluere, neque ligare, excommunicare, &c. 9. *qu.* 2. *c. Nullus Primas, c. Placuit, &c. ibid. & qu.* 3. *per totam, c. Vt Animarum de conſtit. in* 6. Neque poſſe dedicare Eccleſias alterius Diœceſis, & ſi hoc faciat Epiſcopus proprius poteſt eas reformare. *Gregor.* 1. *l.* 10. *ep.* 25.

Epiſcopus inuadens alienam Diœceſim eſt deponendus. *Concil. Aurelian.* 5. *c.* 9. *Concil. Antiochen. c.* 16. Et ſi recipiat alienos Clericos, excommunicandus eſt. *Concil. quod. dicitur Apoſt. c.* 16. & excommunicandus eſt etiam Epiſcopus, qui vſurpat iuriſdictionem alterius. *Concil. Turon.* 1. *c.* 9. *Concil. Vormatien.* 1. *c.* 62.

SACRI CANONES

Spectantes ad Iuriſdictionem Epiſcopalem in cauſis Hæreticorum, & ſuſpectorum.

CVm Epiſcopus poſſit, & debeat procedere in cauſis hæreſis. *Vrb.* 4. *Conſtit.* 2. *licet,* §. 3. ſi negligat. perſequi hæreticos eſt priuandus, & alius in eius locum ponendus. *c. Excommunicamus de hæreticis* §. *final. Concil. Lateran.* 4. *c.* 3. & Epiſcopus, qui excuſat hæreticos, vel celat, deponi debet ab Epiſcopatu. *Concil. Tolet.* 16. *c.* 2. *Concil. African. c.* 91. *Concil. Mileuit. c.* 2. Et ſi hæreticos à ſua Diœceſi non arceat, tamquam ſacrilegus eſt deponendus. *Concil. Arelat.* 2. *c.* 30.

In cauſis hæreticorum Epiſcopus eſt Iudex Ordinarius, & poteſt inſuper ad hoc à Sede Apoſtolica delegari. *c. Per hoc de hæret. in* 6. Ideò poteſt hæreticos contra inquirere, & contra eoſdem proceſſus formare: idem etiam poteſt Capitulum Sede vacante. *c. Ad abolendam, de hæreticis.*

Neque per hoc, quod Pontifex inſtituit Inquiſitores, Epiſcopo derogatur, & aliquod ei præiudicium infertur; cum poſſit Epiſcopus coniunctim, & diſiunctim ab Inquiſitore procedere in cauſa hæreſis: vbi verò ſimul cum Inquiſitore ſententiat in cauſa hæreſis, ſi non conueniunt, remittant ad Sedem Apoſtolicam: ſi vult tamen poteſt in ſententiando deferre Inquiſitori, & è contra. *c. Per hoc de hæreticis in* 6. Quid verò poſſint Epiſcopi ſine Inquiſitoribus. *Vid. Clement. de hæreticis,* §. *Propter.*

Debet autem Epiſcopus procedere in cauſa hæreſis, ſicut præcipiunt Iura, & Sanctiones Apoſtolicæ. *c. Per hoc, de hæret. in* 6. Et Epiſcopo procedente in eadem cauſa, omnes tenentur obedire, Iudices, Domini temporales, Magiſtratus, &c. *c. Vt Inquiſitionis officium de hæret. in* 6.

Epiſcopi, & Inquiſitores diuiſim agunt, non quando vnus agit, & alius non: ſed quando vtrique agunt, ſed ſeparatim; & tunc debent communicare proceſſus, ſed tamen in fine tantum. *c. Ex eo, extra de hæreticis.* Proprijs expenſis debent Epiſcopi inquirere in cauſis hæreticorum, & proceſſibus; neque poſſunt petere partem expenſarum ab Inquiſitoribus, *ibid.* Non poſſunt procedere Epiſcopi in cauſa hæreſis contra Inquiſitores, nec è contra. *c. fin. de hæret. in* 6.

Habeant Epiſcopi carcerem communem cum Inquiſitore, duoque ponantur cuſtodes, vnus ab Epiſcopo, alius ab Inquiſitore, & duas habeant claues. *Clement. de hæret. c.* 1. §. *Sanè.*

Epiſcopus faciens hæreticos hæredes excommunicatur: etiam poſt mortem talis declarandus. *Concil. Afric. c.* 48.

Epiſcopus, vel Archiepiſcopus tenetur omni anno viſitare prouincias, vel Diœce-

Diœceſes ſuſpectas de hæreſi. *c. Excommunicamus* §. *Adijcimus de hæreticis*. Hæreticorum enim Inquiſitio ſæpè eſt facienda. *Innocent.* 4. *Conſtit.* 9. *Ad extirpanda* §. 31. Et hæreſes ſine mora profligandæ. *Gelaſius ep.* 6. *Hormiſda ep.* 8. *Innocentius* 3. *Conſt. Inter cætera*. Hæretici ſunt diligenter quærendi, & extirpandi, ne alios inficiant. *Gregor.* 7. *lib.* 7. *ep.* 28. Ac ideò ſunt ſegregandi, & diuidendi ab alijs fidelibus. 24. 9. 3. *c. Reſecandæ, Gregor.* 1. *lib.* 7. *ex regeſt. epiſt.* 6. *Concil. Roman.* 1. *ſub Leone* 1.

In cauſa hæreſis teſtes examinandi ſunt coram duobus, & eorumdem teſtium dicta per Tabellionem excipi debent. *c. Vt officium de hæret. in* 6. Dicta autem, vel teſtium, & accuſatorum non poſſunt publicari. *c. Statuta de hæret. in* 6.

In cauſa hæreſis omnes etiam exempti, vel aliter priuilegiati Apoſtolico priuilegio, ſubduntur Epiſcopo, & Inquiſitori. *c. Accuſat.* §. *Licet de hæret. in* 6.

Hæreticorum Eccleſiæ, quando ipſi conuertuntur ad fidem, pertinent ad Epiſcopum loci. *Concil. Tolet.* 3. *c.* 9.

Redeuntes ab hæreſi pœnitentiam impoſitam ab Epiſcopo tenentur exequi. *Concil. Aurel.* 4. *c.* 8. *c. Si quis dederit* 24. 9. 1. *&* *quæ pœnitentia imponenda ſit. ibid.* Sed in his conuerſionibus moderandus eſt rigor. *c. Didici, c. Cognoui, c. Diſpenſationes* 1. 9. 7. Hæretici enim redeuntes ad fidem tractandi ſunt humaniter. *Concil. Conſtantin.* 1. *c.* 7. *Gregor. I. l.* 9. *ex reg ep.* 39. *Agapetus epiſt.* 2.

Contra Hæreticos poſſunt Epiſcopi implorare auxilium Principum. *c. Noſtri aduerſus*, 25. *qu.* 3.

Epiſcopus interrogans aliquem de veritate dicenda, an ſint hæretici in loco vbi non velit iurare, habeat illum ſuſpectum de hæreſi, & niſi ſe purget, eumdem puniat. *Concil. Senon. tit. Diœceſani c.* 32.

Nolentes perſequi hæreticos ad monitionem Epiſcopi ſunt excommunicati. *Concil. Lateran.* 3. *c.* 27. *Concil. Lateran.* 4. *c.* 3.

Hæretici capti intra quindecim dies Epiſcopo ſint conſignandi, vel Inquiſitori. *Innocent.* 4. *Conſtit.* 9. *Ad extirpanda*. Et Rectores curent capi hæreticos expenſis Communitatis, & mitti ad Ordinarios. *ibid.*

Ab Epiſcopo, vel ab Inquiſitore, vt delegatis Papæ, abſoluuntur hæretici publici iudicialiter facto eorum proceſſu, vel etiam ſponte comparentes, ſic etiam ſuſpecti de hæreſi. *c. Vt officium de hæreticis in* 6. *Alexander* 4. *Conſtit.* 18. *Cupientes, Vrbanus* 4. *Conſtit.* 2. *Licet*, §. 4.

Epiſcopus, vel eius Vicarius ad hoc ſpecialiter delegatus, poteſt abſoluere hæreſim externam, occultam, in foro conſcientiæ. *Concil. Trident. c.* 6. *ſeſſ.* 24. *de reform.*

Epiſcopus debet habere ſuſpectum de hæreſi, qui per multum tempus contemnit excommunicationem. *Honorius* 3. *ex Cirone, de pœnis c.* 2.

Suſpecti de fide, ad Epiſcopos, vel Inquiſitores ſunt denunciandi. *Conſtit. Mediol.* 1. *tit. de fidei profeſſione.*

Epiſcopo ſunt denunciandi Conuenticula occulta, & ſeparata à cõmunione fidelium celebrantes; & ipſi tenentur ſe purgare, aliàs puniantur; ſi verò iurare noluerint de relinquenda perfidia, vt hæretici puniendi. *Concil. Lateran.* 4. *c.* 3.

SACRI

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopi munera, & officia, ac præcipuè ad Sacramenti Confirmationis adminiſtrationem.

PLura ſunt officia Epiſcopi, nempè benedicere, ordinare, offerre, manum imponere. *lib. 8. Conſtit. Apoſt. c.28.* Item conſecrare Eccleſias, Altaria, Virgines, Chriſma conficere, confirmare, & ordinare, quæ alijs Presbyteris non conueniunt. *Concil. Hiſpalenſe 2. c.7. poſt Concil. Tolet.8. c.7. c. Perlectis diſt. 25. Concil. 2. part. 1. c.1.* Quæ omnia munera debet per ſe ipſum exercere, non per Coepiſcopum, ſiue Subſtitutum. *Damaſus epiſt.5.*

Epiſcopus ſolus poteſt confirmare cum Chriſmate in fronte. *Euſebius ep.5. de conſecrat. diſt.5. c.Manus quoque, c.Nouiſſimè, & c.Vt ieiuni,* & confirmans, vel baptizans debet eſſe ieiunus. *c.Vt ieiuni diſt.5.de conſecr.*& hac occaſione afferemus peculiares aliquos Canones ſpectantes ad Confirmationis Sacramentũ.

Confirmatio namque, quæ ab Epiſcopo per vnctionem in fronte baptizati cum Chriſmate fit, certiſſimum eſt, & de fide eſſe Sacramentum. *Melchiades in epiſt. decret, Euſebius epiſt.3. Innocentius 1. epiſt.1. c.3. Gregorius 1. lib.3. ep.9. & 28. lib.Epiſt 46. Gregorius 2. epiſt. 14.de conſecr. diſt.5. c.1. c. Spiritus, c. Manus, c. De his verò, &c. ibid. De Sacram.Vnct. c.vn. §. Per frontis, de Sacram.Vnct. de ſent. excommunic: c. Reſponſo, & ſub eodem tit. in 6. c.Quoniam, & præter alios plures Canones, & Concilia, Concil. Trident. ſeſſ. 7. de Sacram. can.1. & de Confirm. ibid. Canon.1.* Quod Sacramentũ fuit etiam ab initio in Eccleſia. *Concil.Colon. 2.p.7 c.10.* Et idem nunc eſt, ac impoſitio manuum, quæ olim fiebat in Eccleſia. *Concil. Senon. de Confirmat. c. 10. c. vnic. §. Per frontis, De Sacram. Vnct.* Vnde, & tempore Apoſtolorum dabatur, quamquam tunc tantum per manuum impoſitionem, deinde per Chriſmatis vnctionem dari cœpit. *Concil.Magunt.4. c.18.* Cum ergo hoc Sacramentum fuerit à Chriſto inſtitutum. *Concil.Florent. in decret. Eugenij, §. 5. Eccleſiaſticorum, Concil. Trid.Seſſ.7.de Sacram.c.1.* Magna veneratione dignum eſt. *c. De his verò diſt.5. de conſecrat.*

Confirmationis Miniſter ordinarius eſt ſolus Epiſcopus. *Concil. Vormat. 1. c.8. Londinen.1. c.3. Eliberitic.77.* & hoc ex inſtitutione Chriſti. *Concil. Senon. de Confirmat. c.10. & in decret. Morum c.38. Concil. Conſtant. contrà Vuicleff. art. 28. Concil. Florent. in decr. Eugenij, §. Quinto Eccleſiaſticorum Concil. Trid. ſeſſ.7. de Sacram. Confirm. Canon. 3. & ſeſſ.23. c. 4.* Poteſt tamen ex delegatione Papę ſimplex Sacerdos eſſe huius Sacramenti Miniſter. *c.Peruenit, de conſecr. diſt.95. c. Manus quoque, diſt.5. Gregorius 1. epiſt.26. &c.* ſed hoc ex magna neceſſitate. *Conc. Flor.in decr.Euge.4 §.QuintoEccleſiaſticorũ Cõc. Senon. in decr. Morum c.38.* Et tunc ſimplex Sacerdos delegatus à Papa debet vti Chriſmate conſecrato ab Epiſcopo. *Concil. Florent. ibid.*

Quilibet baptizatus debet ab Epiſcopo confirmari. *Vrbanus I. Ep.vn.de conſ. diſt.5. c.1.Omnes c.Nouiſſimè.* Confirmãdus eſt quoque ille homo, de cuius Confirmatione non conſtat. *Gregorius I. lib. 11. Ep. 32.* Et quamquam huius Sacramenti non ſit tanta neceſſitas, vt ſine eo homo non poſſit ſaluari. *Melchiades Ep.decretali de conſ. diſt. 5. c.Spiritus Sanctus. Conc.Colon. 2. p. 7. c. 9.* Peccat tamen mortaliter, qui illud contemnit. *Concil. Conſtant. Seſſ. vlt. in Conſtit. Martini V. circa medium.*

Epiſcopus in Viſitatione debet miniſtrare Sacramentum Confirmationis

nis. *Gregor.* 1. *lib.*8. *epiſt.* 46. Ætas autem confirmandi debet eſſe ſaltem ſupra ſeptennium. *Concil. Colon.*2.*p.*7.*c.*8. *& 9. Concil. Mediolan.*1. *p.*2. *tit. quæ pertinet ad Sacramentum Confirmationis.*

Tempore Interdicti etiam impoſiti à Papa in aliquo loco poteſt Epiſcopus miniſtrare Confirmationem. *c.Reſponſo de ſentent. excomm, & c. Quoniam ſub eodem tit. in* 6.

Caueat Epiſcopus, quod confirmandus ab vno, vel ab vna ſuſcipiatur. *Concil. Magont.* 4. *c.*19. *c. Non plures de conſecr. diſt.*4. Qui Compater, vel Commater debent eſſe confirmati. *c.In Baptiſmate ibid. Concil. Later.* 3. *in append. p.* 50. *c.*44.

Confirmandi debent eſſe ieiuni. *c.Vt iciuni, de conſecr.diſt.* 5. Niſi vrgeat neceſſitas. *Concil. Colon.*2.*p.*7.*c.*9. Si ſint adulti, antequam confirmentur debent Sacramentaliter confiteri. *ibid.*

Non poteſt iterum confirmari, qui ſemel eſt confirmatus. *c. Dictum, & c. De homine, diſt.*5. *de conſecr. Concil.Cabilon.* 3. *c.*27. *poſt Concil.Tarracon. c. vnico, Concil. Trid. Seſſ* 7. *de Sacr.can.*9. Si detur caſus, quod aliquis pluries ſit confirmatus, debet ſub Clericali, vel regulari habitu Deo inſeruire. *c. Dictum eſt de conſecr. diſt.*5.

Accedamus iam ad alia muneraEpiſcopalia, quæ ſunt Confeſſiones fideliũ audire, & prædicare, & Viſitare; quod ſi hoc per ſe facere non poteſt, per alios debet facere, *c. Inter cætera de offic. Iud. Ord.* Munus autem præcipuum Epiſcopi eſt prædicare. In Dominicis, & feſtis tenetur id exequi per ſe, vel per alium; tempore verò Quadrageſimæ, vel Aduentus, quotidiè, vel ter in hebdomada ſaltem; & ipſo contradicente nullus, neque Regularis, poteſt prędicare. *Concil. Trid. Seſſ.*5. *de reform.c.*2. *& ſeſſ.*24. *de refor.c.*4.

Epiſcopus poteſt quoqueExtremã vnctionẽ miniſtrare. *Conc. Vormat.* 1. *c.*72. *c.Illud ſuperfluum diſt.*95. Quã tamen nõ poteſt miniſtrare (& eò minus ſimplex Sacerdos) Pœnitenti publico, niſi reconcilietur. *Concil. Regiatic inum c.*8.

Munus quoque Epiſcopale eſt Ordines conferre. *l.*8. *Conſtit. Apoſtol. c.*28. *Concil. Carthag.*4. *c.*5. 6. 7. 8. *&c. Concil. Colon.* 2. *p.* 1. *c.* 1. *Concil. Trid. Seſſ.* 23. *c.*4.

Ad Epiſcopum ſpectat approbare miracula, aliàs non prædicentur, item approbare reliquias, quæ facere debet cum conſilio Theologorum, & ſi dubium graue accedat expectanda eſt ſententia Metropolitani, qui cum conſilio Epiſcoporum definiat. *Concil.Trid. ſeſſ.*25. *in decret. de Inuocatione, &c.*

Epiſcopus pro exercitio ſuorum munerum, vt ordinatione, Chriſmate, conſecratione Eccleſiarum, &c. nihil poteſt accipere. *Concil. Brachar.* 2. *c.*3. *&* 5.

SACRI CANONES

Spectantes ad collationes Ordinum ab Epiſcopis faciendas, ac etiam ad ipſos Ordines à Clericis ſuſcipiendos.

CONferre Ordines eſt proprium Epiſcoporum priuatiuè ad omnes alios. *Concil. Conſtantien. contra art.* 28. *Vuicleff. Concil. Trid. Seſſ.*23. *c.*4. Vnde Presbyter non poteſt ordinare. *Conſtit. Apoſtol. lib.*3. *c.*11. *& l.*8. *c. vlt.* Ex priuilegio tamen Papæ, tantum, poteſt non Epiſcopus conferre Ordines Clericales minores. *c. vlt. de Ordinatis ab eo, qui renunciauit.*

Abbas ab Epiſcopo benedictus, ſi ſit Sacerdos poteſt ſuis Monachis conferre primam Tonſuram. *c. Quoniam de ætate, & qualitate, &c. diſt.*69. *c. Cum Abbates,*

bates, de priuilegijs in 6. Poſſunt etiam eam cōferre ſuis ſubditis. *ibid.c.Abbates.* Poſſunt denique, & Monachis, & ſubditis conferre etiam Ordines minores. (non verò alijs) *Concil. Trid. ſeſſ.*23. *de reform. cap.* 10.

Competit ergò ſoli Epiſcopo ordinare in Sacris. *Concil.Tolet.*8. *c.*7.*Concil. Florent. in decret. Eugenij* 4. *de vnione Armenor.* §. *Quinto Eccleſiaſticorum, Concil. Trid.ſeſſ.*23. *c.*4.

Epiſcopus debet ordinare tantum viros irreprehēſibiles, ideſt qui careant vitijs. *Greg.* 1. *l.*3. *ep.*12. Debet tantum ordinare doctos, & probatos. *Zephirinus ep.*2.

Epiſcopus ordinans contra formam Canonum ſuſpenditur à communione. *c. Nullus diſt.*55.

Poteſt Epiſcopus ordinare tantum in ſua Diœceſi, & non in alia, ſine licentia alterius Epiſcopi. *Concil.Antioch. c.*13. *Conſtantinop.* 1. *c.*3. *Vormat.* 1. *c.* 62. *Carthag.* 1. *c.*10. *Carthag.*2. *c.*11. *Carthag.* 3. *c.*2. *Carthag.*5. *c.*13. Et excommunicatur. *Concil. Affrican. c.* 21. *Rauenn.* 2. *ſub. Clemente V. c.* 24. *Mogunt.* 3. *c.* 11. ex præfatis Concilijs intelligitur eſſe irritam ordinationem quoad exercitium tantum.

Epiſcopus non poteſt ordinare ſubditos alterius Epiſcopi, niſi cum commendatitijs illius, aliàs irrita eſt ordinatio, ideſt impeditur quoad exercitium ſub pœna ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalium. *Concil. Trid. Seſſ* 6. *de refor. c.*5. *Præter alios plures Canones, & Concilia.*

De licentia Papæ, poteſt Clericus vnius Diœceſis ordinari in alia. *c. Fraternitatem diſt.*71.

Poteſt Epiſcopus ordinare ſubditum alterius, ſi eſt ſuus familiaris. *Cōc. Arauſic.*1. *c* 8. Dummodo per triennium ei inſeruierit. *Concil. Trid. ſeſſ.* 23. *de refor. c.*9. ſed tenetur eidem conferre beneficium. *ibid.*

Epiſcopus Titularis non poteſt prætextu priuilegiorum, aut continuæ familiaritatis ordinare alterius ſubditum, non ad maiores Ordines, nec ad minores, nec ad primam tonſuram, nec in loco exempto, nec in Monaſterio; ſub pœna, ipſi ſuſpenſionis à Pontificalibus per annum, ordinatis verò ab exercitio Ordinum arbitrio Epiſcopi proprij. *Concil. Trid. Seſſ.*14. *de reform. c.*2.

Epiſcopus non poteſt ordinare ſeruum alterius inuito Domino: Et ſi ordinat ſcienter Domino inuito, & in ſacris, hic remanet in ordine, Epiſcopus verò tenetur ſatisfacere Domino pro illo. Si Epiſcopus id neſciebat, & alij ſupplicauerunt, vt ordinaret talem ſeruum, iſti tenentur ſatisfacere. *Concil. Aurelian.*1.*c.*10. *Concil. Vormatien.*1. *c*.40. *c. ſi ſeruus diſt.*54.

Epiſcopus ordinans aliquem ſine titulo, tenetur illum prouidere de beneficio. *c. Accepimus de ætat. & qualit. &c.* Et ſi ordinauerit in ſacris, tenetur illum alere, donec de beneficio prouideat. *c. Epiſcopus de Præbendis.*

Non poteſt Epiſcopus ordinare Religioſos inuitis eorū Superioribus. *Conc. Roman. ſub Gregor.* 1. *c.* 3.

Debet Epiſcopus cum Capitulo præſente Ordinationes celebrare. *Concil. Carthag.* 4. *c.* 22. *Concil. Trid ſeſſ.* 23. *de refor. c.* 8. Fieri debent in Eccleſia Cathedrali præſentibus Canonicis; Poſſunt tamen fieri in alia digniori Eccleſia. *ibidem.*

Epiſcopus per ſe ipſum debet ordinare ſuos Clericos. *Trident. ſeſſ.*23. *c.*3. Si verò ſit impeditus dimittat eos ad alios, vt ordinent, ſed prius eoſdem examinet. *ibidem c.* 3. *&* 8.

Epiſcopus celebraturus Ordinationes

nes, Feria quarta præcedenti, vel alio tempore, vocet ordinandos, & per probos viros faciat eos examinare de vita, moribus, & ſcientia; & examinatores ſint Sacerdotes prudẽtes periti, & exercitati in Eccleſiaſticis. *ibidem c.7.*

SACRI CANONES

Spectantes ad examen Ordinandorum.

ORdinandi præuio examine ordinentur, vel præuio populi teſtimonio. *Concil. Carthag. 3. c 22.*

Ab Epiſcopo examinandi *Concil. Senon. in decret. Morum c.3. Concil. Colon 3. tit. de altero medio c.2.* vel ab alijs viris doctis de commiſſione Epiſcopi. *ibid. Concil. Trident. ſeſſ.7. de refor. c.11. & 13. & ſeſſ.23. c 3. 5. 7. 12. & 14.*

Ordinandi feria quarta ad examen accedere debent. *c. Quando diſt.24. Concil. Colon.2. p.1.c.24.* & per duos ſequentes dies habeatur examen. *ibidem.*

Ordinandorum examen, & liſtâ legantur, antequam fiat ordinatio. *Concil. Londin.2. c.7.*

Examen faciendum de vita, & moribus, & ſcientia. *Concil. Colon. 2. p. 1. c.17. 18. 19. & 20.*

Examinari pariter debent ordinandi de intentione, quare volunt ordinari. *ibidem c.21. & 22.* An propter Chriſti ſeruitium, vel alium finem. *Concil. Colon.3. de altero medio c.25.* Debent etiam examinari quid ſentiant de fide; & an teneant, quod tenet Eccleſia Romana. *Concil. Auguſtan. c.25. Concil. Colon.3. tit. de altero medio.*

Examinari debent Clerici, tàm Sæculares, quàm Religioſi, niſi aliter Epiſcopus iudicet eos idoneos. *Concil. Colon.2. p.1. c.25.*

Examinatores admittentes ad Sacros Ordines eos, qui neſciunt latinè loqui, ab officio, & beneficio per annum ſuſpendantur, niſi magna adſit neceſſitas. *Concil. Tolet. 22. c.3.*

Examinatores nihil accipere poſſunt ab examinatis, vel ante, vel poſt. *Trid. ſeſſ.24. c.18.* & pœna. *ibid.* Concilium loquitur de examinatoribus Synodalibus, &c.

SACRI CANONES

A quibus prohibetur Epiſcopis poſſe quoſdam promouere ad Ordines Clericales.

ORdinari non poteſt in Clericum, qui venit de hæreſi. *Concil. Elibert. c. 51.*

Non baptizatus non poteſt ordinari; aliàs iterum ordinetur poſt baptiſmum. *c. ſi Presbyter. 1. q. 1. & Concil. Later. 3. p.50. c.45.* Neque non baptizatus ſolemniter, ſed prius debent fieri ſolemnitates. *Concil. Mogunt.4. c.33.* Neque qui non benè ſentit de fide. *Gregor. I. l.7. ex regeſt. epiſt.43.*

Ordinari non poteſt baptizatus peregrè niſi nota ſit eius vita. *Concil. Elibert. c.24.* Neque perſona ignota. *Syricius epiſt.3. c.2.* Neque infamati de natalibus, donec ſe purgent. *c. Accedens de Purgatione Canon.*

Ordinari non poſſunt Neophyti ſtatim. *Syricius epiſt.3. c.2.*

Neque ordinari poſſunt, qui fuerunt inſani, vel energumeni. *Concil. Nicæn. 1. ex Arabico, c.1.* Neque Serui. *Concil. Melfit. c.11. Concil. Later. 3. tit. de depoſitione c.19.*

Neque filij Concubinarum, ſeu illegitimi, niſi fiant Religioſi. *Concil. Claramont. c.11. & 25. Concil. Later. 3. tit. de depoſitione c.19.*

Neque in prima tonſura poteſt ordinari infans, & illiteratus. *c. fin. de temporibus ordinationum in 6. Concil. Colon. 2. p.1.*

2. p. 1. c. 28. *Concil. Trid. Seſſ. 23. de refor. c. 4.* Neque coniugatus, ſi vult ad ſacros aſcendere. *ibidem.*

Hæretici non poſſunt ordinari. Ordinantes, præter excommunicationem, decem libras auri ſoluant. *Concil. African. c. 60.*

Non poſſunt neque prima Tonſura ordinari, qui fugiunt iudicia Sæcularia, vel neſciunt legere, & ſcribere. *Concil. Trid. Seſſ. 23. de refor. c. 4.* Neque, qui non habent Sacramentum Confirmationis. *ibidem.*

Non poſſunt ordinari in minoribus, qui latinam linguam non callent. *Concil. Trid. ſeſſ. 23. de refor. c. 11.*

Non poſſunt ordinari rebaptizati. *Concil. Carthag. 5. c. 11. Cauſa 1. q. 7. c. Qui in qualibet.* Neque baptizati in alienis prouincijs. *diſt. 98. c. Omnes.*

Neque Dæmoniaci, donec liberentur. *Concil. quod dicitur Apoſtol. c. 79. diſt. 33. c. communiter. c. Clerici, & c. Vſque adeò.*

Neque qui conſcius eſt homicidij à ſe facti. *c. Si quis Viduam diſt. 50. Concil. Later. ſub Martin. I. c. 26.*

Neque ordinari poſſunt Pœnitentes publici, etiam peracta pœnitentia. *Conc. Carthag. 4. c. 68. & 69.* & Epiſcopus ſcienter eos ordinās deponatur. *Conc. Tolet. 1. c. 2. diſt. 3. c. Maritum diſt. 34. c. Præcipimus diſt. 50. c. Quicumque, & c. Ex Pœnitentibus. Concil. Arelat. 3. c. 3. Gelaſius ep. 9.* Si conuicti ſunt de delicto, non poſſunt, ſecus ſi non conuicti. *Concil. Tolet. 4. c. 54.*

Neque qui viduam habuit vxorem. *Concil. quod dicitur Apoſtol. c. 19. Innoc. 1. epiſt. 2. c. 15. epiſt. 22. c. 1. diſt. 34. c. Si quis viduam* & qui eum ordinat deponendus. *ibidem. Syricius epiſt. 1. c. 15. diſt. 50. c. Quicumque. Concil. Arelat. 3. c. 3.*

Clericus nullus ordinari poteſt, qui vel beneficium non habet, vel alicui Eccleſiæ, aut pio loco inſeruire non debeat; nam omnes Clerici etiam coniugati de mandato Epiſcopi debent alicui Eccleſiæ, vel loco pio cum Clericali habitu, & tonſura inſeruire. *Concil. Trid. Seſſ. 23. de Reform. c. 16.*

Qui fuit Miles non poteſt ordinari. *Innoc. 1. epiſt. 2. c. 2. epiſt. 4. c. 3. epiſt. 23. c. 3. & 4. diſt. 50. c. Si quis poſt, diſt. 51. c. Aliquantos. Syricius epiſt. 4. c. 3.*

Neque qui fuit Cauſidicus, & Poſtulator. *Innoc. 1. epiſt. 4. c. 3. epiſt. 23. c. 3. & 4. diſt. 51. c. Aliquantos.*

Neque Curialis, ideſt qui in Principum curijs inſeruiuit. *Innoc. epiſt. 2. c. 11. epiſt. 4. c. 3. & 4. diſt. 51. c. Aliquantos, c. Præterea. Gelaſius epiſt. 9.*

Neque qui duas ſorores accepit in vxores. *Concil. quod dicitur Apoſtol. c. 19.*

Neque bigamus, & eum ordinans deponatur. *Syricius epiſt. 1. c. 15. diſt. 33. c. Maritum diſt 34 c. Præcipimus. c. Si quis de Laicis diſt. 50. c. Quicumque. c. Illud quoque. Concil. Arelat. 3. c. 3. Gelaſius ep. 9.*

Neque qui filiam fratris, vel ab eo relictam habuit vxorem. *Concil. quod dicitur Apoſtol. c. 19.*

Neque Seditioſus. *Concil. Agathen. c. 69. Concil. Carthag. 4. c. 67. diſt. 46. c. Seditionarios.*

Neque obligatus tributo ciuili. *diſt. 54. c. Si quis obligatus eſt. Concil. Lucenſe c. 46.* Neque obligati publicis rationibus. *Gregor. l. 7. epiſt. 11.* Neque obligati alicui perſonaliter. *diſt. 54. c. Si quis obligatus.* Neq; qui obligati ſunt ad aliquod onus. *Concil. Toletan. 1. c. 10.*

Neque corpore vitiati. *Gelaſius ep. 9.* Neque criminoſi. *ibidem.* Etiamſi crimen ſit occultum. *c. Ex tenore, de temp. ordin.* Neque Vſurarij. *Concil. Carthag. 4. c. 67. diſt. 33. c. Maritum, diſt. 34. c. Præcipimus diſt. 55. c. Priſcis, diſt 47. c. De Petro.* Neque Vēdicarij. *Concil. Carthag. 4. c. 67.*

Non poſſunt ordinari illi, qui no-

lunt

lunt aſcendere ad ſacros ordines,& pęna ordinantium. *c.Eos qui. De temporib. ordinat.*

Neque accuſati criminaliter pendente cauſa. *c. Non debet de teſtib.*

Neque,qui ſe ſponte caſtrauit poteſt ordinari. *Concil.quod dicitur Apoſtol.c.22. Concil. Arelat.* 2. *c.*7. *Concil. Nican.* 1. *can.*1. *diſt.*55.*c. Si quis. c. Hi qui ſe.* Caſtratus à Medicis poteſt ordinari. *diſt.* 55. *c. Si quis à Medicis, & c. Si quis pro agritudine.* Caſtratus in cunabulis poteſt ordinari. *c.Ex parte de corpore vitiatis.*

Apoſtata non poteſt ordinari. *c. vlt. diſt.* 50.

Neque qui habet Concubinam, vel Meretricem. *c. Maritum. c. Communiter diſt.*33. *c. Pracipimus diſt.* 34. *c. Priſcis, diſt.*55.

Neque iaculatores, ſcurræ, turpia loquentes, &c. *Concil. Tolet.* 17. *c.*23.

Neque Maledici. *c. Clericus Maledicus diſt.*46.

Neque Simoniaci. *diſt.*33.*c.Maritum. c. Communiter, diſt.*34. *c. Pracipimus, diſt.* 55. *c. Priſcis;*

Græci ordinari non poſſunt à Latinis, neque è contra, ſi ſint ritus diuerſi, & cum illis velint ordinari. *c. Cum ſecundum, de temp. ordinat.*

Vltramontanus non poteſt ordinari ab Epiſcopo Italo, ſine licentia Papæ, vel ſui Epiſcopi, aſſerentis cauſam, quare non ordinauit, & pœna ordinantium. *c. vlt. de temp. ordinat. in* 6.

SACRI CANONES

A quibus prohibetur Epiſcopis, poſſe quoſdam ad ſacros Ordines promouere.

HAbitantes cum hæreticis non poſſunt in ſacris ordinari. *Concil. Arauſican.*1. *c.*8.

Ordinari non poteſt quis in Diaconum, Presbyterum, vel Epiſcopum, niſi omnes de domo ſua ſint Chriſtiani. *Concil. Carthag.*3. *c.*18.

Ordinari in ſacris non poteſt Neophitus, ſtatim. *Zoſimus epiſt.*9. (qui dicit irritam eſſe ordinationem, ideſt, eius exercitium eſſe ſuſpenſum) *Concil.Laodic. l.*3.

Bigamus non poteſt vltra Subdiaconatum aſcendere. *Concil.Arauſic.*1.*c.*25. Bigamus nequit eſſe Sacerdos: *Diſt.*26. *c. qui ſine. Diſt.*33. *c.ſi quis poteſt, & c. Maritus de bigamis.* Bigamus non poteſt ſeruire in Sacris. *Diſt.* 50. *c.Non confidas.* Bigamus non poteſt ordinari in Sacris. *Concil.Agath.c.*1.*Gregorius I. lib.*11.*Ep.*8. Et ſi ordinetur in ſacris, priuatur Miniſterio ordinis, ideſt, ſi abſque diſpenſatione ordinetur. *Concil. Agath. c.*1. *De bigamis non ordinandis, c. Super eo.* Qui illum ordinat in ſacris priuatur poteſtate ordinandi. *ibidem.* Bigamus non eſt, qui plures habuit Concubinas. *De bygamis non ordin. c. vnic.* Bigamus per hoc, quod bigamus non peccat, ſed eſt inhabilis ad ordines. *Diſt.*26. *c.Qui ſine.*

Illiterati non poſſunt in ſacris ordinari. *Concil. Rom. ſub Hilario c.*3. *Gelaſius* 1. *epiſt.*2. *&* 9. *Concil. Narbon c.* 11. Et ordinati cogũtur eas diſcere. *ibidem.* Aliàs non promoueantur vlteriùs. *Gelaſius ep.*9. *Gregor.*1. *l.*3. *ep.*26.

Laici non poſſunt in ſacris ordinari, niſi poſt annum conuerſionis. *Concil. Arelat.* 3. *c. diſt.*77 *c. vlt.*

Neque inuitus, & eum ordinans priuatur poteſtate ordinandi. *Simplicius ep.*2.11.9. 3. *c. Priuilegium.* Per annum priuandus Miſſa. *Concil. Aurelian.*4. *c.*7. *diſt.* 74. *c. Geſta.* Inuitè ordinatus, vel baptizatus non recipit characterem. *De Baptiſmo c. Maiores §. Item.*

Neque ordinari poteſt in ſacris, qui non habet titulum, ſcilicet beneficium, vel

vel patrimonium. *Concil. Calcedon. c.*6. Aliàs irrita eſt ordinatio, ideſt, ſuſpenditur ab executione *Diſt.*70.*c.Neminem c. Sanctorum. Concil. Meldenſe c.*53. *Concil. Later.* 3. *c.*5. *De Prabend. c.Non liceat. De atat. & qualit. &c. c. Accepimus. Concil. Trid. ſeſſ.*21. *de refor. c.*2. Et illud non poteſt alienare, niſi de alio viuere poſſit, & quomodo. *ibidem.*

Neque qui plures habuit vxores. *l.*6. *Conſtit. Apoſtol. c.*19. *Gregor. l.*3. *ep.*26. *diſt.*34. *c. Si quis de Laicis.* Neque etiam qui vnam habet vxorem (in latinis) etiamſi matrimonium ſit ratum tantum. *De temporibus ordinat. c. finali. Extrauag. Ioann.*22. *de voto c. vnic.*

Si coniugatus ordinatur nō ſoluitur matrimonium, etiamſi ſit tantum ratum, & talis non poteſt miniſtrare in ordine, nec promoueri vlterius. Si non vult tenetur conſumare matrimonium; & ad hoc eſt compellendus. *Extrauag. Ioann.* 22. *de voto c. vnic.*

Qui per vnum annum non habitauit in aliqua Ciuitate non poteſt ordinari. *Concil. Meldenſe c.*12.

Neque vitioſus, aut ſectans lucra. *diſt.*49. *c. Sacerdotes.*

Neque qui oculum habet maculatum, niſi diſpenſetur à Papa, *Honorius* 3. *ex Cirone, tit. de corpore vitiatis, c.*2.

Neque homicida Pagani, vel alterius, *Diſt.*50. *c. Clericum. Concil.Trid. ſeſſ.*14. *de reform. c.*7. Homicida caſualis, vel ad defenſionem, cum diſpenſatione poteſt ordinari, *Concil.Trid. ibidem.* Occidere paratus, aliquando ordinari non debet. *Diſt.*51. *c. Si quis.*

Ordinari non poteſt in ſacris, niſi qui eſt virgo, vel vxorem habuit virginem. *Concil Melfitan. c.*3.

Ordinari non poſſunt Medici, qui conſcientiam habent homicidij a ſe facti, ſecus ſi non habent. *De atat. & qualitat. &c. c. Ad aures.*

Neque is, cui pars digiti deeſt, ſi hoc ſit cum ſcandalo, ſecus è contra. *De corpore vitiatis, c.* 1. Carens vngula pollicis, ſi pollex ſit fortis, poteſt ordinari. *ibid. c. fin.*

Denique illi omnes non poſſunt ad ſacros ordines promoueri, qui per ſacros Canones à Clericatu arcentur. Vide ſuperius.

SACRI CANONES

Spectantes ad eos, qui ad Subdiaconatum non poſſunt promoueri.

Subdiaconus ordinari non poteſt qui in adoleſcentia fuit mœchatus, & ſi eſt ordinatus remoueatur. *Concil. Eliber. c.*30.

Non poteſt ordinari Subdiaconus, qui non habet de ſe bonum teſtimonium, vel non eſt inſtructus in ijs, quę ſpectant ad ordinem. *Concil. Trident. ſeſſ.*23. *de reform. c.*13. Neque qui per annum non ſtetit in vltimo ordine, niſi Epiſcopo aliter videatur. *ibidem.*

Subdiaconus ordinari non poteſt, qui non promittit caſtè viuere. *Gregor. I. l. epiſt.*42. *l.*3. *epiſt.*34. *Concil. Melfitanum. c.*2. *Concil. Quintilienburgen. c.*4. *diſt.*28. *c. Nullum, diſt.*31. *c. Ante triennium. Gregor.*7. *l.*2. *epiſt.*23. *de atat. & qualit. &c. c. A multis. Concil. Trid. ſeſſ.*23. *de refor. c.*12.

Subdiaconus debet ordinari in ætate 22. annorum, *Concil.Trid. ſeſſ.* 23. *de reform. c.*13. Olim in ætate 18. annorum poterat ordinari. *Clem. de atat. & qualit. &c. c. fin. Concil.Colon.* 1. *c.*18.

Subdiaconus non poteſt ordinari à Presbytero. *Gelaſius epiſt.*9.

Subdiaconatus ordo non poteſt recipi cum alio ordine ſacro. *Trid. Seſſ.* 23. *de reform. c.*13.

SACRI

SACRI CANONES

Spectantes ad eos, qui non poſſunt ad Diaconatum promoueri.

NVllus poteſt ordinari Diaconus ante annum 23. *Concil. Trid. ſeſſ. 23. c.12.*

Diaconus fieri non poteſt, qui poſt baptiſmum militauit. *Concil. Tolet. 1. c. 8.*

Diaconus ordinari non poteſt, ſi vxor eius (quam habebat, ſi Latinus, vel quam habet, ſi Græcus) commiſit adulterium. *diſt. 34. c. Si Laici.*

Diaconus non poteſt ordinari, qui vxorem viduam habuit. *Concil. Adegan. c. 11.*

Ignorans non poteſt ordinari Diaconus. *Concil. Aurelian. 2. c. 16.*

Diaconus ordinandus debet per annũ eſſe exercitatus in Subdiaconatu, niſi aliter Epiſcopo videatur. *Conc. Trid. ſeſſ. 27. de refor. c. 13.*

Diaconus ordinari non debet, niſi bonum de ſe habeat teſtimonium. *Trident. ibidem.*

Diaconus ordinatur per manus Epiſcopi impoſitionem. *l. 8. Conſtit. Apoſtol. c. 17. Concil. Carthag. 4. c. 4. diſt. 23. c. Diaconus.* Si manus impoſitio omittitur per errorem, non iteratur ordo, ſed tempore ordinationum ſuppletur impoſitio. *De Sacrament. non iterandis, c. vlt.*

Diaconi manus non vnguntur chriſmate, cum ordinatur. *Diſt. 23. c. Praeterea.*

Diaconus furtiuè ordinatus non poteſt promoueri ad Sacerdotium, niſi fiat Religioſus, ſi ab Epiſcopo fuerat per hoc excommunicatus; ſi verò non fuerat excommunicatus, quomodo poteſt ab eo diſpenſari. *Concil. Later. 3. in append. tit. De depoſitione.*

SACRI CANONES

Spectantes ad Sacerdotium, & ad eos, qui poſſunt ad ordinem Presbyteratus, vel Sacerdotij promoueri, vel non.

PResbyter eſt Miniſter diuerſus ab Epiſcopo. *l. 2. Conſtit. Apoſtol. c. 58. diſt. 95. c. Ecce ego. Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 4. & can. 7.*

Presbyter eſt minor Epiſcopo, & illo inferior. *Concil. Trid. ibid.*

Presbyteri ſuccedunt in locum 72. Diſcipulorum. *diſt. 21. c. In nouo Damus epiſt. 5. Anacletus ep. 2. & 3.*

Presbyter olim non poterat ordinari, niſi eſſet triginta annorum. *Poſt ep. 3. Fabiani, diſt. 38. per quinque omnia capita c. Si quis 30. poſt epiſt. 3. Bonifacii I. Concil. Agathen. c. 17. Concil. Arelat. 3. c. 2. Concil. Neocaſarien. c. 11.*

Deinde ſtatutum eſt, vt anno 25. ætatis ordinari quis poſſit Presbyter, *Zacharias epiſt. 12. Clement. de ætat. & qualitat. & c. præficiend. c. fin. Concil. Trid. ſeſſ. 23. de reform. c. 12.*

Presbyteri ordinandi debent eſſe inſtructi in ſuo officio. *Concil. Arelat 4. c. 4. Conc. Trid. ſeſſ. 23. de refor. c. 14.* Ab Epiſcopo ſunt ordinandi. *Concil. Aquiſgran. ſub Ludouico Pio c. 8.*

Puer non poteſt eſſe Presbyter. *Zacharias epiſt. 1.*

Presbyter ordinari nemo poteſt ante baptiſmum, ſi ordinetur nulliter facit, & iterum poſt baptiſmum debet ordinari. *Concil. Later. 3. p. 50. c. 45.*

Presbyter non poteſt eſſe illiteratus, aliàs ſuſpendatur ab officio. *Leo 4. homilia de Cura Paſtorali. Concil. Aurelian. 2. c. 16. concil. Tibur. 1. c. 33.*

Debet eſſe idoneus ad docendum populum, & miniſtrandum Sacramenta

ta, conſpicuus moribus, &c. *Concil. Trid.ſeſſ.23. de reform. c.*14.

Presbyter ordinari non poteſt, qui fuit baptizatus in ægritudine. *Diſt.*57. *c. vn.*

Presbyter non poteſt ordinari, niſi ad aliquem titulum. *Diſt.*70. *c. Neminem, & c. Sanctorum,&c.*

Examinandus antequam ordinetur. *Concil. Vormat. c.*57.

Presbiter non poteſt ordinari, qui habet partem digiti abſciſſam, vel qui ſe fecit caſtrari, vel imminutus in alia parte corporis. *Concil. Tiburt.* 1. *c.* 33. *De Clerico ægrotante c. Presbyterum.*

Presbyter ordinatus, ſi poſtea appareret deliquiſſe,ſeu in crimine fuiſſe,non eſt recipiendus. *Concil. Nican.* 1. *c.* 9.

Presbyter non poteſt ordinari ſine licentia proprij Epiſcopi, & poſt menſem non toleretur, niſi eam oſtendat. *Reformatio Cleri Germaniæ c.*17.

Presbyteri ordinatio facienda eſt cum impoſitione manuum, ſed ſi hæc per errorem omittatur, non iteretur ordinatio, ſed illa tempore ordinationum ſuppleatur.*De Sacram.non iter.c.vlt.*

Presbyter ordinari non poteſt, niſi teſtimonium habeat, quod in alijs ordinibus bene ſe geſſerit, & per annum integrum in Diaconatu miniſtrauerit; niſi Eccleſiæ vtilitas, vel neceſſitas exigat, vt Epiſcopus aliter decernat. *Concil. Trident. ſeſſ.*23. *de refor. c.*14.

Presbyter tenetur ordinari ad determinatam Eccleſiam. *Concil. Arelat.* 4. *c.*4. *diſt.*38. *c. Quando Presbyteri.*

Presbyteri cum ordinantur, tenentur profiteri caſtitatem coram Epiſcopis. *Concil.Tolet.*4.*c.*27.*Diſt* 28. *c.Quando Presbyteri.* Intelligitur de Latinis.

SACRI CANONES

Spectantes ad ordinandorum obligationes, & præcipuè in Sacris.

Ordinandi prius debent approbari. *Diſt.*24. *c. Nullus.*

Dicens ſe non poſſe obſeruare caſtitatem, non poteſt ordinari in ſacris. *Diſt.* 27. *c. Diaconus. Diſt.*28. *c. Diaconi. Diſt.*31. *c Ante triennium, &c.*

Tenetur ordinandus facere profeſſionem fidei, & iurare de pręſtando obedientiam maioribus. *Conc. Tolet.* 11. *c.*10.

Ordinandi debent eſſe ieiuni. *Diſt.* 75. *c. Quod à Patribus.*

Debent eſſe inſtructi in ſuo officio. *Concil. Arelat.* 4. *c.*4.

Ordinandus debet habere literas teſtimoniales Parochi de vita, & moribus. *Concil. Senonenſe c. In Decret. Morum c.*3. *Concil. Trid. ſeſſ.* 27. *de reform. c.*5. *&c.*

Tenetur pro aliquo tempore ſe exercere in ordinibus habitis. *Innoc. I. epiſt.* 4. *c.*5. *Concil. Roman. ſub Silueſt. c.*3. *& c.* 11.

Ordinandi in ſacris debet ſaltem per vnum annum diſtare ab vltimo ordine; niſi aliter neceſſitas exigat. *Concil. Trid. ſeſſ.*23. *de reform.c.*11.

Quod ordinandi carerent vxoribus diſſuaſum eſt à Paphnutio in Concilio Nicœno. *Diſt.*31. *c. Nicæne.*

Ordinandus ferre debent teſtimonium Iudicis, in cuius loco viuit,an ſit inquiſitus, vel criminoſus. *Concil. Colon.*2. *p.*1. *c.*23. Vel alia via id probet, ſi non poteſt habere fidem illius. *ibidem. & Colo.*3. *tit. de altero medio c.*5.

Item fidem primi Sacerdotis loci, in quo habitat, de vita, &c. *ibidem & Concil. Mogunt.*4. *c.*32. *Conc. Trid. ſeſſ.*23. *de refor. c.*5.

Ordi-

Ordinandis notificanda ſunt decreta Conciliorum. *Concil. Carthag. 3. c. 2. Diſt. 38. c. Placuit.*

Ordinandus in Sacris debet eſſe confeſſus, & Euchariſtiam ſumere. *Conc. Colon. 2. p. 1. c. 26.*

Ordinandus debet eſſe baptizatus, aliàs ſi non erat baptizatus baptizetur, & iterum ordinetur. 1. 9. 1. *c. Si Presbyter. Concil. Later. 3. p. 50. c. 45.*

Ordinati in ſacris non poſſunt exercere chirurgiam, ſiue Clerici ſint Sæculares, ſiuè Monachi. *Ne Clerici, vel Monachi c. Sententiam.*

Ordinari nullus poteſt, niſi alicui Eccleſiæ, vel pio loco ſit adſcriptus; quod ſi illum deſerit inconſulto Epiſcopo, Sacris eſt interdicendus. *Concil. Trid. ſeſs. 23. de refor. c. 16.*

Ordinandi non tenentur iurare de obſeruantia Canonum. *Concil. Cabilon. c. 13.*

SACRI CANONES

Spectantes ad ordinationem factam ab Epiſcopo excommunicato, vel electo ex ſtatu Laicali.

ORdinatio facta ab Anathematizato eſt nulla, [ideſt illicita, carens executione] *Adrianus 2. Ep. 4.*

Ordinatio facta ab Epiſcopo, qui factus eſt ex Laico immediatè, eſt nulla; vt ordinationes Photij. *Adrianus 2. epiſt. 4. Concil. Conſtantinopolit. 4. c. 4. Formoſus epiſt. 1.*

Ordinatus ab Epiſcopo excommunicato ignoranter à proprio Epiſcopo diſpenſari poteſt. *De ordinatis ab eo, qui renunciauit, &c. c. Cum Clericis.*

Videantur Canones ſpectantes ad Epiſcopum excommunicatum.

SACRI CANONES

Prohibentes ordinationem poſſe fieri per pretium, aut fauorem, aut preces, ſeu ſimoniacè.

PRo ordinationibus nihil poteſt accipere Epiſcopus, & alij. *Gregorius 1. l. 3. epiſt. 24.* 1. 9. 1. *De ordinat. Concil. Brachar. 1. c. 1.* Aliàs gradu priuatur vterque. *Concil. Later. 4. c. 63. Eugenius 4. in decr. vnionis Armenorum §. Quinto;* Reſtituatur quod accipitur in duplum. *ibid. Conc. Trid. ſeſſ. 21. de refor. c. 1.* Et conſuetudo contraria tollitur.

Ordines non dandi per pretium. *Gregor. I. l. 2. ex regeſt. epiſt. 47. & 48. l. epiſt. 55. l. 7. epiſt. 48. ex reg. de Simonia c. 1.* Neque Epiſcopus, neque Notarius aliquid accipiant. *ibidem.*

Ordinari nullus poteſt per munus, aliàs ordine priuatur. *Concil. Tabelon. 2. c. 16. Conc. Tolet. 11. c. 9. 1. q. 1. c. Quibuſdam. c. De ordinationibus. c. Eſtote. c. Pueri. Concil. Trid. ſeſſ. 21. de reform. c. 1.*

Ordinatus per pecuniam priuatur gradu, & ſic ordinans. *concil. Conſtantinopolit. 1. c. 1. Concil. Tolet. 1. c. 1.* Excommunicantur ordinans, & ordinatus, & bonis priuantur. *Concil. Tolet. 6. c. 4. Concil. Nicen. 2. c. 5.* Vterque priuatur gradu. *ibidem Nicolaus 1. in decr. tit. ordines ſacri c. 2. Concil. Calcedon. c. 2. 1. Q. 1. c. Si Epiſcopus. c. Qui per pecunias. c. Sanctorum. c. Quicumque, & c. Si quis neque 1. Q. 7. c. Si quis omnem* (& ſi quis eos ſuſcipit priuatur gradu. *Concil. Nanneten. 1. c. 7.*) *Concil. Later. 3. in append. tit. de depoſitione c. 2.*

Pro habendis literis dimiſſorijs nihil eſt ſoluendum. *Concil. Sabinen. c. 20.* Si aliquid ſpontè detur poteſt accipi à Notarijs. 1 *Q. 2. c. Sicut Epiſcopum.*

Poſſunt ordinati ſpontè dare aliquid pro

pro cera, carta, &c. poſt iam habitos ordines. *Concil. Sabinen. c.* 20. *de Simonia c. Etſi quaſtiones, Eugenius* 4. *in decr. vnionis Armenor.* §. *Quinto, &c.*

Si Notarius nullum habet ſalarium, accipere poteſt pro literis, &c. decimam partem vnius aurei. *Concil. Trid. ſeſſ.* 21. *de reform. c.* 1.

Ordinari nullus poteſt per fauorem. *Gregor.* 1. *l.* 4. *epiſt.* 55. *&* 56. 1. *qu.* 1. *c. Pueri ad ſacros. c. De ordinationibus. c Quibuſdam. c. Eſtote.* Tales deponendi ſunt, & in Monaſterium detrudendi. 1. *Q.* 7. *c. ſi quis omnem, & c. Cauendum.* Ordinatio facta per fauorem eſt ſimoniaca. 1. *Q. c. Sunt nonnulli.*

Ordinatus per pecuniam non recipit gratiam. 1. *Q.* 1. *c. Gratiam. c. Citò. c. Qui perfectionem. c. Cum ordinaretur.*

Ordinatus dans aliquid præſentatori ſimoniacus eſt; ſecus ſi liberè dat. *De ſimonia. c. Ex tua.* Item qui præſentatori promiſit nihil ab eo recipere, non poteſt ad alios ordines aſcendere. *ibid. c. Per tuas il.* 3. *& c. Si quis.*

Ordinationes ſimoniacè ſunt irritæ. (ideſt illicitæ, ordinati enim priuantur executione officij) 1. *Q.* 1. *c. Ordinationes quæ, & qu* 3. *c. Ea quæ. qu.* 7. *c. Si quis omnem.* *Concil. Rom. ſub Gregorio* 7. *c.* 5.

Ordinati à Simoniacis, non ſimoniacè (licet aliàs ſint Simoniaci) in neceſſitate permittuntur exercere officium. *Nicolaus* I. *id decret. tit. Ordines ſacri c.* 2. Egent diſpenſatione Papæ. *Concil. Rom. ſub Nicolao* 2.

Ordinatus à Simoniaco, ſed non ſimoniacè, ſi ſcienter fecit irrita eſt ordinatio (ideſt illicita, & carens executione) ſi ignoranter fecit, toleratur. 1. *q. c. Si de cætero. Concil. Roman. ſub Alexandro* 2. non reſtituitur faciens ſcienter, niſi per diſpenſationem Papæ. *Gregor.* 7. *l.* 6. *epiſt.* 39. *Concil. Rom. ſub Nicolao* 2. Si ignoranter, dimittere debet conſcientiam ſcrupuloſam. *De Simonia c. Per tuas il.* 2.

Ordinati Simoniacè non poſſunt vlterius promoueri, neque præeſſe. *Concil. Rom. ſub Alexandro* 2. *Concil. Later.* 3. *tit. de depoſitione c.* 2. Et ipſo facto ſunt ſuſpenſi ab executione ordinum. *Concil. Conſtantienſe ſeſſ.* 43. *in Conſtit. Martini V.*

Ordinatus per pecuniam ſolutam familiari Epiſcopi, ſi ſit inſcius de hoc, & Eccleſia indiget Sacerdotibus, permittatur exercere; ſecus ſi non indiget. 1. *Q* 7. *c. Præſentium.*

Ordinati per pecuniam deponuntur abſque ſpe reſtitutionis. *Gregor.* 7. *l.* 2. *epiſt.* 62.

Ordinatus ſimoniacè non poteſt nec exercere, nec promoueri, niſi ingrediatur Religionem. *Concil. Later.* 3. *in append. tit. de pœnitentia c.* 2.

Ordinatus ſoluens aliquid, ſiuè Epiſcopo, ſiuè Miniſtris eius, ſi eſt Laicus, excommunicatur, ſi Clericus per biennium fit inhabilis ad obtinendum beneficium, ſi beneficiatus, ſuſpenditur à beneficio ipſo facto. *Concil. Sabinenſe c.* 20. Prælatus id fieri permittens, ſuſpenditur à collatione ordinum, donec duplum reddat. *ibidem.*

Ordinati nihil debent ſoluere alijs Clericis, vt recipiantur, non Prandia, &c. neque, vt admittantur ad exercitia ordinum. Exigentes hoc, ſi ſunt Laici, ipſo facto excommunicantur, ſi Clerici, priuantur quarta parte fructuum beneficij illius anni. *ibidem.*

SACRI CANONES

Spectantes ad pœnas contra non ordinantes ad præſcriptum eorumdem Sacrorum Canonum.

PLura habentur de pœnis ſupra incidenter, & etiam infrà.

Ordinans illiteratum neſcientem loqui latinè ſuſpenditur à collatione ordinum. *Concil. Tolet.* 22. *c.*3. *Concil. Senonen. in decr. Morum c.*3. Sic ordinans ante ætatem legitimam. *ibidem.*

Ordinans inuitum per annum priuatur Miſſa. *Concil. Aurelian.*4. *c.*7. Per annum ſuſpenditur à collatione. *Diſt.* 74. *c. Geſta, c. Epiſcopus, & c. vlt.*

Ordinans bigamos, vel arreptitios, vel pœnitentes per ſex menſes ſuſpendatur à Diuinis;& ſi miſſam tunc dicit, per annum priuetur communione. *Concil. Aurelian.* 3. *c.* 6. *Aurel.* 4. *c.* 10. Suſpenditur à poteſtate ordinandi. *De bigamis non ordinandis c. Super eo.*

Ordinans ſeruum ſine licentia Domini, per ſex menſes à miſſa celebranda ſuſpendatur. *Concil. Aurelian.* 5. *c.* 5.

Conferens plures ſacros ordines in vna die ſuſpenditur à poteſtate ordinandi. *De temporibus ordinationum c. Dilectus filius.*

Ordinans in ſacris puerum ſuſpenditur à collatione ordinum. *ibidem c. Vel non eſt.*

Ordinans illicitè priuatur poteſtate ordinandi. *Simplicius epiſt.*3. 11. *Q.* 3. *c. Priuilegium.*

Ordinans præter formam Canonum per annum eſt ſuſpenſus ab officio. *Diſt.*55. *c. Nullus.* Abſolutè deponendum dicit *Innocentius I. epiſt.* 23. *c.* 3. *Concil. Illerdenſe c.*12. *Nicolaus* I. *epiſt.*7. & 10.

Ordinans per dolum, vel fraudem, quomodo puniendus. 16. *Q.* 7. *c. Conſtituit.*

Ordinans indignum perdit ius ordinandi. 25. *Q.* 2. *c. Si qui Epiſcopi.*

Ordinans non habentem titulum, ſeu patrimonium, quo ſuſtentetur, tenetur ſuſtentare illum quouſque habeat titulum. *Concil. Later.*3. *c.*5. *Concil. Londin.*1. *c.*6. *Concil. Rauenn.*4 *ſub Ioanne* 22. *c.*8. *De Præbendis c. Epiſcopus, c. Cum ſecundum, ſub eodem tit. in* 6. *c. Si Epiſcopus.* Etiamſi de mandato alterius non expreſſis perſonis ordinet. *ibidem.* Alioquin mandans tenetur. *ibid. De ætat. & qualitat. &c. c. Accepimus.*

Ordinans cum pacto de non petendo prouiſionem, eſt Simoniacus, & vterque per triennium priuatur officio. *De Præbendis c. Epiſcopus.*

Ordinans malè, ſeu contra formam Canonum, niſi ignorantia, vel error facti excuſet, ſuſpenditur à collatione ordinum, etiam tonſuræ, & ab executione Pontificalium; interdicitur ab ingreſſu Eccleſiæ; & ſi hæc ſpernit, à regimine Eccleſiæ, Monaſterij, &c. Commendæ, fructuum, &c. perceptione ipſo facto priuatus. Non poteſt ab hoc reatu abſolui, niſi à Papa. Derogantur priuilegia. Irregularitas à ſolo Papa diſpenſanda, etiamſi delictum ſit occultum. *Sixtus V. Conſtit.*90. *Sanctum*, §. 2. 3. & 4.

Malè ordinantes, de quibus Sixtus V. loquitur, ſunt, qui in vno die plures Sacros confert vni; qui non ſeruatis interſtitijs ordinat; qui plures Sacros in diebus continuis confert; qui irregulares, vel alios inhabiles ordinat; qui extra tempora iuris; qui ſine dimiſſorijs proprij alienos ordinat; qui ante ætatem legitimam; qui ſine titulo ſufficienti; qui contra formam Tridentini Concilij; & qui Simoniacè:

iſti eas pœnas incurrunt. *Sixtus V. ibidem.*

SACRI CANONES

Spectantes ad ordinationem Græcorum.

Græci à latinis Epiſcopis, & è contra ordinari non debent, ſi in ritibus ordinatorum ſunt diuerſi. *De tempor. ordinat. c. Cum ſecundum.*

Græcus ſubiectus latino Epiſcopo, ſi ordinatur à Græco ſine latini licentia, impeditur in executione ordinum, ſi verò cum licentia toleratur. *De temporibus ordinat. c. Quod tranſlationem* Clem. *VIII. Conſtit.* 34. *Sanctiſſimus* §. 4. Statuit vt remaneat irregularis, & indigeat diſpenſatione Papæ, ſi Græcus Epiſcopus ſit ſchiſmaticus.

Græcorum filij poſſunt promoueri in Eccleſia latina, niſi adſit ſcandalum. *De Clericis coniugatis c. cum olim.* Filius Græci Sacerdotis poteſt promoueri in Eccleſia latina, niſi adſit ſcandalum *ibidem.*

SACRI CANONES

Spectantes ad ordinationem iterandam, vel non iterandam.

Bis ordinatus deponendus. *Concil. quod dicitur Apoſtolorum c.*68. *Concil. Cartag.*3. *c.*38. *Gregor.* 1. *l.* 2. *Ep.* 32. *diſt.* 68. *c.*1. *de conſecrat. diſt.* 4. *c. non licet fieri.*

Ordinatus ante baptiſmum, debet baptizari, & iterum ordinari 1. *q.* 1. *c. Si Præsbyter. Conc. Later.* 3. *par.* 50. *c.*45. *de Præsbytero non baptizato c.*1. *veniens.*

Ordinatus in Subdiaconum ante confirmationem, non reordinatur, ſed ſuppletur confirmatio. *De Sacram. non inter. c.*1. *Paſtoralis c. Præsbyter.*

Si in ordinatione Diaconi, vel Preſbyteri, manus non imponatur, non iteratur ordinatio; Sed tempore ordinationũ fiat impoſitio manuum omiſſa. *De Sacramentis non iterandis c. ult.*

SACRI CANONES

Spectantes ad ordinantem in aliena Prouincia, vel Diœceſi.

Nemo poteſt ordinari in aliena Diœceſi, ſed debet ordinari in ſua. *Diſt.* 71. *c. illud c. de aliena c. ſi quis.* Qui in aliena Prouincia ordinat priuatur officio, & ordinatus ordine, *Zoſimus Ep.*6. Eſt excommunicandus. *Concil. Lucenſe* 2. *c.*7. *&* 33.

Qui extra ſuam Diœceſim ordinat, ſine licentia, deponatur ipſe, & ordinatus. *Concil. quod dicitur Apoſtolorum c.* 36. Irritè (ideſt illicitè) ordinat. *Concil. Antiochen. c.*13. *&* 22.

SACRI CANONES

Spectantes ad ordinationem Vltramontanorum, & Vltramarinorum.

Vltramarinus non poteſt ordinari ab Epiſcopo Italo ſine licentia Papæ, vel ſui Epiſcopi, qui aſſignabit cauſam, quare non ordinauit. Pœnæ ordinantium. *De temporibus ordinationum in* 6. *c.*1. Ordinati remanent perpetuò ſuſpenſi ab executione ordinum, nec poteſt cum eis diſpenſare S. Pœnitentiarius *ibidem.*

Epiſcopi Itali non poſſunt ordinare ad Sacros, nec ad minores ordines, Gallos, Hiſpanos, alioſue Vltramontanos, ſine literis Dimiſſorijs proprij Epiſcopi, recognitis à Nuntijs Papæ, & examinatis à Vicario Romæ. *Vrbanus* 8. *Conſtit.*33. *Secretis.*

Qui temerè aliter ordinant, remanent

nent ſuſpenſi à Pontificalium exercitio; Et ordinati perpetuò ſuſpenduntur ab ordine abſque ſpe gratiæ *ibidem* §. 3.

SACRI CANONES

Spectantes ad ordinantes ſubditos alterius, vel proprios familiares.

QVi ſubditos alterius Epiſcopi ordinat, per ſex menſes à Miſſæ celebratione debet ſuſpendi. *Concil. Aurelian.* 3. *c.* 15. *& Aurel.* 5. *c.* 5.

Ordinatio taliter facta eſt irrita, ideſt illicita, & ordinatus remanet ſuſpenſus ab ordinum executione. *Concil. Sardicenſe c.* 19.

Qui abſque licentia proprij Epiſcopi alterius ſubditos ordinat, incurrit ſuſpenſionem ad annum ab ordinum collatione 21. *q.* 2. *c.* 1. *Concil. Later.* 3. *tit. de depoſitione c.* 26. *de tempor. ordinat. in* 6. *c. eos, & c. finali.* Alias inſuper pœnas incurrit. *Ibidem de Parochijs c. nullus Epiſcopus Concil. Trid. ſeſſ. de refor. c.* 8.

Epiſcopus poteſt ordinare alterius ſubditum, ſed ſibi familiarem. *Concil. Arauſic.* 1. *c.* 8. Dummodo tamen ſibi inſeruierit per triennium, eumdemque de beneficio prouideat. *Concil. Trid. ſeſſ.* 23. *de refor. c.* 9.

SACRI CANONES

Spectantes ad ordines furtiuè receptos.

FVrtiuè ordinatus in Sacris, ſi excõmunicetur à ſuo Epiſcopo, non poteſt diſpenſari, vt ad Sacerdotium aſcendat, niſi ſit Religioſus, ſi non excommunicetur, diſpenſatur. *Concil. Later.* 3. *tit. de depoſitione c.* 9. *de eo qui furtiuè c.* 1. 2. *&* 3.

Furtiuè contra ſui Epiſcopi voluntatem ordinatus, incurrit ſuſpenſionem ab ordine ſuſcepto; à qua ab eodem Epiſcopo poteſt diſpenſari; & ſi ſit Religioſus, ordinis ſuſcepti miniſterium non impeditur. *De eo qui furtiuè &c. c. final.*

SACRI CANONES

Spectantes ad pœnas malè ordinatorum ex aliquo defectu.

QVi ante legitimam ætatem in Sacris fuit ordinatus, remanet ſuſpenſus ab ordinis ſuſcepti exercitio, donec ad eam perueniat. *De tempor. ordinat. c. vel non eſt.*

Ordinatus extra tempus debitum, ſuſpenditur ab executione, donec per Papam diſpenſetur *ibidem c. cum quidam.* Et hoc modo ordinatus recipit Characterem, & vbi pœniteat, poteſt diſpenſari. *ibidem c. conſultationi.*

Ordinati ſine titulo prouidendi ſunt ab ordinante. *De ætat. & qualitat. &c. c. accepimus.*

Ordinatus in Subdiaconum abſque Sacramento Confirmationis, non eſt iterum ordinandus, ſed ſupplendus defectus. *De Sacrament. non iter. c.* 1. *& c. Presbyter.*

Coactè ordinati non recipiunt Characterem. *De Baptiſmo c. maiores* §. *item.*

Ordinatus in excommunicatione ob Clerici percuſſionem, ſi eſt Sæcularis, deponitur, ſi ſcienter fecit; ſi Regularis ſuſpenditur ab executione: Item ſi Sæcularis. Sed cum Regulari diſpenſabat olim ſuperior, niſi delictum eſſet graue, & publicum, cum Sæculari ſolus Papa. *De ſentent. excom. c. Cum illorum.* Sed reuocata eſt facultas, vt infrà.

Ignari ordinati ſuſpenduntur ab executione, donec ſcientiam acqui-

rant. *Concil. Senon. in decr. morum c.* 6.

Ordinati malè ſuſpenduntur à ſuſceptis, & inhabilitantur ad alios. *Sixtus V. Conſtit.* 90. *Sanctum* §. 3.

Ordinati malè ſunt, qui non ſeruatis temporum interſtitijs ordinati ſunt. Item, qui vno die plures ordines Sacros habuit. Item qui diebus cōtinuatis plures ordines Sacros habuit ſine diſpenſatione Papæ. Item irregularis, vel aliàs inhabilis. Item qui extra tempora Statuta à Iure, vel abſque dimiſſorijs proprij Epiſcopi. Qui ante ætatem legitimam. Qui ſine titulo ſufficienti beneficij, vel patrimonij, & tandem qui contra formam à Concilio Tridentino præſcriptam. *Sixtus V. Conſtit.* 90. *Sanctum* §. 2.

Sic malè ordinati non poſſunt abſolui ab alio à reatu, quàm à Papa. Omnia priuilegia annullat *ibidem* §. 3. Etiamſi delictum ſit occultum. Si fuerint irregulares, neque poſſunt ab alio, quàm à Papa diſpenſari *ibidem* §. 3. Etiamſi delictum ſit occultum, & Sac. Pœnitentiaria non poteſt diſpenſare *ibidem*.

Idem incurrunt Simoniacè ordinati *ibidem*.

Sed Clemens VIII. *Conſtit.* 40. *Romanum* reuocat hanc Conſtitutionem Sixti V. & reducit pœnas malè ordinatorum ad terminos Iuris.

Vrbanus VIII. ſtatuit malè ordinatos puniendos eſſe iuxta Conſtitutionem *Pij* 2. *Cum ex Sacrorum*, *Vrbanus* 8. *Conſtit.* 6 c. 24.

Ordinati cum falſis literis patrimonij, vel fiduciarijs ſuſpenſi ſunt perpetuò ab ordine, & alias pœnas incurrunt. *Vrbanus* 8. *Conſtit.* 33. *Secretis*.

Lapſi à fide ordinati per ignorantiam, aut negligentiam ordinantis, ſunt deponendi. *Diſt.* 81. *c. ſi qui ſine c. quicumque*.

SACRI CANONES

Spectantes ad ordinatos ab alieno Epiſcopo, ſine licentia proprij.

NEmo poteſt ordinari ab alieno Epiſcopo, ſine licentia proprij, ac eiuſdem literis. *Concil. Nican.* 1 *c.* 17. *Concil. Meldenſe c.* 51. Et à ſuo non recipiatur 1. *q.* 1. *c. ſi qui Clerici Concil. Carthag.* 3. *c.* 21. *Concil. Rauennat.* 2. *ſub Clem. V. c.* 24. *de Parochis c. nullus Epiſcopus Concil. Magunt.* 4. *c.* 84. *Concil. Trid. ſeſſ.* 23. *de refor. c.* 8. Non obſtante priuilegio &c. Et ſi quis ab alieno vult ordinari, commendetur à proprio *ibidem*.

Ordinatus ab alieno Epiſcopo ſine literis dimiſſorialibus, ſuſpenditur ab ordine 21. *q.* 2. *c.* 1. Poteſt admitti à proprio ad executionem ordinis ſuſcepti. *Concil. Later.* 3. *in append. tit. de depoſitione c.* 26. *Concil. Toletan.* 12. *c.* 4. *de eo qui furtiuè c. fin. Concil. Magunt.* 4. *c.* 84. *Concil. Trid. ſeſſ.* 6. *de refor. c.* 5. *& ſeſſ.* 23. *de refor. c.* 8.

Ordinandus ab alieno examinetur à proprio. *Concil. Trid. ſeſſ.* 23. *de refor. cap.* 3.

Ordinatus ab alieno poteſt recipi à ſuo in ſuis ordinibus 9. *q.* 2 *cap. Lugdunenſis*.

Ordinari aliquando poteſt aliquis à vicino Epiſcopo, quando proprius eſt manifeſtè ſuſpenſus *de tempor. ordinat. in* 6. *c. eos, qui*. Sed priùs conſtare debet de poteſtate ordinantis; & rurſus examinetur de vita, ſcientia, patrimonio &c. & ſi deficiat remanet ſuſpenſus: *Concil. Senonen. in decr. morum c.* 7. *Concil. Trid. ſeſſ.* 14. *de refor. c.* 3.

De licentia Papæ poteſt quis ordinari ab alieno Epiſcopo. *Concil. Nican.* 1. *ex Iulio* 1. *c.* 6. Sed conſtare debet, an

ita

ita ſit, aliàs non admittitur; & rurſus, vt ſupra, examinetur; & ſi deficit, remanet ſuſpenſus. *Concil. Senonen. ibidem c. 7.*

Ordinatus ab alieno cum falſis dimiſſorijs ad minores ordines, ſi eſt Italus, ſecuta prius declaratione Iudicis Eccleſiaſtici, priuilegio fori priuatur, & Sæculari ſubijcitur. *Vrbanus 8. Conſt. 33. Secretis* §. 4.

SACRI CANONES

Spectantes ad ordinatos ab eo, qui renunciauit.

ORdinatus ab eo, qui renunciauit loco, vel dignitati, cum diſpenſatione proprij Epiſcopi poteſt recipi, & miniſtrare, ſi ignoranter eſt ordinatus, ſi verò ſcienter, ſuſpenditur ab executione ordinis. *Eugenius* 1. *Concil. Later. in appendic. tit. de depoſitione c.* 18. *De ordinatis ab Epiſcopo qui renunciauit c.* 1. Vide Canones ſpectantes ad Epiſcopum relinquentem Eccleſiam.

SACRI CANONES

Spectantes ad ordinatos à non habente poteſtatem, vel dubio an haberet.

NOn ordinatur ordinatus à non Epiſcopo, & iterum debet ordinari. *Diſt.* 19. *c. Propter totius* 9. *quaeſt.* 1. *c. Per illicitam, Damaſus ep.* 5.

Iterum ordinandus eſt ordinatus ab Epiſcopo, de quo dubium eſt, an ſit. *Diſt.* 68. *c. Presbyteri. Gregorius* 3. *epiſt.* 5.

SACRI CANONES

Spectantes ad ordinatos ab Hæreticis, vel Schiſmaticis.

AB Hæreticis ordinati excluduntur à Clero. *Concil. quod dicitur Apoſt. c.*68. 1. *q.* 1. *c. Arrianos &c. ibidem.*

Ab Hæreticis Cataſrigis (qui ſine materia, & forma ordinant) ordinati, debent iterum ordinari. *Concil. Nicæn.* 1. *c.* 19. Et ſic debent intelligi infraſcripti Canones 1. *q.* 7. *c. ſi qui Presbyteri c. Oaibertum c. per illicitam.*

Item ordinati ab Hæreticis Nouatianis (qui non ordinant in forma Eccleſiæ) non ſunt recipiendi cum ordine 1. *q.* 7. *c. ſi qui voluerint.*

Item ordinati à Maximo, qui non erat Epiſcopus, non fuerunt verè ordinati. *Diſt.* 19. *c. propter totius.*

Ordinatio Epiſcopi facta ab Epiſcopo Hæretico (ſi in forma Eccleſiæ) eſt valida. *Anaſtaſius* 2. *ep.* 1. *c.* 7. & 8. *Concil. Afric. c.* 24. & 25.

Ordinati ab Acacio Hæretico validè fuerunt ordinati. *Diſt.* 19. *cap. ſecundum.*

Ordinationes illæ non nocuerunt ordinatis, ſed ordinanti *ibidem Anaſtaſius* 2. *ep.* 1. *c.*7. & 8. *Conc. Afric. c.* 24. & 25.

Ordinationes factæ ab Epiſcopis Hæreticis, vel excommunicatis, dicuntur eſſe irritæ, & nullæ, & per eas nihil dari ordinatis 9. *q.* 1. *c. nos c. excommun. c. per illicitam, & c. ordinationes item* 1. *q.* 1. *c. ventum eſt c. Arrianos, & alijs ibidem.* Et quod nihil accipiant qui ab eis ordinantur confirmat *Innocent.* 1. *ep.* 18. *c.* 3. & *ep.* 22, *c.* 3. & 4. & 5.

Sed intelligendum eſt, quod ſint illicitæ, non verò inualidæ, ſi ordinantes ſunt verè Epiſcopi, tum quia 9. *q.* 1. *in c. ab excommunicatis, & c. ordinationes* habetur,

betur, quod tales ordinati in neceſſitate tolerantur, ergo validè fuerunt ordinati: tum etiam ex dictis ſupra, quia ordinati ab Hæreticis in forma Eccleſiæ, in ſua dignitate recipi poſſunt, & *Nicolaus* 1. *ep.* 10. ſtatuit, vt ſic ordinati priuentur officio.

Ordinati in hæreſi deponendi ſunt. *Concil. Nican.* 1. *c.* 10.

Ordinati à Papa Schiſmatico, vel intruſo viuente alio, deponendi ſunt. *Concil. Rom. ſub Ioanne* 12. & additur quia nihil accipiunt.

Nullus poteſt ordinari ab Epiſcopo Schiſmatico: ordinatus priuatur officio. *Nicolaus* 1. *epiſt.* 9. & 10. *Clemens* 8. *Conſtit.* 34. *Sanctiſſimus.*

Ordinati à Schiſmaticis (ſi iſti erant ritè ordinati) recipiunt ordinem, ſed priuantur executione. *Clemens* 8. *Conſt.* 34. *Sanctiſſimus.*

Abſoluendi ſunt cum pœnitentijs ſalutaribus, & abiurare debent Schiſma publicè, vel ſecretò *ibidem* §. 4. Efficiuntur irregulares, & à Papa ſunt diſpenſandi *ibidem* §. 4.

Ordinati à Schiſmaticis indigent diſpenſatione. *De Schiſmaticis &c. ordinatis c. fin.*

SACRI CANONES

Spectantes ad ordinationes gradatim ſuſcipiendas.

ORdines conferendi, & accipiendi gradatim, non per ſaltum. *Caius in epiſt. decr. in fin. Hormiſdas ep.* 25. *Concil. Conſtantinop.* 4. *c.* 13. *Ioan.* 8. *ep.* 199. *diſt.* 50. *c. ſi officia*, & *diſt.* 77. *c. illud Concil. Trid. ſeſſ.* 23. *de refor. c.* 11.

Ordinati per ſaltum debent poſtea ordinari in ordine omiſſo, ſed interim priuari executione iam habiti. *Diſt.* 52. *c. ſollicitudo &*

Qui omiſſo Diaconatu ad Sacerdotium fuit promotus, debet poſtea ordinari Diaconus, ſed arbitrio Epiſcopi debet ſuſpendi ab ordine ſuſcepto. *Concil. Later.* 3. *p.* 50. *c.* 64.

Si ordinati per ſaltum non miniſtrauerint in ordine accepto, poteſt Epiſcopus cum eis diſpenſare, ſecus ſi miniſtrarunt. *Concil. Trid. ſeſſ.* 23. *de refor. c.* 14.

SACRI CANONES

Spectantes ad locum, in quo omnes ordinationes ſunt faciendæ.

OMnes ordinationes debent fieri in loco publico. *Diſt.* 24. *c. Epiſcopus*, & *diſt.* 75. *c. quando. Zefirinus ep.* 2. *Concil. Carthag.* 4. *c.* 2. *Concil. Trid. ſeſſ.* 23. *de refor. c.* 8.

Debent fieri in Cathedrali præſentibus Canonicis. *Concil. Trid. ibid.* Et ſi fiant in alia Eccleſia, ſemper fiant in digniori. *Trid. ibid.*

Ordinationes tamen in minoribus fieri poſſunt in omni loco. *Diſt.* 75. *c. quando.*

SACRI CANONES

Spectantes ad tempus, in quo facienda ſunt ordinationes.

ORdinationes Sacræ fieri debent in quatuor anni temporibus. *Gelaſius ep.* 9. *Gregor.* 2. *ep.* 5. *Conc. Romanum ſub Zacharia c.* 11. In ieiunijs quatuor temporum. *Diſt.* 75. *c. vlt. Conc. Claramont. c.* 24. *Conc. Lateran.* 3. *tit. de depoſitione c.* 24. Item in Sabbato Sancto, & Sabbato ante Dominicam Paſſionis fieri poſſunt *ibid. c.* 25. *de temporibus ordinat. c. de eo autem.*

Minores ordines conferri poſſunt in quo-

quolibet feſto. *De temporibus ordinat. c. de eo autem Concil. Later. 3. vt ſupra.* Poſſunt dari in Dominica *ibid.* ℣. 23. *& 25. de tempor. ordinat. c.* 1. *& c. de eo.*

Ordinationes Sacrę fieri non poſſunt in Sabbato Pentecoſtes. *Concil. Later. 3. tit. de depoſit. c.* 23, *de tempor. ordin. cap. de eo autem.*

Ordinans extra Statutą tempora debet priuari communione. *Concil. Tol. 1. c.* 2. *& 4. de tempor. ordinat. c. ſanè ſuper eo.* Et priuatur poteſtate ordinandi *ibid.*

SACRI CANONES

Spectantes ad modum, ſeu ritum, quo facienda ſunt ordinationes.

ANtequam fiant ordinationes, facienda eſt trina proclamatio in Parochijs, vt ſciantur impedimenta ordinandorum. *Concil. Colon. 3. tit. de altero medio.*

Ordinationes Clericorum non ſunt faciendæ ad placitum populi. *Diſt.* 63. *c. non eſt permittendum Concilij Laodicen. c.* 13. *Concil. Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 4. *& Can.* 7.

Si Epiſcopus ordinans imponit manus &c. alius verò profert verba, ordinatio eſt nulla. *Concil. Hiſpalenſ. 2. c.* 5. *diſt. 2. c. quorumdam c. ex epiſtola.* Alij plures Canones poſſent afferri ſpectantes ad ritum, quo ſinguli ordines ſunt conferendi, ſed quia ij obuij ſunt in quocumque auctore agente de hac materia, ac etiam ipſum Pontificale Romanum omnia præſcribit; breuitatis gratia omittuntur.

SACRI CANONES

Spectantes vniuersè ad ordines, ordinationes, & ordinatos.

ORdo acceptus tempore ſanitatis non perditur per infirmitatem. *Diſt.* 55. *c. præcepta.*

Ordinatus in Sacerdotem non poteſt fieri vnquam laicus per ablationem Sacerdotij. *Concil. Trid. ſeſſ.* 23. *c. & Can.* 4.

Sacramentum ordinis conſtat rebus, & verbis *ibid. c. & Can.* 3.

Ordines ſoli non commendant Deo, ſed merita. *Diſt.* 40. *c. ante omnia.*

Ordines imprimunt characterem indelebilem in ânima ordinati *ibid. ſeſſ.* 7. *de Sacram: can.* 9. *ſeſſ.* 23. *c. & can.* 4.

Ordinati ab Epiſcopis Catholicis, ſi cadunt in hæreſim, quando redeunt, cum honore recipiantur. *Innocentius I. ep.* 21.

Ordinati nolentes aſcendere ad alios ordines maiores priuentur minoribus. *Diſt.* 74. *c. Conſuluit. de ætat. & qualit: &c. c.* 1. *vt Abbates.*

Ordinati in maioribus, vel minoribus, tenentur obedire ſuperioribus gradatim. *Diſt.* 93. *cap. a Subdiacono Concil. Trid. ſeſſ. de refor. cap.* 11.

Ordinati debent habere ab Epiſcopo ordinante literas ordinationis ab eo ſubſcriptas. *Concil. Mileuit. cap.* 14. *Conc. African. c.* 56. Etiamſi ſint ordinati Romæ. *Reformatio Cleri Germaniæ c.* 14.

SACRI CANONES

Spectantes ad poteſtatem Epiſcoporum circa res Eccleſiæ.

EPiſcopi habent poteſtatē in omnes res Eccleſiæ. *Conc. quod dicitur Apoſtol. c.* 40.

Epiſco-

Epiſcopi tenentur pecunias, & bona Eccleſiæ diſpenſare pro Eccleſia, Clericis, & pauperibus: & ſi ipſe indiget prius pro ſe poteſt de eis accipere *ibid. c.41. Concil. Antiochen. c. 25. poſt Concil. Tolet. 1. c. 3. lib. 2. Conſtit. Apoſt. cap. 2. & 27.*

Epiſcopi debent de rebus Eccleſiæ cum Cleri conſilio diſponere. *Concil. Later. 3. par. 50. c. 19.*

Cum circumſpectione diſpenſare debent res Eccleſiæ. *Concil. Turon. 3. c. 10. & 11.* Et vti debent rebus Eccleſiæ non tamquam proprijs, ſed tamquam commendatitijs. *Concil. Cabilon. 3. cap. 6.*

Non poſſunt Epiſcopi donare conſanguineis res Eccleſiæ, & pœnæ. *Concil. Antiochen c.25. Concil. Pariſ. 6. l. 1. c. 16. Concil. Trid. ſeſſ. 25. de refor. c. 1.* Neque de illis ditare poſſunt ſuos familiares. *Trident. ibid.*

Epiſcopi debent inter bona Eccleſiæ computare, quæ ſibi dantur, & relinquuntur à deuotis. *Concil. Agath. c. 6.*

Epiſcopi poſſunt concedere res Eccleſiæ, vt illis benè vtantur, quod ſi malè vtuntur, poteſt eos priuare conceſſis. *Concil. Emerit. c.13.*

Epiſcopus ſucceſſor non poteſt reuocare donationem factam ab Anteceſſore *ibid. c.21.*

Epiſcopus cum Clero, in neceſſitatibus poteſt de bonis Eccleſiæ ſubuenire communitati populorum. *Concil. Later. 3. c.19. Later. 4. c.46.*

Epiſcopus poteſt ex omnibus fructibus, & prouentibus dignitatum, perſonatuum, & aliorum in Cathedralibus, vel Collegiatis exiſtentium ſumere tertiam partem, & aſſignare in diſtributiones diuidendas ijs, qui Clero interſunt. *Concil. Trid. ſeſſ. 22. c. 3.*

Epiſcopi, & etiam alij Rectores &c. qui dum ad gradum Eccleſiæ aſſumuntur, nihil habent, quidquid poſtea emunt, nomine Eccleſiæ emere debent, ſub pœna priuationis gradus 12. *q.3. c.1. q 4. c. Sacerdotes c. Quicumque, & c. Presbyter. Concil. Tolet. 9. c.4.*

Epiſcopi qui de alijs bonis, & non intuitu Eccleſiæ aliquid emunt, poſſunt de eo diſponere 12. *quæſt. 3. c. Quicumque.*

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcoporum obligationes.

Epiſcopus Conſecratus tenetur præſentare ſe Metropolitano. *Diſt. 65. c. ſi quis.*

Epiſcopus tenetur docere populos verbum Dei: *Clem. 1. Ep. 1. c. [illegible] & ep. 2.* tenetur docere doctrinam fidei *ibid. l. 2. Conſtit. Ap. c. 5.*

Tenetur incumbere cuſtodiæ fidei. vtque conſeruetur in ſua Diœceſi, *Concil. Mediol. 1. tit. de profeſſione fidei.*

Tenetur ſuper omnes laborare in Eccleſia. *Clem. 1. ep. 1. c. 4.*

Tenetur bono exemplo ædificare populum *l. 2. Conſtit. Apoſt. c. 10.*

Tenetur curare, vt in Parochijs pueri doceantur de Doctrina Chriſtiana, & compellat Parochos per cenſuras, vt hoc exequantur. *Trid. ſeſſ. 24. de ref. c. 4.*

Epiſcopus debet quotidie audire ſacrum, ſi poteſt. *Concil. Tolet. 1. c. 5.*

Tenetur omni anno Confirmationis Sacramentum miniſtrare, aliàs puniendus *ibid. c. 2.*

Tenetur vacare Studio Sacræ Scripturæ, Sacrorum Canonum, & doctrinis Sanctorum Patrum. *Concil. Turon. 3. c. 2.* Tenetur ſcire Canones, & Statuta Apoſtolica. *Concil. Aquiſgran. 2. part. 2. cap. 2. & 4.* & artem prædicandi *ibid. c. 6.*

Tene-

Tenetur cum benignitate tractare, Iudices honorare, & Comites, & alios Dominos temporales. *Concil. Turon. 3. c. 33.*

Tenetur curare, vt in Eccleſijs Parochialibus, vel Baptiſmalibus tot adſint Sacerdotes, quot ſunt neceſſarij pro adminiſtratione Sacramentorum. *Concil. Trid. ſeſſ. 21. de refor. c. 4.*

Tenetur recuperare loca, & res pertinentes ad ſuam Cathedram, & ad id eſt cogendus per ſuperiorem. *Concil. Mileuit. c. 24.*

Epiſcopus tenetur compellere ad reſidentiam omnes beneficiatos, qui ad eam tenentur: Si qui verò habent priuilegia de non reſidendo, Epiſcopus, vt Delegatus S. Ap. curet ſubſtitui Vicarium idoneum, cum congrua portione fructuum beneficij. *Trid. ſeſſ. 6. de refor. c. 2.*

Tenetur deputare Vicarium in loco, in quo non poteſt reſidere beneficiatus cum congrua portione, non obſtante priuilegio &c. *ibid. ſeſſ. 7. de refor. c. 5.*

Tenetur Epiſcopus monere Principes, & Iudices, ne pauperes opprimant *Concil. Turon. 3. c. 49.*

Tenetur monere Iudices ne admittant falſos teſtes *ibid. c. 34.*

Tenetur ſcholas conſtituere, in quibus Chriſtiani erudiantur. *Concil. Cabilon. 3. c. 3. Concil. Valent. 2. c. 18.*

Tenetur Epiſcopus examinare Magiſtros Scholarum de vita, moribus, & fide, & vbi non reperiantur idonei, non illos admittat: etiamſi tales Magiſtri ſint conducti à Magiſtratu Ciuitatis &c. *Concil. Colon. 3. tit. quoad inſtituendum c. 1.*

Epiſcopus tenetur reſiſtere Principibus turbatoribus Eccleſiæ. *Gelaſius Conſtit. 5. Valdè mirati §. 27. & ſeq.*

Tenetur reſiſtere Regi Tyranno populorum, & ſupponere Regnum interdicto. *Gregorius 7. l. 2. ep. 5.*

Debet eſſe vt Medicus omnium. *Clem. 1. ep. 1. c. 1. Gregor. 7. l. 2. ep. 5.*

Tenetur dare ſubditis cibum corporalem, & ſpiritualem. *Concil. Pariſ. 6. l. 1. cap. 23.*

Tenetur explicare populis vſum, & vim Sacramentorum. *Concil. Trid. ſeſſ. 24. de refor. c. 7.*

Tenetur Epiſcopus corrigere peccantes, & non poteſt conniuere. *Innoc. 1. ep. 25.*

Debet ſemper habere ſecum Presbyteros, & Diaconos. *Lucius 1. in ep. de conſecrat. Diſt. 1. c. Iubemus.*

Tenetur cum Diaconis viuere. *Diſt. 93. c. Diaconi Concil. Turon. 2. c. 13.*

Tenetur diligere Eccleſiam, vt vir vxorem. *Euariſtus ep. 2. 7. q. 1. c. ſicut vir.*

Tenetur ſe gerere vt collegam, non vt Dominum Presbyterorum. *Diſt. 95. c. Epiſcop. in quolibet &c. Epiſcop. in Eccleſia.*

Epiſcopus tenetur alere Clericos in neceſſitate, aliàs deponatur. *Concil. quod dicitur Apoſtol. c. 69.*

Dum ipſe ſedet non permittat, vt Presbyter ſtet. *Concil. Carthag. 4. c. 34.*

Tenetur intra ſex menſes manifeſtare, quæ in Concilijs ſunt decreta ſub pœna excommunicationis per duos menſes. *Diſt. 18. c. Decernim.*

Tenetur procurare pacem inter ſe, & inter populos. *Diſt. 90. c. Præcipimus Concil. Carthag. 4. cap. 26. poſt ep. 3. Bonif. cap. 5.*

Epiſcopus tenetur ſcire ſæcularia negotia. *Diſt. 39. c. Petrus Diaconus.*

Tenetur ſuperare bonitatem ſubditorum in vita, & moribus 8. *quæſt. 1. c. nec ſufficere.*

Tenetur defendere Sacerdotes, & repellere iniuſtitias. *Fabianus ep. 2. 3. q. 1. c. Deus ergo.*

Tenetur defendere, & patrocinari quos ſuſcipit ſub tutela. *Diſt.* 87. *cap. Irreligioſum*.

Epiſcopus tenetur ſcire librum Paſtoralem D. Gregorij. *Concil. Turon.* 3. *c.* 13.

Tenetur prouidere de Miniſtris ſecundum linguas, & nationes diuerſas. *De off. Iud. ord. cap. quoniam Concil. Later.* 4. *cap.* 9.

Tenetur per ſe ſaltem in maioribus feſtis confeſſiones audire. *Concil. Oxonien.* 1. *c.* 1.

Si Epiſcopus non poteſt prædicare, confeſſiones audire, ac viſitare, tenetur de alijs prouidere, qui id faciant. *De offic. Iud. ord. c. Inter cætera Concil. Later.* 4. *c.*20. *Concil. Regiaticinum c.*11. ſaltem in Dominica debet prædicare 16. *c.* 1. *Concil. Mogunt. c.*25. *Concil. Rhemen. c.* 14. *&* 15. *Concil. Tolet.* 1. *c.* 2. *Valent.* 2. *c.*16. *Trid. ſeſſ.*25. *de refor. c.*2. Per ſe, vel per alium, ſi eſt impeditus tenetur prædicare, *& ſeſſ.* 24. *de refor. cap.* 4. In Quadrageſima verò, & Aduentu quotidie, aut ter in hebdomada per ſe, vel per alium *ibid.*

Tenetur tractare charitatiuè Religioſos. *Extra de Sepulturis c. ſuper Cathedram*.

Epiſcopi omnes promouendi tenentur in primo Concilio Prouinciali acceptare decreta Concilij Tridentini, iurare obedientiam, & fidelitatem Romano Pontifici, & damnare hæreſes damnatas ab alijs Concilijs. *Conc. Trid. ſeſſ* 25. *de refor. c.*2.

Tenetur Epiſcopus curare, ne in Eccleſijs fiant clamores, confabulationes, Iudicia, Nundinæ &c. *De immunit. Eccleſ. in* 6. *c. Decet*.

Tenetur habitare cum Clericis. *Concil. Turon.* 2. *c.*13.

Tenetur inuigilare, ne quis plura beneficia curata, dignitates, vel perſonatus obtineat, ſub pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto: & quid agere debet cum habentibus. *Extra de off. Iud. ordin. c.* 2.

Tenetur impedire, ne Laici exigant aliquid à Clericis; aliàs conſentiens excommunicatur ipſo facto, & pœnam depoſitionis incurrit. *Concil. Later.* 5. *ſeſſ.*9. *Bulla de refor. Curiæ c.*3.

Tenetur celebrare Synodum omni anno. *Concil. Sabin. c.* 2. ſub pœna ſuſpenſionis, donec in Synodo ſe purget *ibid.*

In menſa debet facere legere Sacrã Scripturam. *Concil. Tolet.* 22. *c.*5.

Tenetur Epiſcopus exequi Sententias latas à Delegatis Papæ. *Concil. Later.* 3. *in append. tit. de poteſt. Iud. c.*1.

Epiſcopi in Synodo tenentur tractare de obſeruantia canonum, & de reformatione. *Concil. Sabin. c.*2.

Tenetur Epiſcopus ſæpè celebrare ſaltem in feſtis ſolemnibus diebus Aduentus, & Quadrageſimæ. *Concil. Londin.* 2. *c.*23.

Etiam in Dominicis, & feſtis. *Concil. Mediol.* 1. *p.* 2. *tit. de frequenti Diuini Sacrificij oblatione*.

Tenetur Miſſas publicè celebrare, non in cappella niſi ex neceſſitate. *Concil. Sabinenſ. c.* 7. Poteſt per viam Altari portatili vti *ibid.* & ſæpè, ac ſingulis diebus celebrare, ſi opus ſit. *Concil. Regiaticinum c.* 2.

Tenetur dicere officium in choro cum Clericis, niſi legitimè impediatur. *Concil. Later.* 4. *c.*17. *Sabin. c.*7.

Tenetur Epiſcopus corrigere populos benignè, deinde ſeuerè &c. *Concil. Trid. ſeſſ.*13 *de refor. c.*1.

Tenetur docere nouiter ordinatos de ſuis officis, de miniſterio Sacramentorum &c. *Concil. Rauenn.* 2. *ſub Clem. V. c.*9. Nec non materias, & formas Sacramentorum *ibid.*

Tene-

Tenetur honorare omnes Clericos. *Diſt.95. c. ſta ſubiectus*:

Tenetur curare, vt hoſpitalia omnia rectè adminiſtrentur, etiamſi adminiſtratores ſint perſonæ exemptæ. *Concil. Trid. ſeſſ.7. de refor. c.15.*

Tenetur audientias dare horis competentibus, & iuſtitiam adminiſtrare. *Concil. Oxonien. 1. c.1.*

Tenetur curam habere de Parochijs, ne ab alijs vſurpentur. *Concil. Emerit. c.8.*

Tenetur contra inceſtuoſos inuigilare, eoſque punire, expellendo ab Eccleſia, & vtendo brachio Sæculari. *Concil. Vormat. 1. c.79.*

Die Dominico tenetur intereſſe Eccleſiæ, niſi ſit infirmus. *Concil. Aurel. 1. c. 33. de conſecr. diſt. 3. c. Epiſcopus ſi infirmitate.*

Tenetur inuigilare ne redditus hoſpitalium, leproſariorum &c. vſurpentur ſiuè à fundatoribus, ſiuè ab alijs, etiam exemptis. *Clement. de religioſis domibus c. Quia contingit.*

Epiſcopus promotus in curia tenetur viſitare omnes Cardinales quamprimum. *Concil. Later. 5. ſeſſ.9. in Bulla de refor. Curia cap. 1. Leo X. Conſtit. 7. ſuperna.*

Tenetur cauſas coram Clericis audire. *Concil. Carthag. 4. c.23.*

Tenetur ire ad Synodum, & Concilia. *Concil. Carthag. 4. c.21.*

Tenetur ſemper orare pro populo. *Concil. Colon. 2. part. 2. cap.4. Concil. Mogunt. cap. 10.*

Moderato cibo vti debet. *Concil. Remen. cap. 18. Aquiſgran. ſub Ludouico cap. 60. Diſtinct. 44. cap. Non oportet.*

SACRI CANONES

Spectantes ad ea, à quibus Epiſcopi debent abſtinere.

EPiſcopus habere non poteſt duas Eccleſias Cathedrales; habens verò dimittat vnam intra ſex menſes, aliàs poſtea acceptæ vacare cenſentur. *Concil. Trid. ſeſſ.7. de refor. c.2.*

Epiſcopus cauere debet à ludis, & ebrietate, aliàs excommunicetur. *Concil. quod dicitur Apoſt. c.43.*

Non debet facere iuramentum fidelitatis Regibus, Imperatoribus, vel alijs Dominis. *Concil. Claramont. c. 17.*

Abſtineat ab vſuris, aliàs deponatur. *Concil. quod dicitur Apoſt. c.44. Conſt. Apoſt. c.5.*

Non admittat ad ſe mulieres ludicras, & iocoſas. *Concil. Tolet. 18. c. 3.*

Abſtineat à militia, aliàs deponatur. *Concil. quod dicitur Apoſt. c. 83. Nicolaus 1. ep.27. & in decr. tit. de Epiſcopis c.7. 23. quæſt.8. c. Reprehenſibile. Diſt. 36. c. ſi quis vult.*

Non debet nec per ſe, nec per alium dare ſecuritatem pro indeminitate Eccleſiæ. *Concil. Later. 7. p.50. c.1.*

Abſtineat à mendacijs, aliàs excommunicetur, vſque in finem. *Concil. Elibert. c.19.*

Non quærat honorem, & gloriam ab hominibus; aliàs eſt mercenarius. *8. q.1. c. ſunt in Eccleſia.*

Abſtineat ab officio aduocati in litibus. *Clemens 1. epiſt. 1. c. 2. & 3.*

Item à conductionibus tàm per ſe, quàm per alios faciendis. *Concil. Vormat. 1. c.69.* & alijs ab officijs, vt procuratoris &c. *ibid.*

Abſtineat à conculcando alios Epiſcopos. *Concil. Arelatens. 1. c.17.*

Abſtinere debet à vigilijs vſque ad me-

mediam noctem. *Concil. Later. 4. canon. 17.*

Abſtinere debet à nimio ſomno manè, vſque ad cantum auium *ibid.*

Abſtineat ab adminiſtratione Sæcularium, aliàs deponatur. *Concil. quod dicitur Apoſt. cap.* 81. *Carthag.* 3. *cap.* 14. *Diſt.* 88. *c. Epiſcopus, & ſeqq.*

Abſtineat à verberando alios, etiam propter peccata, ſub pœna depoſitionis. *Concil. Apoſt. c.*2. 8. *Gregor.* 1. *l.* 2. *ex reg. epiſt.* 52. *diſt.*45. *c.*1. *c. Quod autem c. Neminem c. Cum beatus, & c. Epiſcopum.*

Abſtineat à legendo libros Gentilium. *Concil. Carthag.*4. *c.*16.

Abſtineat à lectione librorum Hæreticorum niſi in neceſſitate *ibid.*

Abſtineat à litibus de rebus tranſitorijs. *Concil. Carthag.* 4. *c.* 19. *Concil. Aquiſgran.* 3. *p.* 1. *c.*4.

Abſtinere debet à faſtu, imperioſo modo, & contemptu aliorum, *l.*2. *Conſtit. Apoſt. c.*20.

Non debet docere grammaticam; ſed Sacram Scripturam doceat. *Gregor.* 1. *l.* 9. *epiſt.* 48. *Diſt.* 8. 6. *cap. cum multa.*

Non poteſt tenere canes venaticos, & pœna. *Concil. Tolet.* 17. *c.*8.

Neque ſimiles aues, Falcones &c. *Concil. Regiaticinum c.*4. Abſtineat à venationibus *ibid. Concil. Matiſcon.* 2. *c.* 13. *Nicolaus* 1. *in decretis tit. de Epiſcopis c.*1.

Abſtinere debet à conuiuijs. *Concil. Turon.* 3. *c.*5. *Concil. Regiaticinum c.*3.

Abſtinere debet ab vſurpatione rerum alienarum. *Concil. Pariſ.* 3. *c.*3.

Non grauet ſubditos aliquid exigendo ab eis. *Gregor.* 1. *l.*11. *ex reg. ep.* 22.

Non poteſt imponere ſeruitium, vel grauamen Clericis, vel Abbatibus, vel alijs. *Concil. Rom.* 1. *ſub Gregorio* 7. *c.* 10.

Abſtineat à ioculatoribus, hiſtrionibus, & ſimilibus ſcurris. *Concil. Turonen.* 3. *c.*7.

Non poteſt ire ad comitatum Regum, ſeu Imperatorum, ſine licentia Papæ 23. *q.* 8. *c. quo auſu.* Aut ſaltem ſine licentia Metropolitani *ibid. c. ſi quis Epiſcopus, & c. ſi vobis Concil. Sardicen. c.*8. 9. 10. 11. 12.

Abſtinere debet à conuerſatione malorum 2. *q.* 7. *c. peruenit, & c. vlt.*

Epiſcopi peccata grauiſſima ſunt. *Martin.* 1. *ep.*12.

SACRI CANONES

Spectantes ad cohabitationem Epiſcoporum cum mulieribus.

EPiſcopus non poteſt habitare cum mulieribus. *Concil. Nicæn.* 1. *can.* 3. *Concil. Rom. ſub Zacharia c.* 1. *Concil. Turon.* 2. *c.* 14.

In Epiſcopi Palatio mulieres habitare non poſſunt; neque legitimè coniugatæ. *Concil. Melden. c.*26.

Mulier non poteſt ingredi cubiculum Epiſcopi, ſine duobus Presbyteris. *Concil. Matiſcon.* 1. *c.*3.

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum fornicarium, vel permittentem Clericos fornicari.

EPiſcopus fornicarius Epiſcopali honore eſt priuandus. *Concil. Tolet.* 8. *c.* 3. *extra de pœnis c. Diuinis.* Debet inter laicos facere pœnitentiam, & ab Eccleſia eijci. *Diſt.* 81. *cap. ſi quis Epiſcopus.*

Si conuincitur eſt deponendus 2. *q.* 7. *c. Paulus Diaclina, & c. Lator. diſt.* 81. *c. ſi quis amodo.* Sine ſpe reſtitutionis priuandus. *Concil. Nicæn. ex Arabico c.* 77.

Epiſco-

Epiſcopus peccans cum matre, vxore, vel filia alicuius magnatis, officio priuatur, & vſque ad finem excommunicatur: *Concil. Tolet.* 11. *c.*5.

Epiſcopus Concubinarius ſi monitus à Synodo Prouinciali non abſtinet, ipſo facto eſt ſuſpenſus, & ſi perſeuerat Synodus referat ad Papam, qui eum puniat. *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 14.

Epiſcopus conſentiens fornicationi Clericorum ſuſpendatur. *Diſt.* 83. *c. ſi quis Epiſcopus.*

Permittens fornicarium celebrare, vel tolerans illum deponatur ab officio. *Concil. Later.* 4. *c.*14.

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopi vitam, victum, ſupellectilem, & habitationem.

EPiſcopus propè Eccleſiam habitare debet. *Concil. Carthag.* 4. *c.* 13.

Epiſcopus non induatur ſerico; neque pellibus pretioſis: non vtatur vnguentis, vel odoriferis ſuauibus: annulo tantum Epiſcopali ſit contentus. Stragulum mulæ, vel equi non ſit ſericum, calcaria non aurata &c. & multa alia. *Concil. Mediol.* 1. *tit. de Epiſcop. veſtitu.*

Epiſcopus ſupellectili, & menſa modeſta, & humili vti debet. *Concil. Carthag.* 4. *c.*15. *Concil Turon.* 3. *c.*5. *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de refor. c.*1.

Epiſcopi menſa frugalis eſſe debet. *ibidem Concil. Mediol.* 1. *p.* 2. *de Epiſcopi menſa.*

Suppellex ſit ſimplex, nihil habeat aureum, vel argenteum, vel ſericum, non aulæa, non tapetia, acupicta, & ſimilia: Sed ita modeſta, vt mundi contemptum cuncta redoleant, & plura alia. *Concil. Mediol.* 1. *p.* 2. *de Epiſcopi ſupellectili.*

Ciborũ numerus, & apparatus qualis eſſe debet, *ibid. de Epiſcopi menſa.*

Non ſuſcipiat onus exequendi teſtamenta. *Concil. Carthag.* 4. *c.*20.

SACRI CANONES

Spectantes ad eos à quibus obedientia præſtanda eſt Epiſcopis.

EPiſcopo obediendum eſt ab omnibus in Diœceſi, *l.* 2. *Conſt. Apoſtol. c.*20.

Epiſcopo non obedientes grauiter puniendi. *Gregor.* 1. *l.*10. *ep.*46.

Omnes Principes, & alios teneri ad obediendum Epiſcopis, docuit Sanctus Petrus. *Clem. epiſt.* 2. *cap.* 4. 11. *quæſt.* 3. *cap. ſi autem vobis*, *Gelaſius epiſt.* 8.

Inobedientes Epiſcopis damnandi; vt infames. *Clem.* 1. *ep.* 3. 11. *q.* 3. *c. ſi autem vobis.*

Epiſcopi decreta impugnans reijciatur, *De maior. & obed. c. ſi quis venerit.*

Epiſcopi bannum tranſgrediens, per 40. dies pœniteat in Pane, Sale, & Aqua. *Concil. Tibur.* 1. *c.*8.

Epiſcopo conuocante populum ad placitum in die, qua conuocat Dominus Sæcularis, Epiſcopo eſt obediendum. *Concil. Tiburienſe* 1. *c.*9.

Epiſcopo omnes populi, & Principes ſubditi ſunt, eique tenentur obedire. *De maior. & obed. c. omnes.*

Epiſcopus non multum ſe humiliet coram Principe Sæculari, neque multum eidem procedat obuiam, neque ob eum de equo deſcendat; qui fecerit, per annum excommunicetur; Sic & qui inducit ad faciendum. *Concil. Conſtantinop.* 4. *c.*14.

SACRI

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcoporum Reſidentiam.

EPiſcopus tenetur reſidere, aliàs in Monaſterio eſt retrudendus. *Gregor. I. epiſt. 23. Nicolaus I. in decret. tit. de Epiſcopis c. 5. 7. q. 1. c. Pontifices, c. placuit, vt nemini. c. peruenit Pius 4. Conſt. 10. de ſalute Pius 5. Conſt. 65. cupientes Vrbanus 8. Conſt. in append. 27. alias 137.*

Epiſcopus morari non poteſt in Prouincia, aut Ciuitate extra ſuam Diœceſim. *Concil. Sardicen. c. 14.* Neq; abeſſe olim poterat à ſua Ciuitate pluſquam per tres hebdomadas *ibid. c. 15.* Nunc autem per tres menſes in quolibet anno, ſiuè continuos, ſiuè interruptos, abeſſe poteſt. *Concil. Trid. ſeſſ. 23. de refor. c. 1.* Sed ex ratione, ſeu cauſa legitima, ſeu æqua: & ſi grex non patitur damnum id conceditur *ibid.*

Tempore Aduentus, & Quadrageſimæ non poteſt Epiſcopus abeſſe. *Concil. Meldenſe c. 28. Concil. Trid. vbi ſupra.* Neque in feſtis Natiuitatis Domini, Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti poteſt abeſſe à ſua Cathedrali. *Concil. Trid. ibid.* Niſi ſua munera Epiſcopalia aliò cum vocent.

Die Dominico non abſit Epiſcopus ab Eccleſia. *De conſecr. diſt. 3. c. Epiſcopus.*

Epiſcopus reſidens non poteſt citari ad Papam à nullo Iudice, pro nullo delicto, neque etiam hæreſis, ſiuè lęſæ Maieſtatis, ſine licentia Papæ. *Pius 4. Conſt. 10. de ſalute.*

Epiſcopus abſens, ſi citatus non redit ad Epiſcopatum, eſt priuandus, & alius eligendus. *De Clericis non reſidentibus c. ex parte veſtra, c. qualiter, & c. inter quatuor.*

Quibus ex cauſis poteſt Epiſcopus abeſſe, & à quo probandæ tales cauſæ. *Concil. Trid. ſeſſ. 23. de refor. c. 1.*

Epiſcopus non reſidens per ſex menſes continuos, perdit quartam partem fructuum vnius anni, quàm tenetur erogare fabricæ Eccleſiæ, vel pauperibus. Si per alios ſex menſes, aliam quartam partem perdit, & ſic applicat. Creſcente contumacia, à Metropolitano cogatur per cenſuras. Metropolitanus verò per Epiſcopum antiquiorem ad Papam intra tres menſes eſt denunciandus, ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ. *Pius 4. Conſt. 10 de ſalute Concil. Trid. ſeſſ. 6. de refor. c. 1. in fine, & ſeſſ. 23. de refor. cap. 1.* & comprehendit omnes etiam primates &c. *ibidem.*

Epiſcopi tenentur reſidere, etiamſi Cardinales ſint, ſub pœnà amiſſionis fructuum, & alijs. *Vrbanus 8. in append. Conſtit. 27. aliàs 135. Sancta Synodus per* §. 18. Pœnæ ſunt amiſſiones facultatum teſtandi, diſponendi, & interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. Nullum negotium excuſat, quin pœnæ incurrantur, niſi Synodi, vel Concilia Eccleſiaſtica. Nec poſſint recedere ab Eccleſia ſine licentia Papæ, niſi ob Concilia, vt ſupra, ſub iiſdem pœnis §. 8.

Epiſcopi nouiter facti tenentur ad Eccleſiam ſe conferre hoc modo: qui Romæ ſunt intra vnum menſem diſcedere, qui extra in Italia, intra duos; extra Italiam exiſtentes, intra quatuor ſub eiſdem pœnis *ibid.* §. 7. 8. *&* 9. Nullum negotium excuſat ne incurrantur. §. 10.

Tolerantia, & conniuentia Papæ non excuſat, nec etiam Cardinales. *ibid.* §. 11. & pœnæ incurruntur abſque alia declaratione.

Epiſcopi poſſunt abeſſe ab Epiſcopatu ratione viſitandi limina, hoc modo; exiſtentes citra montes per quatuor men-

menſes, vltra Montes, vel vltra Mare per ſeptem menſes, & tunc id munus explere tenentur, & non ad alia diuertere *ibid.* §.11.

Epiſcopi Cardinales certi de morte Papæ poſſunt ab Epiſcopatu recedere, vt veniant ad Conclaue, & poſt coronationem Papæ per duos menſes manere in loco electionis, & ſtatim diſcedere *ibidem* §. 13.

Epiſcopus Cardinalis habens Eccleſiam vnam de ſex propè Romam, & aliam extra, in hac ſecunda tenetur reſidere *ibidem* §.17.

Epiſcopi, Rectores, & alij habentes curam animarum non reſidentes peccant mortaliter, & non faciunt fructus ſuos, & tenere eos non poſſunt, abſque alia declaratione, ſed fabricæ per eum, vel ſuperiorem applicentur, neque de hoc fieri poteſt compoſitio, neque condonatio. *Concil. Trid. ſeſſ. 23. de refor. c. 1.*

SACRI CANONES.

Spectantes ad eos, qui poſſunt, vel non, accuſare Epiſcopos, & ad quem poſſunt.

Catholicus Epiſcopus non poteſt ab Hæreticis accuſari. *Concil. Conſtantinop. 1. c.6.*

Epiſcopus non poteſt à plebe accuſari. *Euariſtus ep. 2.* Neque à criminoſis. *Concil. Carthag. 2. c.16. 2. q.7. c. præſumunt.*

Neque à detractoribus, vel inimicis. *Iulius 1. ep.2. c. 28. 3. q. 4. c. detractores.*

Neque à ſubditis. *Pius 1. ep. 1. 2. q.7. c. oues.* Niſi errent in fide; tunc enim poſſunt, *ibid. & Innoc. I. in ep. Decret. 2. q.7. c. Maiorum, & c. Sententia.*

Neque à laicis *2. q. 7. c. non eſt, & c. laici.* Neque à Perſonis vilibus *2. q.7. c. querendum.*

Epiſcopus antequàm accuſetur debet fraternè corrigi, alias excommunicetur accuſans. *Fœlix 2. ep. 1. c.2. Adrianus 1. in decret. c. 5. Iulius 1. ep. 2. c. 7. & 35. 2. q.7. c. accuſatio, & c. ſi quis erga.*

Epiſcopus à Sede pulſus non poteſt accuſari, nec iudicari. *Sixtus 1. epiſt. 2. Fœlix 1. epiſt. 2. Euſebius epiſt. 2. Sixtus 2. epiſt. 2. 3. qu. 2. c. ſi Epiſcopus.*

Epiſcopus non poteſt accuſari apud Iudicem Sæcularem. *Caius epiſt. vnic. poſt epiſt. 3. Bonifacij. Fœlix 2. epiſt. 1. c. 1. Qu. 1. c. Nullus.*

Epiſcopis accuſatis dandę ſunt induciæ, vt ſe præparent, & non minores, quàm ſex menſium. *3. qu. 3. c. De Inducijs. c. Induciæ accuſatis.*

Epiſcopi accuſatio facienda coram duobus, vel tribus teſtibus. *2. qu. 7. c. Accuſatio quoque.*

Epiſcopus accuſatus habeat inducias, quas petit, & locum Iudicij eligat, ſi timet de oppreſſore. *Fœlix 2. epiſt. 1. c. 8.*

Epiſcoporum accuſationes non facilè recipiendæ. *Sixtus 2. epiſt. 2. 2. qu. 7 1. c. Accuſatio.*

Epiſcopus accuſatus de ſimonia, ſi ſe purget reſtituitur. *Gregor. 7. l. 9. epiſt. 16.*

Epiſcopos accuſantium vita, & mores prius examinandi. *Adrianus 1. in decret. c. 5. 2. qu. 7. c. Si qui ſunt, & c. Quærendum.*

Epiſcopus accuſatus, ſi non eſt conuictus per teſtes, poteſt ſe purgare cum iuramento. *2. qu. 5. c. Presbyter, vel c. Habet, & c. Presbyter ſi à Plebe c. Mennam. c. Quanto, c. Quæ de cauſa, c. Si mala fama. c. Quoties, c. Præſto, c. omnibus, & alijs ibi.*

SACRI

SACRI CANONES

Spectantes ad modum, locum, & Iudicem, à quo eſt iudicandus Epiſcopus.

Epiſcopus non poteſt iudicari niſi à Iudice, quem eligit, vel Papa deputat. *Iulius* 1. *epiſt.* 2. *c.* 34. *Fœlix* 2. *ep.* 1. *c.* 18. 3. *qu.* 1. *c. Iudices.*

Epiſcoporum delicta melius diſcutiuntur in loco, vbi ſunt commiſſa. *Gregor.* 7. *epiſt.* 4. *l.* 17.

Epiſcopus condemnari olim non poterat, niſi per 72. teſtes. *Concil. Rom. ſub Silueſtro c.* 3. 2. *qu.* 4. *c. Præſul. c. Nullam, qu.* 6. *c. Omnis.*

Epiſcopus non poteſt citari, vt perſonaliter compareat, niſi ob cauſam, per quam veniret priuandus, & hoc etiam ſi procedatur per Inquiſitionem, aut denunciationem. *Concil. Trid. ſeſſ.* 13. *de reform. c.* 6.

Epiſcopus putans ſe grauatum à Metropolitano appellat ad Papam. *Concil. Nicen. ex Iulio* 1. *c.* 4, *ep.* 2. *c.* 16. & 17. *Sixtus* 2. *epiſt.* 1.

Epiſcopi non poſſunt damnari inconſulto Papa. *Concil. Nicen. ex Iulio* 1. *c.* 3. & 23. *Benedictus* 3. *epiſt.* 1. *Concil. Trid. vt infra.*

Epiſcopo condemnato ſolus Papa poteſt cauſam reuidere. *Concil. Sardic. c.* 3. *Conc. Carthag.* 6. *c.* 3. *Concil. Trid. Seſſ.* 13. *de refor. c. vlt.*

Damnatus ſine Papæ conſenſu, & facultate, ſtatim reſtituitur, & hæc praxis ex tempore Apoſtolorum fuit in Eccleſia. *Fœlix* 2. *epiſt.* 1. *c.* 18. *Nicolaus* 1. *ep.* 8.

Nunquam poteſt Epiſcopus damnari ſine facultate Papæ, nec etiam à Primate. *Iulius* 1. *ep.* 2. *c.* 26. & 30. 2. *qu.* 6. *c. Ideo. Nicolaus* 1. *ep.* 38. & 42. *Fœlix* 1. *ep.* 1. Et ſic iudicans temerè facit. *ibid. Adrianus* 1. *in decret. cap.* 3. *Gregor.* 7. *l.* 8. *epiſt.* 21. *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *de refor. c.* 5.

Epiſcoporum omnium maiores cauſæ ad Papam referendæ, & ab eo iudicandæ. 2. *qu.* 1. *c. Primates*, *qu.* 6. *c. Ad Romanam, qu.* 4. *c. Nullam.* 3. *qu.* 6. *c. Accuſatus, & c. Diſcutere. Cauſa* 2. *qu.* 7. *c. Si quid. c. Quapropter* 3. *qu.* 6. *c. Diſcutere, c. Quamuis, c. Multam* (& ſine facultate Papæ non poteſt deponi, *ibid.*) *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *de refor. c.* 5.

Commiſſiones, quarum virtute procedi poteſt contra Epiſcopos, debent eſſe ſignatæ manu Papæ. *Trid. ibid.*

Epiſcopus non poteſt priuari, antequam eius cauſa finiatur. *Fœlix* 2. *ep.* 2.

Epiſcoporum cauſæ cum maturitate magna iudicandæ. *Gregor.* 1. *l.* 7. *ep.* 62. 2. *qu.* 1. *c. In primis.*

Epiſcoporum cauſæ maiores, & criminales, quæ dignæ eſſent priuatione, à Papa tantum iudicantur, ſic, & cauſę hæreſis. *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *de refor. c.* 5.

Cauſæ verò minores Epiſcoporum in Concilio Prouinciali terminantur, vel à deputandis per Concilium generale. *ibid. c.* 5.

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum circa Papam eiuſque decreta.

Epiſcopus ſemper poteſt appellare ad Papam. *Iulius* 1. *ep.* 2. *c.* 2. 2. *q.* 6. *c. Si quis putauerit.* 3. *qu.* 6. *c. Accuſatus.*

Epiſcopi omnes in toto Orbe à Papa dependent. *Nicolaus* 1. *in appen. ep.* 4.

Epiſcopi electi vbique obtinere debent confirmationem à Papa. *Diſt.* 61. *c. Carinenſis.*

Epiſcopi vocati ſunt à Papa in partē ſollicitudinis Eccleſiæ, non in plenitudinem poteſtatis. 2. *q.* 6. *c. Decreto.*

Epiſcopi non poſſunt reſiſtere decretis

tis Papæ. 25. *qu.* 2. *c. Si quis.* & excommunicantur ſi faciunt. *ib. c. Generali* 24. *q.* 4. *c. Si quis dogmata.*

Non poſſunt violare interdictum Papæ. *De priuil. in* 6. *c. fin.*

Epiſcopi non obedientes Papæ ſuſpendantur à celebratione Miſſarum. *Gregor. l.* 1. *ep.* 25. Priuandi ſunt, *De pœnis c. Diuinis.*

Epiſcopi non poſſunt ire in regionem longinquam ſine licentia Papæ. *Vigilius ep.* 7.

Epiſcoporum Iuriſdictio per Papam eſt deferenda, & cuſtodienda. 11. *qu.* 1. *c. Peruenit.*

Epiſcopi promoti à Papa non poſſunt à Curia diſcedere, ſine literis promotionis; non poſſunt fructus percipere, nec ab vllo acceptari: non poſſunt miniſtrare, niſi facto iuramento fidelitatis, acceptantes ſuſpenduntur à beneficijs ad arbitrium Papæ. *Extra de elect. c.* 1.

Epiſcopi non poſſunt diſcedere à Curia ſine licentia Papæ, ſub pœna excommunicationis, *Extrauag. comm. de Maior. & obed. c. Etſi deceat, c. Vt Prælatorum.*

Epiſcopi poſſunt per Papam eximi à Iuriſdictione Metropolitanorum. 16. *qu.* 1. *c. Frater noſter.*

Epiſcopi non poſſunt adire Romam latenter, ſed debent ſe præſentare Papæ, aliàs notam infidelitatis incurrunt; & excommunicati ſunt, & qui eos recipiunt excommunicantur. *Extra de Maior. & obed. c. Etſi deceat, c. Vt Prælatorum.* Primùm omnium tenentur viſitare Palatium Papæ aliàs incurrunt notam infidelitatis *ibidem c. Etſi deceat.*

Epiſcopi contemnentes Sedem Apoſtolicam, eique non obedientes, ſunt priuandi. *De pœnis c. Diuinis.* Malè tractantes, vel impedientes eos, qui appellant ad Papam, priuantur. *ibidem.*

Tenentur exequi ſententias Delegati Papæ. *Concil. Later.* 3. *tit. de Pot. Iud. c.* 1.

Non poſſunt cenſuras ferre contra euntes Romam ad Papam pro ſuis negotijs, & pœnæ, & omnia facta ſunt irrita. *Extra de Priuileg. c. Diuina.* Neque poſſunt priuare beneficijs litigantes apud Sedem Apoſtolicam, ſub pœna excommunicationis, & interdicti ipſo facto. *ibidem.*

Epiſcopi tenentur præſtare Papæ iuramentum fidelitatis, ſubiectionis, & conueniendi ad Synodum, viſitandi limina, de benè tractando legatos Papæ, &c. *De Iureiur. c. Ego N.*

Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, &c. promoti tenentur in primo Concilio Prouinciali iurare obedientiam, & fidelitatem Papæ, acceptare decreta Concilij Tridentini, & damnare omnes hæreſes ante damnatas. *Concil. Trid. Seſſ.* 15. *de refor. c.* 2.

Epiſcopi vocati à Papa ad Synodum, & non obedientes, nec ſe excuſantes excommunicantur. *Ioann.* 8. *ep.* 181. 182.

Epiſcopus non recipiens honorificè Legatum Papæ excommunicatur, & à celebratione Miſſæ ſuſpenditur. *Io.* 8. *ep.* 196.

Papa reſcribens, vel præcipiens Epiſcopo, vt corrigat Clerum, &c. non facit illum Delegatum. *De offic. Iud. ordin. c. licet in corrigendis.*

Item ſi præcipit, vt corrigat Clericos Diœceſis non dat iuriſdictionem ſuper exemptos. *ibid. c. Graue geſimus.*

Papa mandante, vt Epiſcopus prouideat aliquem de primo vacante, ſi Clericus negligit petere, gratia extinguitur. *De Præbendis, &c. in* 6. *c. Si Clericus.* Si verò talis Clericus à Papa fit factus Canonicus, non obſtante tali negligentia petendi, poteſt præbendam petere,

 & alijs

& alijs præferri; quod ſi alteri conferatur nulla eſt collatio. *ibidem*.

Papa mandante prouideri de beneficijs, non debet Epiſcopus intelligere de Curatis; neque de ijs, quę dantur per electionem. *De Præbendis,&c. in 6. c. Cum in illis & §. illis,Clem. de præb.&c. c. 1.*

Papæ decreta neque per contrariam conſuetudinem poſſunt conuelli. *Nicolaus 1. in decret. tit. de Rom. Pontif. c. 1. & 2.*

Papæ decreta ſeruanda ſunt ab Epiſcopis, ita ac ſi à Sancto Petro eſſent facta. *Diſt. 19. c. Sic omnes, c. Si Romanorum, c. Nulli fas eſt. Diſt. 20. c. Si decreta.*

Epiſcopus debet præferre Papæ Decreta, & Statuta omnibus alijs Sanctorum ſcriptis. *Diſt. 20. c. De libellis.*

Papa concedit Epiſcopis iuriſdictionem, etiam in foro alterius. *Clement. de foro compet. c. vn.*

Papa nouiter electus ſalutandus eſt ab Epiſcopis. *Gregor. 7. l. 6. ep. 30.*

Epiſcoporum negligentiæ ſupplentur à Papa, ac reformantur. *Gregor. 1. l. 11. ex regeſt. ep. 29. & 30.*

Epiſcopus nullibi eligi poteſt, ſi Papa diſſentiat. *Diſt. 63. c. Porrò.*

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum circa Metropolitanos, & è contra.

EPiſcopi Metropolitano ſubduntur. *9. qu. 3. c. Per ſingulas il. 2.*

Epiſcopi excepto tempore Synodi, ſeu Concilij, non tenentur ire ad Metropolitanum, quando vocantur, non obſtante quauis conſuetudine, &c. *Concil. Trid. Seſſ. 24. de refor. c. 2.*

Epiſcopus poteſt appellare a Metropolitano ad Patriarcham. *Concil. Conſtantinop. 4. c. 2. 6.* Item ſi grauetur à Metropolitano poteſt appellare ad Papam. *Sixtus 2. epiſt. 1. 2. qu. 6. c. Si quis putauerit.*

Epiſcopi poſſunt à Papa eximi à iuriſdictione Metropolitanorum. *16. q. 1. c. Frater noſter.*

Epiſcoporum, & Subditorum cauſæ non cognoſcũtur à Metropolitano, vel à Patriarcha, niſi per legitimã appellationem. *De offic. Iud. Ord. c. Duo ſimul.*

Metropolitanus extra ſuam Diœceſim nihil poteſt facere, niſi de conſenſu Epiſcoporum; *Iulius 1. ep. 2. c. 23. Lucius 1. ep. vn. Concil. Lucen. 2. c 4. 9. qu. 3. c. Per ſingulas c. Conqueſtus, & c. Epiſcop. Adrianus 1. in decr. c. 46. Zachar. ep. 7. c. 1.*

Metropolitanus in Diœceſi Suffraganei non poteſt nec ordinare, nec iudicare. *Poſt ep. 14. Cæleſtin. 1. 9. q. 3. c. Nullus Primas.*

Metropolitanus non poteſt grauare Suffraganeos occaſione viſitationis. *Concil. Conſtantinopol. 4 c. 9 & 19.*

Metropolitanus in cauſa appellationis ab Epiſcopo non poteſt citare, niſi cauſa appellandi fuit ſufficiens. *De appellatione in 6. c. Romana § Cum autem;* Nec poteſt eximere ab Epiſcopo in alijs cauſis eum, qui appellauit *ibidem §. cum verò.*

Metropolitanus in cauſa fornicationis poteſt iudicari ab Epiſcopis ſubditis. *Concil. Aurelian. 3. c. 4.*

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum circa pauperes, & oppreſſos.

EPiſcopi domus debet eſſe hoſpitiũ omniũ pauperũ. *Conc. Par. 6. l. 1. c. 14.*

Epiſcopus tenetur releuare oppreſſos. *Eleutherius in ep. decret.*

Epiſcopus ſemper pauperes ad menſam habeat. *Concil. Rhemenſe c. 17.*

Tenetur alere pauperes. *Conc. Rauennat. 1. ſub Honorio 4. c. 2.* Iu-

Iuuare tenetur pauperes, oppreſſos, & corrigere oppreſſores. *Concil. Arelat. 4. c. 17.*

Eccleſiæ facultates pauperibus poteſt Epiſcopus diſpenſare, ſed non ex ſuo libito, & pœnæ 10. *q. 2. c. vlt.*

Debet patrocinari pauperes recurrentes ad eum. *Diſt. 87. c. licet c. defenſionis c. Diuina*, & eoſdem alere pro viribus ſuis. *Diſt. 82. c. 1.*

Debet potius ſubleuare pauperes, quàm parietes Eccleſiæ ornare 12. *q. 2. c. Gloria*, pauperes, & debiles ſuſtentare tenetur. *Concil. Aurel. 1. c. 18. diſt. 82. c. Epiſcopus pauperibus.*

De Theſauro Eccleſiæ accipere debet Epiſcopus ad ſuſtentandos pauperes. *Concil. Turon. 3. c. 11. Concil. Trid. ſeſſ. 25. de refor. c. 1.*

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum negligentem in ſuo officio.

EPiſcopi negligentes, qui non prædicant, non viſitant, non confirmant, & exigunt expenſas, priuandi ſunt. *Concil. Tolet. 1. c. 2.*

Epiſcopus non corrigens Clerum, non valet corrigere populum 8. *q. 1. c. quid autem.*

Epiſcopus non puniens fornicationem Clericorum in Sacris, ab officio debet ſuſpendi, Idem de inceſtu. *Concil. Rom. 5. ſub Gregor. 7. c. 12.*

Epiſcopus negligens, eſt corrigendus. *Diſt. 84. c. 1 & c. nunciatum.*

Epiſcopus negligens Chriſtum non diligit 25. *q. 1. c. Diuinis.*

Epiſcopi permittentes, vt Subdiaconi vacent vxori, ſuſpenduntur ab officio, *Concil. Melfitanum c. 12. diſt. 32. c. 1.*

Epiſcopi negligentes perſequi hæreticos deponantur. *Concil. Later. 4. c. 3. de hæreticis c. excommunicamus §. fin.*

Epiſcopi permittentes, vt eligantur ad dignitates, Parochias &c. indigni, vel carentes ætate, vel ſufficientia &c. priuantur poteſtate conferendi tales dignitates &c. *Concil. Later. 3. c. 3. 11. q. 3. c. Priuilegium diſt. 63. c. ſi fortè.*

Epiſcopi negligentes cogantur facere, quæ debent. *Concil. African. c. 88.*

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum relinquentem Eccleſiam, ſeu renunciantem.

EPiſcopus non poteſt dimittere Eccleſiam ſuam 7. *q. 1. c. ſicut vir.*

Non debet relinquere Eccleſiam tẽpore perſecutionis. *Liberius ep. 12. Concil. Antioch. c. 21.*

Non poteſt Epiſcopus renunciare ob ſenectutem, ſi ſit neceſſarius Eccleſiæ, *de renunciat. c. 1.*

Renunciare poteſt Epiſcopus, ſi ſine mortis periculo ibi ſtare non poteſt, *ibid. c. ad ſupplicationem.*

Renunciare non poteſt Epiſcopus per humilitatem *ibid. c. niſi cum.*

Cauſę propter quas Epiſcopus poteſt renunciare ſunt iſtæ; ſcilicet ob conſcientiam criminis; ob debilitatem corporis; ob defectum ſcientiæ; ob malitiam plebis; ob graue ſcandalum; & ob irregularitatem. *De renunciat. c. niſi cum pridem.* Vbi habetur omnium harum cauſarum diſtincta declaratio.

Renuncians Epiſcopatui propter crimen, non poteſt iterum reaſſumere, niſi diſpenſet Papa, *ibid. c. poſt tranſlationem.*

Item, & qui renunciauit, & ad monaſticam vitam receſſit *ibidem.*

Epiſcopus Eccleſiam relinquens non poteſt amplius ſe in ea immiſcere, ſed eſt inuaſor, ſi id facit. *Greg. 7. l. 8. ep. 15. & 17.*

Epiſcopus qui renunciauit validè ordinat, ſed ordinatus ſuſpenditur ab executione officij. *De ordinatis ab Epiſcop. qui renunciauit c.*1.

Epiſcopus qui loco renunciat, poteſt inuitari ad ordinationes faciendas; Si verò renunciat dignitati etiam, ſolum minores ordines dare poteſt; ſi dat maiores, ordinatus remanet ſuſpenſus ab executione. *Concil. Later.* 3. *in append. tit. de depoſit. c.*18.

Petens licentiam renunciandi ſi obtinet compellendus eſt exequi. *Concil. Later.* 4. *c.*28.

Epiſcopi aliquando poſſunt ſubditos deſerere, quando ſcilicet, vergit in maius bonum Eccleſiæ 7. *quæſt.* 1. *c. ibi adunati*.

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum quoad mutationem, ſeu tranſlationem Eccleſiæ.

EPiſcopus non poteſt ambire Eccleſiam alterius, ſub pœna depoſitionis. *Concil. Conſtantinop.* 4. *c.*9. *Concil. Antioch. c.*21.

Epiſcopi non debent transferri de ciuitate in Ciuitatem. *Concil. Nicæn.* 1. *c.* 15. *Concil. Aquiſgran. ſub Ludouico Pio c.* 43. *Concil. Calced. c.*5. *&* 20.

Epiſcopus ambiens Eccleſiam maiorem, vtraque careat 7. *q.* 1. *cap. ſi quis de ordine*.

Epiſcopus non tranſeat ad aliam Eccleſiam, ſed in ſua maneat 7. *q.*1. *c. non oportet c. Epiſcopum c. propter c. placuit, vt nemini, & c. ſicut vir*. *De conſecr. diſt.*4. *c. non licet fieri*.

Epiſcopus non poteſt transferri inuitus. *Concil. Later.* 5. *ſeſſ.* 9. *Bulla de reform. Curiæ c.*1.

Epiſcoporum mutationes quando poſſunt fieri 7. *q.*1. *c. mutationes*.

Poſſunt fieri ex vtilitate, vel neceſſitate Eccleſiæ *ibid. & c. ſcias c. temporis*. Debent fieri ex iuſta cauſa *Ioannes* 8. *ep.* 8. *Concil. Conſtantinop. ſeſſ.* 39. *Pelagius* 2. *ep.*1. *&* 10.

Non poteſt Epiſcopus tranſire ad alium Epiſcopatum propria auctoritate *de tranſlatione Epiſcop. c.*1. aliàs vtroque caret, *de elect. c. quanto*, *de Clericis non reſidentibus c.* 1. excommunicatur. *Concil. Sardicen. Can.* 5.

In Epiſcopatuum mutatione debet intereſſe auctoritas Papæ cum neceſſitate. *Anterus ep. vn.*

Ex neceſſitate poteſt Epiſcopus fieri Archiepiſcopus in alia Ciuitate. *Concil. Nicæn. ex Arabico c.*72.

Epiſcopus tranſlatus non poteſt conferre beneficia prioris Eccleſiæ, & priuilegia in contrarium abrogantur. *Vrbanus* 8. *Conſtit.* 60. *licet*. Excipiuntur Epiſcopi, Oſtienſis, ac Veliternus, Portuenſis, Tuſculanus, Præneſtinus, Sabinenſis, & Albanenſis, qui conferre poſſunt beneficia Eccleſiarum, quibus nouiſſimè præfuerunt *ibidem*.

Qui negat Epiſcopum ex iuſta cauſa neceſſitatis poſſe à Papa transferri ab vna Ciuitate in aliam, errat. *Pelagius* 2. *ep.* 1. *&* 10.

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum quoad ſucceſſorem ipſo viuente.

ELectio ſucceſſoris facta ab Epiſcopo viuente eſt inualida. *Concil. Antioch. c.* 23. *Concil. Lucen.* 2. *c.*8. 8. *q.*1. *c. plerique c. Epiſcopo non liceat, & c. Epiſcopo non licere. Concil. Hiſpalen.* 1. *c.*8. *Concil. Rom. ſub Hilario*.

Si Epiſcopo viuente alius eligitur excommunicatur *Ioannes* 8. *ep.* 4. priuatur, cuſtodiæ traditur, & ad Papam mitti-

mittitur. *Gregor. l. l. 11. ex regeſt. ep. 52.*

Si Epiſcopus priuetur ex delicto &c. alius poteſt eligi. *Gregor. l. l. 2. ep. 3. Concil. Nican. ex Arabico c. 28. 7. q. 1. c. factus Cornelius, c. Pontifices, c ſicut vir 8. q. 1. c. Epiſcopo non liceré, c. Epiſcopo non liceat.*

Epiſcopo ſtante ſub iudicio Papæ non poteſt eligi ſucceſſor eius. *Sixtus 2. ep. 1. 3. q. 6. c. accuſatus Iulius I. ep. 2. c. 3.*

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum quoad anteceſſorem.

SVcceſſor ſeruare debet decreta anteceſſoris. *Gregor. l. lib. 5. ep. 12. 25. q. 1. c. Iuſtitia c. 2. c. ſi ea deſtruerem c. deceſſorum, & c. quæcumque.*

Epiſcopus ſucceſſor debet confirmare benè facta anteceſſoris. *Symmacus ep. 1.*

Epiſcopus ſucceſſor poteſt reuocare conceſſiones factas ab anteceſſore cōtra Canones. *Honorius 3. ex Cirone de reb. Eccleſ. non alien.*

Malè facta prædeceſſoris debent corrigi à ſucceſſore 35. *quæſt. 9. c. loci c. quod quis c. Apoſtolica, & c. veniam Concil. Rom. ſub Hilario c. 4.*

Pena anteceſſoris non obligat ſucceſſorem. *De precariis c. de precarijs.*

Epiſcopus ſucceſſor non tenetur ad obligationes, quas anteceſſor irrationabiliter contraxit. *Concil. Carthag. 3. in addit. c. 2.*

Succeſſor poteſt retractare contractus factos à prędeceſſore, ſi fecit abſq; ſolemnitate, vel contra ius. *De rerum permutat. c. vt commutationes.*

SACRI CANONES

Spectantes ad locum Epiſcopi in Eccleſia, vel alibi.

EPiſcopus in Eccleſia ſublimior cæteris clericis, & Presbyteris ſedeat; in domo verò non. *Concil. Carthag. 4. c. 35. Concil. Hiſpal. c. 10. poſt Conc. Tolet. 8. diſt. 21. c. Cleros diſt. 95. c. Epiſcopus in Eccleſia.*

Epiſcopi locus fit è regione altaris, & Archidiaconus ſtet ad latus eius dextrum. *Concil. Nican. ex Arabico c. 57.*

Epiſcopi in Cappella præcedunt Protonotarios Apoſtolicos. *Pius 2. Conſt. 4. cum ſeruare.*

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum ſimoniacum; ſeu vendentem officia.

EPiſcopus accipiens pretium ex aliqua ordinatione, vel promotione ad dignitates, excommunicatur. *Concil. Nican. 2. Can. 4. Concil. Rom. 5. ſub Gregor. 7. c. 4.* Nihil poteſt exigere nec à laicis, nec à monachis *ibidem.*

Epiſcopi vendentes officia, vel beneficia, ſuſpenduntur ab officio 1. *q. 3. c. ſi quis Epiſcopus prabendas c. quæſitum, & c. ex multis.*

Epiſcopus ordinans per pecuniam priuandus eſt *ibid. & c. fin.*

Epiſcopus nihil ſolui permittat propter profeſſionem, ſepulturam &c. *De ſimonia c. audiuimus Concil. Sabin. c. 20.*

Epiſcopus dans beneficium per pecuniam ex tunc ſuſpenditur à collatione omnium beneficiorum, quæ ex eo tempore vacabunt. *Concil. Sabin. c. 20.* etiamſi permittat hoc fieri; dummodo ſciat *ibidem.*

Epiſco-

Epiſcopus recipiens pecuniam pro inſtituendis Eccleſiæ Rectoribus, eſt ſimoniacus, tenetur reſtituere duplum. *De ſimonia c. audiuimus.*

Epiſcopus concedens iuriſdictionē Epiſcopalem pro pretio priuatur poteſtate concedendi, ementes verò priuantur ſuo officio. *Ne Prælatis c. 1. & c. quoniam in quibuſdam.*

Paſtor ſimoniacus nihil boni conſert ouibus 1. *q.* 1. *c. fertur.*

Epiſcopus promittens beneficium pro ſpirituali obſequio eſt ſimoniacus. *De ſimonia c. Cum eſſent.*

Abſoluens excommunicatum pro pecunia, eſt ſimoniacus *ibidem c. Adanes.*

Remittens exigentiam decimarum pro pecunia, eſt ſimoniacus. *De rerum permutat. c. fin.*

De ſimonia infamatus, licet non conuictus, tenetur ſe purgare, & ſi deficit punitur, vt reus. *Concil. Later.* 3. *in append. tit. de ſimonia.*

Simoniacus ſine miſericordia eſt deponendus. *Concil. Rom. ſub Alexandro* 2. 1. *q.* 1. *c. erga ſimoniacos.* Si laudabiliter viuant poteſt eis dignitas conſeruari 1. *q.* 5. *c. eos qui.*

Simoniacę electiones, poſtulationes, prouiſiones Monaſteriorum, dignitatum, officiorum, Eccleſiarum, beneficiorum quorumcumque ſunt nullæ ipſo iure. *Martin.* 5. *in Concil. Conſtant. ſeſſ.* 43. Et ſic electi, inſtituti &c. præter excommunicationem Papæ reſeruatam, quam ipſo facto incurrunt, non poſſunt facere fructus ſuos. *Extra de ſimonia c. cum deteſtabile, Eugenius* 4. *Conſtit.* 7. *cum deteſtabile.*

Epiſcopus poteſt cognoſcere, & punire ſimoniam, quæ committitur in adminiſtratione Sacramentorum. *Pius* 5. *Conſtit.* 5. *cum primum* §. 9.

Simoniaci cuiuſcumque conditionis ſint, ſiuè Epiſcopi, ſiuè Archiepiſcopi, vel Cardinales, ipſo facto ſunt excommunicati: tàm dantes, quàm accipientes; & promoti ipſo facto ſuſpenſi ſunt ab ordinibus acceptis. *Extra de ſimonia c. cum deteſtabile.*

Simoniam reuelans, etiamſi complex ſit, impunitatem lucratur *ibidem.*

Simoniaci omnes, vt ſuprà, etiam Reges &c. incurrunt excommunicationem Papæ reſeruatam; ſuſpenſionem &c. *Eugenius* 4. *Conſtit.* 7. *cum deteſtabile.*

Pœnas omnes contra ſimoniacos confirmat, *Alexander* 7. *Conſtit. inter grauiſſimas data die* 22. *Auguſti* 1656. quā operæ pretium eſt videre.

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum infirmum.

Epiſcopus qui non poteſt ſua munera exercere, alium vocet pro illis. *Concil. Arauſic.* 1. *c. vlt. Concil. Turon.* 7. *c.* 4. de licentia Papæ poteſt coadiutorem aſſumere. *Gregor.* 7. *l.* 2. *ep.* 5.

Epiſcopus infirmus non eſt priuandus. *Conc. Turon.* 3. *c.* 4. (niſi ſit inſenſatus, & inhabilis ad opera humana; tunc enim poteſt alius eligi. *Gregor.* 7. *l.* 3. *ep.* 8. *&* 9. *l.* 5. *ep.* 19.) 7. *q.* 1. *cap. Pontifices.*

Epiſcopo grauato ex infirmitate, datur coadiutor 7. *q.* 1. *c. non autem c. petiſti, & c. quia frater de Clerico ægrotante cap. ex parte tua* ſi morbus ſit incurabilis, *de Clerico ægrot. in* 6. *c.* 1. ſi nolit aſſumere quid agendum *ibid.*

Coadiutore dato, principalis non priuatur authoritate. *De ſupplenda negligentia Prælatorum in* 6.

Coadiutor datur ſine ſpe ſucceſſionis, niſi vrgente grauiſſima cauſa, cum Papæ diſpenſatione. *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *de refor. c.* 7.

Epiſ-

Epiſcopus infirmus faciat viſitare Diœceſim per alium 10. *quaſt.* 1. *cap. Epiſcopum*

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum factum Regularem.

EPiſcopus, qui fit regularis nequit redire ad Epiſcopatum 7. q. 1. *cap. hoc nequaquam.*

Epiſcopus ſine Papæ licentia non poteſt relinquere Epiſcopatũ, vt fiat religioſus. *de regularibus c. licet quibuſdam.*

Epiſcopus rediens ad Clauſtra non poteſt obtinere officia Religionis, & priuilegia in contrarium abrogantur. *Paulus* 4. *Conſtit.* 21. *in Sacra.*

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum quoad viſitationem.

EPiſcopus tenetur quolibet anno viſitare Diœceſim. *Concil. Aurelat.* 4. *c.*17. *Concil. Tarracon. c.* 8. *Concil. Hiſpal.* 1. *c.*4. *Toler.* 4. *c.*36. *Conc. Emerit. c.*11. *Concil. Pariſien.* 6. *l.* 1. *c.*31. *Concil. Trid. ſeſſ.* 7. *de refor. c.* 8. *& ſeſſ.* 24. *de refor. c.* 3. 10. *q.* 1. *c. decernimus.*

Si non poteſt per ſe, per alium viſitet 10. *q* 1. *c. Epiſcopum.*

Si non ſit infirmus tenetur per ſe ipſum viſitare omnes Eccleſias exemptas curatas. *Concil. Meldenſe c.*29. *Concil. Trid ſeſſ.*24. *de refor. c* 3.

Epiſcopus viſitans non ducat ſecum multas perſonas, ſed plures, vel pauciores iuxta Eccleſiarum paupertatem; nec vnquam ſupra 30. quiſquis ſit. *Concil. Later.* 3. *c.*4. *de cenſib. c. cum Apoſtolus Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *de refor c.*3.

Epiſcopus viſitans per vnum tantum diem maneat in qualibet Eccleſia viſitata. *Concil. Tolet. c.* 4. Citò ſaltem, ſed diligenter ſe expediat, fugiendo ſumptus, & grauamina Eccleſiarum. *Concil. Trid. ibid.*

Epiſcopus viſitans non grauet Eccleſias. *Concil. Later.* 3. *in append. tit. de ſimonia c.* 6.

Poteſt in actu viſitationis exigere procurationem ſolitam. *Concil. Later.* 4. *c.*33. Nihil exigere poteſt præter ſolitum. *Concil. Later.* 4. *Can.* 65. *Concil. Trid. vbi ſupra.*

Epiſcopus viſitans, à Presbyteris recipiendus. *Concil. Ratiſpon.*

Viſitante Epiſcopo, omnia ei paranda ab Eccleſia viſitata. *Concil. Emeriten. c.*11.

Danda prandia iuxta mediocritatem loci 10. *q.* 3. *c. vlt. Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *de refor. c.*3. frugaliter, & modeſtè c.4.

Epiſcopus viſitaturus cum campanis pulſantibus eſt recipiendus; cum cottis, pluuialibus, incenſo, & aqua benedicta, &c. & ipſe benedicit ſolemniter. *Concil. Rauenn.* 3. *poſt Clem.* 5. *c.*6.

Epiſcopus viſitans non poteſt grauare ſubditos; nec aliquid ab eis accipere. *Concil. Cabilon.* 3. *c.* 14. Nihil pro ſe, aut ſuis accipiat, niſi quod de iure debetur. *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *de refor. c.* 3.

Non poteſt accipere munera, aliàs excommunicatur, & in duplo reſtituere debet intra menſem. *Concil. Trid. ibid.*

Viſitati poſſunt ſi volunt, & ſi ſit cõſuetudo, in pecunia dare, quod deberent expendere pro victualibus; & ſi ſit conſuetudo nihil dandi, obſeruetur in poſterum. *Concil. Trid. ſeſſ* 24. *de refor. c.* 3.

Epiſcopus viſitans tenetur inquirere quomodo conferatur baptiſmus, quomodo celebrantur Miſſæ. Debet inſtruere populos de articulis fidei, & alijs. Præcipiat cathechiſmum doceri,

ri, &c. *Concil. Brachar.* 2. *c.* 1. 10. *q.* 1. *c. placuit omnibus*.

Epiſcopus curet in viſitatione quæ pertinent ad profectum animæ. Item ſi in Eccleſia ſint vtenſilia decentia, ſi calices argentei, libri, veſtes, &c. neceſſaria ad Dei cultum, & miniſterium Sacramentorum. *Concil. Londin.* 1. *c.* 5. Tenetur curare, vt Eccleſiæ non fraudentur debitis obſequijs. *Concil. Trid. ſeſſ.* 7. *de refor. c.* 8.

Viſitantes tenentur ſacram doctrinã inducere, hæreſes profligare, prauos mores corrigere, bonos tueri, & alia facere iuxta locorum, & temporum exigentiam. Tenentur modeſtè, & benignè cum populis tractare. *Concil. ſeſſ.* 24. *de refor. c.* 7.

Non permittant, vt Patroni, vel fundatores tempore viſitationis ſe ingerant in ijs, quæ pertinent ad Sacramentorum adminiſtrationem. *Concil. Trid. ibidem c.* 3.

Epiſcopi viſitare poſſunt omnes Eccleſias ſuæ Diœceſis non exemptas, etiam viſitatas ab alijs habentibus hoc ius viſitandi; etiam eas, quas Capitulum facit viſitare, ſi habet hoc ius. *Concil. Trid. ibid. c.* 3.

Approbare debent Epiſcopi viſitatores electos à Capitulo habente hoc ius viſitandi. *Concil. Trid. ibid. c.* 3.

Epiſcopus non viſitans exigens procurationes, eſt priuandus. *Concil. Tolet.* 1. *c.* 2.

Epiſcopus non viſitans non poteſt exigere quæ debentur viſitanti 10. *q.* 1. *c. relata*. Neque ſi per alium viſitat poteſt ab eo aliquid accipere. *De offic. Iud. ordin. in* 6. *c. ſi Epiſcopus*.

Poteſt accipere quæ ſunt de conſuetudine, vel indulto Apoſtolico conceſſa, *extra de cenſib. c. Vas electionis in fine*. Quid ex indulto Apoſtolico poſſit accipere viſitans per alium *ibid.*

Epiſcopi viſitantis officiales, ſi aliquid accipiant reſtituere debent in duplo *ibidem*.

Epiſcopus viſitans Monaſterium nõ tenetur vti Monacho pro Notario; ſed Clericum habere debet Notarium, non Sæcularem, *extra de offic. Iud. ordin. c.* 1.

Epiſcopus viſitans, & non ſatisfaciens ſuo muneri, non poteſt exigere procurationem ſolitam. *Concil. Londin.* 1. *c.* 5. & reſtituere debet quod accepit. *Concil. Later.* 4. *c.* 33.

Epiſcopus viſitans Monaſterium non introducat in illud Sæculares, ſed Canonicos, vel alios religioſos. *De offic. Iud. ordin. c. vt iuxta*. *Extra de offic. Iud. ordin. c.* 2. Ad minus vna perſona ſit religioſa, alij duo Clerici *ibid.*

Epiſcopi in omnibus regnis, & nationibus viſitantes, quid exigere poſſunt. *extra de cenſib. c. Vas electionis*.

Epiſcopus viſitans quot famulis, & equis poteſt vti. *De cenſibus c. cum Apoſtolus*.

Epiſcopus vicinus poteſt viſitare beneficia, & Eccleſias Sæculares nullius Diœceſis, vt delegatus Papæ, non obſtantibus priuilegijs. *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *de refor. c.* 9.

Epiſcopus viſitans per alium omnia debet ei miniſtrare præter expenſas victualium, & nihil poteſt à viſitatore accipere. *De offic. Iud. ord. in* 6. *c. ſi Epiſcopus*.

Epiſcopus ſingulis annis tenetur viſitare Monaſteria Monialium, ſiuè ſibi, ſiuè Papæ ſubiecta, prima quidem poteſtate ordinaria, ſecunda, vt delegatus Papæ. *Clement. de ſtatu Monachor. c. fin.*

Epiſcopus viſitans Moniales duos Notarios ſecum habeat, & alios quatuor honeſtos viros præſentes viſitationi. *ibid.*

Impedientes Epiſcopum ne viſitet Mo-

niales, ipſo facto ſunt excommunicati, non obſtante priuilegio *ibidem Clem. vt ſupra*.

Epiſcopus vt delegatus Papæ poteſt viſitare Hoſpitalia, Collegia, Confraternitates, etiam quas vocant Scholas, exiſtentes in manibus laicorum, non verò, quæ ſunt ſub Regum protectione, niſi de eorum licentia. Item omnia loca pia, quæ ad Dei cultum, vel pauperum adiutorium inſtituta ſunt: & poteſt in ijs diſponere quæ ſunt neceſſaria ad animarum ſalutem, non obſtantibus priuilegijs, &c. contrarijs. *Concil. Trid. ſeſſ.* 22. *de refor. c.* 8.

Epiſcopus poteſt viſitare omnia beneficia curata quot annis, etiam perpetuò vnita Cathedralibus, Collegijs, Monaſterijs, &c. *Concil. Trid. ſeſſ.* 6. *de refor. c.* 7.

Epiſcopus vt delegatus Papæ poteſt viſitare beneficia omnia, ſiuè curata, ſiuè non curata, ſiuè exempta, ſiuè non exempta, ſiuè de Eccleſia nullius Diœceſis, vt dictum eſt ſuprà. *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *de refor. c.* 9.

Ex defectu viſitationis ortæ ſunt hæreſes in Eccleſia. *Concil. Colon.* 3. *tit. de quarto c.* 1.

Priuata Oratoria viſitata ab Epiſcopo non tenentur ad procurationes, *de cenſib. c. ſin.*

Familiares viſitātis nihil poſſunt accipere pro munere, *extra de cenſib. c. vas electionis*.

Officiales viſitantis, nec pecuniam vltra taxam, neque munera accipere poſſunt à viſitatis. *De cenſib. in* 6. *c.* 1. §. *Procurationes, extra de cenſib. cap. vas electionis*.

Epiſcopus viſitaturus Diœceſim hāc formam ſeruare debet, vt priùs ſuam Eccleſiam, deinde alias viſitet. *De cenſib. in* 6. *c.* 1. § *Poſtquam*.

Epiſcopus viſitans poteſt in locum vicinum vocare Parochum, caueat tamen ne illum grauet. *Concil. Colon.* 3. *tit. de quarto c* 7.

Poteſt vti cenſuris Eccleſiaſticis, & alijs pœnis *ibid. c.* 5.

Epiſcopus tenetur priùs viſitare Ciuitatem, deinde Diœceſim. *Conc. Mediol.* 1. *p.* 2. *tit. de viſitatione*.

In Ciuitate prius Cathedralem poſtea collegiatas, & Parochiales, deinde ſeminaria, Scholas, ſodalitates, Hoſpitalia, & cætera loca pia *ibidem*.

Epiſcopus tenetur ſignificare Parocho, & populo viſitationem paucis diebus, antequam ipſe incipiat viſitare. *Concil. Colon.* 2. *p.* 14. *c.* 7.

Curet Epiſcopus, vt in viſitatione fiat concio de omnibus, quæ vtilia ſunt, & hoc ex diuerſis ſcripturis, *ibid. c.* 8.

Faciat Epiſcopus indagationem de vita, & moribus; congrua ſuſtentatione; habitu, tonſura; & miniſterio Parochi; an in Parochia ſint Hæretici, vel Schiſmatici: De cultu Diuino, an regnent in ea grauia crimina, ſi Cenſuræ Eccleſiæ contemnuntur, vel ſeruantur, ſi Sacramenta percipiuntur &c. *ibidem*.

Item videat ſi pueri inſtruantur, & qui ſint Scholarum Magiſtri *ibidem c.* 14. Hoſpitalia, &c. quomodo gubernentur: De vitijs locorum. Quomodo Parochus exercet munus ſuum; ſi cuſtodit fontem Baptiſmi, Chriſma, Euchariſtiam; ſi veſtes Eccleſiaſticæ Mundæ ſint; ſi Altaria decenter ornata, ſi fiunt alienationes de rebus Eccleſiæ, & cætera ſimilia. *Concil. Colon.* 2. *p.* 14. *c.* 16.

In viſitatione non imponantur pœnæ pecuniariæ delinquentibus, ſed pœnæ Canonicæ, *ibidem c.* 19.

Curet Epiſcopus in viſitatione, & etiam alij, vt cuſtodiatur fides Catho-

lica, & morum diſciplina. *Concil. Mediola.* 1. *p.* 2. *tit. de viſitat.*

Epiſcopus viſitans tenetur hortari omnes ad pacem, Religionem, & concordiam. *Concil. Mediol.* 1. *ibid. vbi plura de viſitatione.*

De Canonicis, & alijs Miniſtris quęrat Epiſcopus, an ritè ſint ordinati; ſi ad ordines, quos requirit eorum munus; ſi legitimè obtinent beneficia, dignitates, &c. & ſi ſint intruſi. Si aſſiſtunt celebritati officiorum, miſſarum, Anniuerſariorum, & an ſatisfaciant ſuo muneri. Quomodo viuunt, quomodo veſtiuntur; ſi artibus ſordidis vacant; ſi defendunt iura Eccleſiæ; ſi fructus Eccleſiæ benè diſponunt; ſi pacem inter ſe, & cum alijs conſeruant; ſi inimicitias in populis componunt. Si populi Miſſas audiunt, ſi piè in Eccleſijs verſentur, & Diuina officia reuerenter audiunt. *concil. Mediol.* 1. *p.* 2. *de viſitatione.*

De Parochis quærat Epiſcopus, an ritè Sacramenta miniſtrent, an libros habeant baptizatorum, confirmatorum, coniugiorum, compatrum, mortuorum, &c. An Sacramentum Euchariſtiæ, Chriſma, & alia Sacra purè, mundè, ac decenter ſeruentur. An matrimonia ex Conc. Tridentini decretis fiant; an ſuis Eccleſijs ſeruiant; an prædicent, an pueros doceant fidei rudimenta *ibidem.*

De populo, an in eo ſint aliqui Hæretici, Vſurarij Concubinarij, Inimici. Qui Quadrageſimam non obſeruant. Qui non confitentur, alioſue ritus Eccleſiæ non ſeruant. Qui legata non exequuntur. An parentes benè educent filios, & piè *ibidem.*

Item conſideret qui ſint Confeſſarij in locis, & an probatæ vitæ, & doctrinæ. An Hoſpitalia benè miniſtrentur, & an eorum Miniſtri piè viuant. In Scholis quos libros Magiſtri declarant Scholaribus; an ſuo muneri ſatisfaciãt, an habeant requiſita circa mores, & vitam, & an in Bibliothecis ſint libri prohibiti *ibidem.*

Si in his omnibus, & alijs corrigendum ſit aliquid, innouandum, tollendũ &c. per iuris remedia, ac cenſuras exequatur. *Concil. Mediol.* 1. *vbi ſupra.*

Epiſcopus viſitans, quoad victum, equitatum, & conuitatum, obſeruet præſcriptum à Tridentino Concilio, *ibidem.*

Epiſcopus viſitans ſecũ habere non poteſt plures quàm quindecim homines, & duodecim iumenta ad ſummũ. Si plures habet, de ſuo alat *ibidem*, ſi inferior, debet habere pauciores *ibidem.*

Epiſcopo viſitante etiam Eccleſia Ciuitatis debet dare procurationes. *De cenſibus c. venerabili.*

Epiſcopus viſitans ſiuè vnum, ſiuè plura loca in vna die, vnam tantum procurationem poteſt recipere non plures. *De cenſibus in 6. c. fel.*

SACRI CANONES
Spectantes ad Epiſcopum quoad Concilia, & Synodos Prouinciæ, & Diœceſis.

Epiſcopus tenetur ire ad Synodum Generalem, & Prouinciæ, & ſi ipſe non poteſt mittat legatum. *Conc. Carthag.* 4. *c.* 31. *Concil. Laodicen. c.* 40. *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *de refor. c.* 2.

Non excuſatur ex detentione Principum, ne eat ad Concilium, ſed ex ſola infirmitate, & pœna delinquentium. *Conc. Conſtantinopol.* 4. *c.* 15. Excuſat etiam Paganorum incurſio *ibidem* 5. *q.* 3. *c. ſi agrotarij.*

Epiſcopus accuſatus ſi vocatur à Synodo tenetur ire, vel per alium reſpondere. *Pelin* 2. *ep.* 1. *c.* 6.

Epiſcopi non tardent ire ad Concilia,

cilia, & Synodos. *Diſt.* 18. *cap. Epiſcopus.*

Epiſcopus recuſans ire ad Synodum excommunicetur. *Concil. Tarracon. c.*6. *Concil. Agat. c.* 35. *Concil. Hiſpalen.* 1. *c.* 10. Et vſque ad aliam Synodum maneat excommunicatus *ibid. Diſt.* 18. *c. ſi quis Epiſcoporum c. ſi Epiſcopus c. ſi quis cap. peruenit.*

Impotentes ire ad Synodum literas excuſatorias mittant. *Diſt.* 18. *c. placuit.*

Concilia Prouincialia Epiſcoporum quolibet triennio fieri debent. *Concil. Trid. ſeſſ.*24. *de refor. c.*2.

Concilium Synodale fieri debet ab Epiſcopo quolibet anno *ibidem.*

Ordo Epiſcoporum in Concilijs attenditur iuxta antianitatem conſecrationis eorumdem. *Gregor. I. l.* 7. *ex regeſt. ep.* 114. *diſt.* 18. *c. placuit.*

Metropolitanus non celebrans Concilia Prouincialia puniendus eſt, & quomodo. *Diſt.* 18. *c. quoniam.*

Epiſcoporum Concilia nihil firmum poſſunt concludere ſine conſenſu Metropolitani. *Concil. Rom.* 4. *ſub Symmaco c.* 3.

Epiſcopi redeuntes à Concilijs debent intra ſex menſes manifeſtare ſuis Eccleſijs decreta Conciliorum, ſub pœna excommunicationis per duos menſes. *Diſt.* 18. *c. decernimus.*

Epiſcopus non celebrans omni anno Synodum Diœceſanam ſuſpenditur ab officio. *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *de refor. c.* 2. *Concil. Later.* 4. *can.* 6.

Ad Synodum tenentur ire omnes Eccleſiarum Rectores, etiam exempti, & pœnæ *ibidem Concil. Trid. ibid.*

Tenentur Epiſcopi in Synodo tractare de obſeruantia Canonum, de reformatione, &c. *Concil. Sabin. c.* 2.

Epiſcopus non poteſt à Concilio diſcedere, niſi eo completo, ſub pœna excommunicationis. *Wormat.* 1. *c.* 16. *Concil. Aurel.* 5. *c.* 18. *diſt.* 18. *c. ſi quis autem.*

Epiſcopus compellere poteſt omnes Abbates, & Sacerdotes, vt Synodo adſint. *De maiorit. & obed. c. quod ſuper.*

Ad Synodum conuenire etiam debent omnes Prælati, & Decani rurales, ideſt Rectores Eccleſiarum, & de reformatione in ea agendum eſt. *Concil Colon.* 2. *p.* 14. *c.* 18.

Synodi decreta per dictos Decanos, &c. in ſuis Eccleſijs publicanda ſunt, *ibidem c.* 19.

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum quoad Regulares exemptos, & eorum Monaſteria.

EPiſcopus non habet iuriſdictionem in Regulares, neque eorum Monaſteria. *Concil. Rom* 3. *ſub Greg. I. c.* 1. 18 *q.* 2. *c. quam ſit neceſſarium. De Religioſis Domibus c. cum dilectus. De ſtatu Monachorum c.* 1. excepta cauſa diſciplinæ *ibidem.*

Non poteſt de rebus Monaſteriorum diſponere. *Concil. Rom.* 3. *ſub Greg. I. c.* 3. *Concil. Toles.* 4. *c.* 51.

Epiſcopus nullam poteſt exercere iuriſdictionem in Eccleſijs, vel Monaſterijs Regularium, neque grauamen eis inferre. Excepto quod poteſt in eis Pontificaliter celebrare, & populo benedicere. *Clem. de exceſſibus Priuilegiatorum c. fin.* 18. *q.* 2. *c. quam ſit neceſſarium, & c. luminoſo.*

Epiſcopi non poſſunt in nullo grauare Regulares. *De exceſſibus Prælatorum c. nimis iniqua, & c. nimis praua, Clement. de cenſibus c. ad noſtrum.*

Ad Epiſcopum ſpectat dare Regularibus conceſſionem abſoluendi. *Concil. Rauenn.* 4. *ſub Ioanne* 22. *c.* 2. *Concil. Later.* 5. *ſeſſ.* 11. *conſtit.* 4. *Concil. Trid. ſeſſ.* 23.

23. *de refor. c.* 15. Regulares tamen pro audienda Confeſſione ſuorum fratrum non egent licentia Epiſcopi. *De exceſſib. Prælat. c. nimis iniqua, extra de Priuileg. c. inter cætera.*

Vrbanus 8. *conſtit.* 92. *cum ſicut*; decernit, nullum Confeſſariũ audire poſſe confeſſiones Sæcularium ſine approbatione, & examine Ordinarij, neque Regulares, & reuocat omnia priuilegia contraria.

Epiſcopus caritatiuè tractare debet cum Regularibus, *extra de ſepulturis c. ſuper Cathedram*; & ipſis non detrahat, ſed faueat. *Extra de tregua, & pace c. vices illius* Concil. Later. 5. *ſeſſ.* 11. *conſtit.* 4. *dum intra.*

Epiſcopo procedenti in cauſa Hæreticorum omnes Regulares ſunt ſubiecti, vt delegato Papæ. *De hæret. cap. ad abolendum.*

Epiſcopus tenetur inuigilare, vt in Monaſterijs tàm virorum, quàm mulierum vigeat obſeruantia, & obſeruetur Regula, eoque non faciente Metropolitanus faciat. *Concil. Veruen. c.* 5. & ad hoc viſitare poteſt, vt delegatus Papæ. *Concil. Trid. ſeſſ.* 21. *de refor. c.* 8.

Poteſt Epiſcopus corrigere Regulares, vt canonicè viuant. *ibid. c.* 3. *de ſtatu Monachor. c.* 1.

Epiſcopo tranſeunte per loca Diœceſis in Monaſterijs Regularium pulſandæ ſunt campanæ. *Concil. Rauen.* 3. *poſt Clem.* 5. *c.* 6.

Non poteſt in loco exempto Regularium ſedere pro tribunali, & ius dicere. *De offic. ordin. in* 6. *c. cum Epiſcopus.*

Si iuſpatronatus tranſit ad Regulares, Epiſcopus perdit Ius ſuum. *De Iure patronatus c. cum ſaeculum.*

Non poteſt Epiſcopus præficere Rectores, &c. beneficiatos in Eccleſijs Regularium, qui ad eos pertinent, niſi in tempore ſtatuto Regulares præſentent. De ſupplenda negligentia, &c. *c. ſicut nobis.*

Non poteſt à Regularibus aliquid exigere. *Concil.* 2. *c.* 4.

Non poteſt ordinare Regulares inuitis eorum ſuperioribus. *Compil. Rom.* 3. *ſub Greg. l. c.* 3.

Non poteſt cogere Regulares, vt donent ſua bona Eccleſiæ. *Concil. Cabilon.* 3. *c.* 7.

Poteſt procedere contra exemptos vſurpantes bona locorum piorum. *Clem. de religioſis domibus c. quia contingit.*

Epiſcopus poteſt capere Regularem vagabundum, & eum conſignare debet ſuperiori. *De offic. Iud. ordin. c. quanto deuotio. Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 4.

Poteſt procedere etiã per priuationẽ officij, vt tales vagos ſuperiores puniant *ibid.*

Item procedere poteſt Epiſcopus contra eos, qui miſſum ad ſtudia non habitant in conuentibus. *Concil. Trid. ibidem.*

Non poteſt tenere Religioſos in Diœceſi, ſine ſuperiorum licentia. *Concil. Melfit. c.* 10.

Poteſt compellere Regulares, vt accedant ad Proceſſiones, exceptis perpetuò clauſis. *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de refor. c.* 13.

Epiſcopus poteſt compellere Regulares ad exequenda onera Eccleſiarũ, legata, &c. *Clem. de Iure patron. c.* 1.

Non poteſt excommunicare, vel interdicere Regulares habitantes in cellis, neque eorum cellas. *De verborum ſignificat in* 6. *c. Priuilegium.*

Epiſcopus viſitans Monaſteriũ (quãdo à eſt ſibi conceſſum) non tenetur vti Regulari pro notario, ſed alio Clerico tenetur vti. *Extra de off. Iud. ord. cap.* 1.

Epiſcopus concedens aliquam Eccleſiam

cleſiã Regularibus, poteſt ſibi reſeruare aliquem cenſum. *De religioſis domibus c.conſtitutus.*

Epiſcopi poſſunt examinare Religioſos promouendos ad ordines. *Concil. Later. 5. ſeſſ. 11. Conſtit. 4. dum intra.*

Poteſt componere lites præcedentię inter Regulares. *Concil. Trid. ſeſſ. 25. de refor. regul. c. 13.*

Epiſcopus circa Monaſteria exempta Monialium nullam habent iuriſdictionem niſi circa Clauſuram. *De ſtatu Regul. in 6. c. vn. §. fin.* Et inuigilare debent in hac, vt delegati Papæ; & vti poſſunt brachio Sæculari, ſi opus eſt. *Conc. Trid. ſeſſ. 25. de refor. regul. c. 5.* vide Canones ſpectantes ad Epiſcopum circa Moniales.

Ad Epiſcopum ſpectat benedicere Eccleſias Regularium, & primum lapidem ponere. *Concil. Later. 5. ſeſſ. 11. Conſtit. 4. dum intra.*

De locis Regularium, & alijs exemptis poteſt Epiſcopus extrahere perſonas Eccleſiaſticas, eaſque capere, & carcerare. *De offic. ordin. in 6. c. cum Epiſcopus.*

In multis caſibus poteſt Epiſcopus declarare Regulares excommunicatos, & qui ſunt. *Clem. de priuileg. & exceſſib. priuileg. c. 1.*

Poteſt omni anno, vt delegatus Apoſtolicus viſitare Monaſteria commendata, Abbatias, &c. & præcipere, vt reficiantur quæ ſunt neceſſaria, &c. hortari ſuperiores, vt viuant regulariter: quod ſi non faciant intra ſex menſes, ipſe viſitat, corrigit, &c. non obſtantibus priuilegijs. *Concil. Trid. ſeſſ. 21. de refor. c. 8.*

Epiſcopus, vt delegatus Papæ impedire poteſt, ne ſuperiores Regularium applicent ſuis menſis beneficia vacantia, neque augeant Penſiones. *Clem. de ſupplen. negligen. c. vn.*

Epiſcopus prouidere poteſt de beneficijs exemptorum, ſi ipſi non prouident intra tempus: Ita tamen, vt quæ per Clericos Sæculares ſolent gubernari dentur Sæcularibus, quæ per Regulares, Regularibus *ibidem.*

Epiſcopus habet iuriſdictionem in regulares degentes extra clauſtra. *Pius IV. Conſtit. 10. de ſalute §. 5.*

Epiſcopo volente prædicare, vel facere coram ſe prædicare, non poſſunt in illa hora regulares prædicare, niſi Epiſcopo conſentiente. *Extra de ſepulturis c. ſuper Cathedram.*

Epiſcopo contradicēte nullus neque Regularis poteſt prædicare. *Concil. Trid. ſeſſ. 24. de refor. c. 4.*

Epiſcopus poteſt cogere omnes exēptos, ſi non habent proprium iudicem, ad ſoluendum debita. *Concil. Trid. ſeſſ. 7. de refor. c. 14.*

Epiſcopi exiſtentes in partibus Infidelium, non admittant ibi Regulares, non habentes licentiam ſuorum ſuperiorum. *Extra de regul. tranſeuntibus c. ad noſtrum.*

Epiſcopus poteſt compellere Regulares vt in Monaſterijs teneant Lectores Sacræ Scripturæ. *Concil. Trid. ſeſſ. 25. de refor. c. 1.*

Epiſcopus poteſt procedere contra Regulares ſepelientes in loco Sacro excommunicatos. *De priuilegijs c. ad hæc.*

Regulares, & exempti non poſſunt contra Epiſcoporum voluntatem exigere decimas à laicis. *De priuileg. c. cum, & plantare.*

Epiſcopus cogere debet reſtituere, qui exigunt decimas indebitas à Regularibus. *De decimis in 6. c. ſtatutum de regular. §. Diœceſani.*

Regulares non poſſunt cogi ab Epiſcopis ad ſoluendas decimas de ſuis hortis, domibus, &c. *De exceſſib. Prælat. cap.*

c. nimis praua. Concil. Later. 3. *in append. tit. de relig. viris c.* 3. Tenentur tamen Regulares ſoluere decimas de rebus, quæ eas ſoluebant, antequam ipſi haberent. *Concil. Later.* 4. *c.* 55. *de decimis, c. nuper.*

Regulares ſunt Epiſcoporum Coadiutores in vinea Domini. *Clem. de ſepulturis c. dudum. Concil. Later.* 5. *ſeſſ.* 11. *Conſt.* 4. *dum intra.*

Epiſcopus non poteſt fieri Regularis ſine licentiá Papæ. *De Regular. c. licet quibuſdam.*

Epiſcopus poteſt compellere Regulares per cenſuras, vt reſtituant Nouitio omnia ſua, volenti exire à Religione. *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de refor. Regular. c.* 16.

Epiſcopus non debet promouere ad Sacros ordines Religioſos ſoluentes pretium pro ingreſſu in Religionem. *Concil. Later.* 3. *c.* 10.

Epiſcopus poteſt declarare excommunicatos ipſo facto Regulares, qui extra clauſtra legunt, vel audiunt Medicinam, vel legem, nec intra duos menſes reuertuntur. *Concil. Later.* 3. *tit. ne Clericus, c.* 2. *ne Clerici, vel Monachi c. non magnopere, & c. fin.*

Superiores Regularium non poſſunt ab Epiſcopis fieri. *De exceſſibus Prælat. c. nimis praua.*

Epiſcopus poteſt in Eccleſijs Regularium benedicere populo ſolemniter. *Clem. de exceſſibus priuilegiatorum c. finali.*

Epiſcopus non poteſt impedire Regulares, ne vadant ad Capitula. *Clem. de exceſſ. Prælatorum c. vn. in fine.*

Epiſcopus non poteſt retinere in ſuo ſeruitio extra clauſtra aliquem Regularem inuitis ſuperioribus. *Pius V. Conſt.* 41. *etsi* §. 19.

Regularis, qui degit intra clauſtra, ſi extra clauſtra notoriè deliquit cum ſcandalo, Epiſcopo inſtante, à ſuo ſuperiore eſt puniendus; qui ſuperior tenetur facere Epiſcopum certiorem de punitione; aliàs talis ſuperior à ſuo ſuperiore priuetur officio, & delinquens poſſit ab Epiſcopo pro qualitate delicti puniri. *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de refor. regul. c.* 14. Sed Pius V. limitat, tunc poſſe Epiſcopum procedere, quando cum ſcandalo publico ſuperior negligit. *Conſtit.* 41. *etſi* §. 16. *Clem.* 8. *Conſtit.* 39. *ſuſcepti.* Quod ſi ſuperior delinquentem aliò traſmittit, ne puniri poſſit, nec punit, inſtante Epiſcopo tenetur eum reuocare ſub pœna priuationis officij, vocis actiuæ, & paſſiuæ, Papæ reſeruata reintegratione. Quod ſi adhuc negligit, Ordinarius loci ad quem tranſlatus eſt, procedat contra dictum delinquentem, vt Papæ delegatus, informatus tamen ab Ordinario loci, in quo deliquit. *Clemens.* 8. *ibid.* §. 3.

Regulares ratione contractus facti extra clauſtra poſſunt ab Epiſcopo conueniri. *De priuil. in* 6. *c.* 1.

Regulares ſine licentia Epiſcopi non poſſunt ædificare Oratoria. *Concil. Later.* 3. *in append. tit. ne Clericis.*

Regulares tenentur ſeruare interdictum Epiſcopi. *Concil. Later.* 3. *cap.* 9. *Concil. Later.* 5. *ſeſſion.* 11. *Conſtit.* 4. *dum intra. Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de refor. regul. cap.* 12.

Regulares tenentur vitare excommunicatos ab Epiſcopo. *Concil. Trid. ibidem.*

Regulares requiſiti ab Epiſcopo ad publicandas cenſuras tenentur facere. *Concil. Later.* 5. *Conſt.* 11. *vbi ſupra.*

Epiſcopus punire poteſt Regulares ſine licentia ſuperiorum incedentes, etiam animo eundi ad ſuperiorem. *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de refor. regul. c.* 4.

Epiſcopus debet honorari, & reuereri à Regularibus ſub præcepto obedien-

dientiæ Papalis. *Concil. Later.* 5. *ſeſſ.* 11. *Conſtit.* 4. *&c.*

Regulares non poſſunt detrahere Prælatis in Concionibus, vel alijs. *Clem. de priuileg. &c. c.* 1. *extra de tregua, & pace c. vices illius*, & pœna, *ibidem*.

Epiſcopus poteſt capere, & punire ſecundum regularia inſtituta Regulares Apoſtatas, ſiuè habitum deferant, ſiuè non. *Vrbanus* 8. *Conſtit.* 26. *Sacra Congregatio*.

Eiecti à Religione tenentur incedere cum habitu Clericali, & Epiſcopo ſunt ſubiecti, *ibidem* ſunt perpetuò ſuſpenſi ab exercitio ordinum, nec Epiſcopus poteſt cum eis diſpenſare, *ibidem*.

Dum Papa præcipit Epiſcopo, vt corrigat Clericos, ſub numero Clericorum non veniunt Regulares. *De off. Iud. ordin. c. graue*.

Quando Regulares ſubduntur Epiſcopo in aliquibus Eccleſijs, in ijſdem non ſubduntur inferioribus illo. *Greg. XV. Conſt.* 18. *inſcrutabili*.

Regulares antequam prædicent debent habere benedictionem ab Epiſcopo. *Conc. Trid. ſeſſ.* 5. *de refor. c.* 2. *ſeſſ.* 24. *de refor. Regul. c.* 4. etiamſi prædicent in proprijs Eccleſijs, *ibidem*.

Hora qua prædicat Epiſcopus omnes etiam Regulares tacere debent. *Clem. de ſepulturis, c. dudum; Extra de ſepulturis c. ſuper Cathedram*.

Regulares non poſſunt prædicare in Eccleſijs alienis ſine licentia Ordinarij, & in proprijs ſui Ordinis ſine eiuſdem benedictione, & eo contradicente, neq; in aliena, neque in propria poſſunt prędicare; & aliter facientes poſſunt puniri ab Epiſcopo, etiam extra viſitationem, & per cenſuras. *Greg. XV. Conſtit.* 18. *inſcrutabili* §. 3. *&* 6.

Regulares non poſſunt ab Epiſcopis compelli adeſſe nouis proceſſionibus, niſi illis, quæ ſunt in vſu, vel cum fit de Victoria de infidelibus, &c. *Pius V. Conſt.* 41. *etſi* §. 3. *circa finem*.

Epiſcopus approbare debet Regulares Confeſſarios Monialium, etiam ſibi ſubiectarum. *Gregor. XV. Conſtit.* 18. *inſcrutabili* §. 5.

Poteſt Epiſcopus ex cauſa rationabili monere ſuperiores Regularium, vt remoueant confeſſores, vel adminiſtratores Monialium ſibi ſubiectarum, & ſi id facere recuſant poſſunt ab Epiſcopo remoueri. *Greg. XV. Conſt.* 18. *inſcrutabili* §. 5.

Regulares ſub pœna excommunicationis non poſſunt fabricare noua Monaſteria, ſine licentia Epiſcopi. *Concil. Calced. c.* 4. 18. *q.* 2. *c. quidam c. de Monachis, c. cellulas. c. nullus*.

Epiſcopus non poteſt dare licētiam, vt Regulares recipiant, vel erigant noua Monaſteria, niſi vocatis ſuperioribus aliarum Religionum eiuſdem loci habentibus intereſſe, & cognito quod poſſint in eo loco tot Monaſteria alimentari, aliàs nulliter conceditur licentia, & Monaſteria eriguntur. Et ſi in tali functione, & conuocatione aliquis ex eis appellat ad Papam, ſuſpenditur erectio. *Clemens VIII. Conſtit.* 99. *Quoniam*.

Ad impreſſionem Librorum Regularium præter facultatem ſuorum ſuperiorum requiritur etiam licentia Epiſcopi. *Concil. Trid. ſeſſ.* 4. *circa finem*.

Conuentus Regularium, in quibus non manent ſex Religioſi, quorum quatuor ſint Sacerdotes maturæ ætatis, & probatæ vitæ, cuiuſcumque Religionis ſint, Ordinarij iuriſdictioni ſubiacent. *Innocentius X. Conſtit. Vt in paruis*.

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum circa Inquiſitores.

Vide Canones ſpectantes ad Hæreſim.

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum circa legata ad pias cauſas, &c.

TEnetur Epiſcopus mandare executioni legata fidelium ad pias cauſas, quando hæredes ſunt negligentes, & intra annum non exequuntur. *Concil. Rauenn. 2. ſub Clem. 5. c. 31.*

Epiſcopus eſt executor omnium vltimarum voluntatum, & diſpoſitionum, etiam inter viuos factarum. *Conc. Trid. ſeſſ. de reſor. c. 8.*

Epiſcopus excommunicare debet legata Eccleſiæ fraudantes, aut rapientes. *Concil. Pariſ. 3. c. 1.*

Legatum factum Epiſcopo ratione perſonæ eſt ſuum; ſi verò ratione Eccleſiæ ei debetur ſua portio. *De teſtam. c. requiſiuiſti.*

Legatum factum Epiſcopo ab extraneo, intelligitur factum nomine Eccleſiæ; ſi verò ſit factum à propinquo intelligitur factum nomine Eccleſiæ, *ibidem.*

Legatum factũ Epiſcopo cum Cappella, intelligitur factum Eccleſiæ, & de eo ſoluitur canonica portio, *ibidem.*

Legatum factum Epiſcopo cum cõditione, vt ſit ipſius, non diuiditur cum Eccleſiá, nec portio canonica de eo eſt ſoluenda, *ibidem.*

Teſtamenta ad pias cauſas facta, intra menſem notificanda ſunt Epiſcopis per Notarios, aliàs excommunicentur, & eis amplius in ſuis actis non præſtetur fides. *Conc. Later. 3. in append. part. 50. c. 20.*

Teſtamentorum executio non facta intra annum, deuoluitur ad Epiſcopum. *De teſtam. &c. c. nos quidem. Conc. Rauenn. 2. ſub Clem. 5. c. 31.*

Teſtamentorum executores, etiam Religioſi, tenentur reddere Epiſcopis rationem de executione, & ſi deliquerint, ab eis poſſunt puniri, nullumque Priuilegium ſuffragatur. *Clement. de teſtam. c. vn.*

Epiſcopus non poteſt caſſare vltimã voluntatem teſtatoris 16. *quæſt. 1. cap. Admonere.*

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcoporum Perſecutores, detractores, &c.

EPiſcopos perſequentes ſunt infames. *Conc. Nican. 1. ex Iulio I. cap. 10. Fabianus ep. 2. Stephanus I. ep. 2. Alexander I. ep. 1. Conc. Claramont. c. 32. 3. q. 4. c. hi qui, & c. Clericus 11. q. 1. cap. Statuimus.*

Epiſcopo maledicens poteſt ab eo per Canones puniri. *Concil. Mediol. 1. p. 2. de dignit. ab Epiſcop. retin.*

Epiſcopum vituperans dicto, vel facto Deum vituperat, *l. 2. Conſtit. Apoſtol. c. 31.*

Epiſcopis detrahentes peiores ſunt raptoribus, *6. q. 1. c. deteriores.*

Epiſcopo inſidians curiæ tradatur. *Pius I. ep. 11. q. 1. c. ſi quis Sacerdotum.*

Epiſcopum bannientes, vel relegantes tenentur ad expenſas. *Honor. 3. ex Cirone de iniur. & damno dato c. 1.*

Epiſcoporum perſecutores, non poſſunt inter Catholicos miſceri. *Euſebius epiſt. 2.*

Epiſcoporum bona rapientes, vel vſurpantes, per Epiſcopos non per Laicos ſunt puniendi. *Concil. Pariſ. 3. c. 2.* ſunt anathema, 16. *q. 1. c. ſimiliter.*

Epiſcopo inſidiantes Clerici deponantur, ſic & calumniantes, 11. *q.*1. *c. ſiquis Sacerdotum*.

Epiſcopum carcerans, percutiens, vel repellens à Sede, eſt excommunicatus 17. *q.* 3. *c. ſi quis deinceps*, excommunicatio reſeruatur Papæ. *Clem. de pœnis c.* 1. vbi habentur aliæ pœnæ, & quomodo Ciuitas, & populi, qui id committunt, ſint puniendi *ibidem*.

Omnes committentes vt ſupra priuantur feudis, & beneficijs illius Eccleſiæ ipſo facto. Filij per lineam maſculinam vſque ad ſecundam generationem, ſunt inhabiles ad beneficia illius Eccleſiæ. Terra, & locus, in quo id committitur, interdicto ſupponuntur ipſo facto. *Clem. de pœnis ibidem*.

Omnibus diebus Dominicis pulſatis campanis, & accenſis Candelis, denunciantur excommunicati; ſic & in alijs feſtis, donec ſatisfiat *ibidem, & Concil. Rauenn.* 2. *ſub Clem. V. c.* 26.

Ciuitas, quæ occidit Epiſcopum priuatur Epiſcopo 25. *q.*2. *c. vlt.*

Conſpirantes contrà Epiſcopum. Spoliantes aliquo prædio iuriſdictione &c. eiſdem ſubiacent pœnis, & alijs, vt ibi. *Concil. Rauenn. ibid.* ſunt excommunicati in Bulla cænæ. *Gregor.* 13. *Conſtit.* 81. *conſueuerunt* §. 11.

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcoporum Priuilegia.

EPiſcopus poſſidens aliquid per 30. annos non poteſt eo priuari. *Gelaſius ep.* 70.

Epiſcopus non tenetur iurare. *Cornelius ep.* 2. 2. *q.* 5. *c. Sacramentum, & c. Nos Sacramentum*.

Iurans de calumnia non tangit Euãgelia, ſed ſolum ſibi proponuntur. *De Iuramento calumniæ c. fin.*

Epiſcopus acquirens locum aliquem ab eo conuerſum ad fidem, ſi per triennium poſſident, & alij potentes petere tacuerunt, eſt ſuus; ſi verò non fuerunt præſentes, eis non fit præiudicium. *De præſumptionibus c.* 1.

Epiſcopi punire poſſunt eos, qui rapiunt, vel occupant eorum bona. *Concil. Pariſ.* 3. *c.*2.

Epiſcopi accuſati poſſunt ſe purgare iuramento tantum 2. *q.* 5. *c. habet, ad mennam, c. quinto, c. quæ de cauſa*.

Epiſcopi ab Eccleſijs alendi ſunt *l.* 2. *Conſtit. Apoſtol. c.*25. *&* 26.

Non poſſunt iudicari à iudice Sæculari 11. *q.*1. *c. nemo, c. continua, & c. nullus Epiſcopus*. Nec à Rege, vel Imperatore. *Adrianus I. in decr. c.*55.

Epiſcopi teſtimonium à iudice magnifaciendum 11. *q.*1. *c. Omnes itaque*.

Epiſcopi non poſſunt ab alijs reprehendi, niſi in fide errent. *Clem. I. ep.*1. *&* 3.

Epiſcopi nullam ſententiam cenſuræ incurrunt, niſi exprimantur in ſententia. *De ſentent. excommunicationis in* 6. *c. quia periculum de elect. in* 6. *c. Si Compromiſſarius*.

Epiſcopus in quolibet loco, ſiuè exempto, ſiuè non, poteſt perſonas Eccleſiaſticas capere. *De offic. ordin. in* 6. *c. cum Epiſcopus*.

Epiſcopus eo ipſo, quo fit Epiſcopus eximitur à patria poteſtate. *Qui filij ſint legitimi c. per venerabilem*.

Epiſcopus non poteſt à Clero eligi ad aliam dignitatem, ſed ab eo poteſt Papæ poſtulari. *De poſtulation. c. & ſi vnanimiter*.

Epiſcopo non communicante cum aliquo, alij non communicent. *Clem. I. ep.* 1. *Alexand. I. ep.* 1. *Concil. Caſtenſe c.* 8.

Epiſcopus cum præcipit Ballino, vel alteri, vt procedat in cauſa homicidij,

vel alia criminali, ſi iſte dat pœnam ſanguinis, non proinde ipſe Epiſcopus ſit irregularis. *Ne Clerici in 6 c. fin.*

Epiſcopus neque ab Inquiſitore Papæ poteſt inquiri de hæreſi, niſi ſpeciale adſit Papæ mandatum. Sed Inquiſitor tenetur id Papæ denunciare. *De Hæreticis in 6. c. Inquiſitores.*

Epiſcopo nihil derogatur per hoc, quod Papa facit alium Inquiſitorem in eius Diœceſi in cauſis hæreſis. *De Haret. in 6. c. Per hoc.*

Epiſcopi in neceſſitate poſſunt celebrare, & facere celebrari in Altari viatico. *De priuilegÿs in 6. c. fin.*

Epiſcopi poſſunt ſibi eligere confeſſarium. *De pœnit. & remiſ. c. fin.*

Epiſcopi non poſſunt à populo vocari ad reddēdam rationem bonorum. *l. 2. Conſtit. Apoſtol. c.* 35.

Epiſcopus ex Papæ diſpenſatione retinere poteſt beneficia, quæ habebat prius; ſed exprimere debet valorem beneficiorum, aliàs gratia eſt nulla. *Vrbanus VIII. Conſtit.* 6. *Sanctiſſimus c.*55.

Epiſcopus ſolus poteſt deponere Clericum, *l.* 8. *Conſtit. Apoſtol. c.*28.

Epiſcopus ſolemniter celebrans vti debet multis miniſtris. *Anacletus ep.* 1. *de conſecrat. diſt.* 1. *c. Epiſcopus.*

Epiſcopi Reſidentes à nullo poſſunt citari, ob quoduis delictum, etiam hæreſis, vel Leſæ Maieſtatis, etiam ad Papam, ſine Papæ licentia. *Pius* 4. *Conſtit.* 10. *de ſalute.* Neque ab Auditore Cameræ ad comparendum perſonaliter. *Paulus* 5. *Conſtit.* 28. *Eximia* §. 13.

Epiſcopus non tenetur facere iuramentum fidelitatis Regi, Imperatori, &c. *Concil. Claramont. c.* 17.

Epiſcopi ſunt exempti à ſoluendis tributis ſubſidijs, &c. Regibus, vel alijs. *Pius* 4. *Conſtit.* 10. *de ſalute* §. 4.

Epiſcopus nouiter factus retinet loca montium vacabilia per mortem, & officia Romanæ Curiæ vacabilia. *Vrbanus VIII. in append. Conſtit.* 38. *aliàs* 148. *Decet Romanum.*

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum quoad ferendas cenſuras, & modum.

Epiſcopus non poteſt Eccleſias interdicere, cenſuras ferre, excommunicare, &c. abſque ordine iudiciario. *Concil. Later.* 3. *in append. tit. de Simonia c.*7.

Epiſcopus contendens cum alio de aliqua re, non poteſt illum excommunicare, vel alio modo ſuſpendere, &c. *Concil. Aurel.* 1. *c.* 8.

Epiſcopi ex leui cauſa, vel ſine cauſa non ferant cenſuras; & de hoc corrigantur: & ſi non ſe emendant excommunicandi ſunt per Synodum. *Concil. Agathen. c.* 3. 11. *q.* 3. *c. Epiſcopi ſi. &c.*

Epiſcopi nolentes recipere ad gratiā excommunicatos pœnitentes, quomodo puniendi. *Concil. Agathen. c.* 3.

Epiſcopus non debet facilè excommunicare pro iniuria 23. *q.* 4. *c. Inter querelas.*

Non poteſt excommunicare, ſuſpendere, vel interdicere adeuntes ad Sedem Apoſtolicam pro ſuis cauſis. Neque priuare ibi litigantes de beneficio, & omnia acta ſunt nulla. *Extra de priuileg. c. Diuina.*

Non poteſt relaxare cenſuras latas ab alio Epiſcopo etiam ſibi ſubiecto. *De offic. Iud. ordin. c. Cum Eccleſiarum.*

Epiſcopi tenentur excommunicare eos, qui ab Eccleſijs exigunt pedagia, Gabellas, &c. pro rebus proprijs, quas aduehunt, vel tranſmittunt abſque negotiatione *Clem. de cenſibus c. fin.*

Epiſcopi cenſura ſiuè iuſta, ſiuè non eſt

eſt timenda. *Gregor. VII. l. 9. epiſt.* 22.

Epiſcopus ſciens crimen alterius ſolus, non poteſt illum excommunicare, & ſi id facit; alij non communicent cum Epiſcopo 6. *q.* 2. *c. Placuit*.

Non poteſt excommunicare non ſubditos, vel in aliena Diœceſi 9. *q.* 2. *c. Nullus alterius c. Nullus primas c. Placuit*.

Cenſuras Epiſcopi contemnens eſt anathematizandus. *Nicolaus I. ep.* 9.

Epiſcopus ſemper debet ferre cenſuras ſcripto. *De ſent. excommunic. in* 6. *c.* 1. Aliter eam ferens eſt ſuſpenſus ab officio, & tenetur ad expenſas Rei, *ibidem*.

Cenſura ferri non poteſt ab Epiſcopo in ſubditos, niſi præuia monitione; excepto ſi culpa ex ſuo genere eam inducat. *De appell. & recuſat. c. Reprehenſibilis*.

Cenſuræ nomine intelligitur omnis cenſura, niſi Iudex declaret de qua loquatur. *De verborum ſignif. c. quærenti*.

Cenſuris non facilè vtatur Epiſcopus, vel alius Iudex Eccleſiaſticus, ſed ſolum in cauſis criminalibus, vel alijs, quando non poteſt fieri executio realis, vel perſonalis. *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de refor. c.* 3.

Excommunicatio ferri non niſi preuijs pluribus monitionibus ſaltem tribus 24. *q.* 3. *c. De excommunicationis articulo*. Monitio talis eſſe debet, vt poſſit probari. *Concil. German.* 1. *c.* 4.

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum quoad excommunicationem ferendam, & modum.

EXcommunicationis Sententia non poteſt ab Epiſcopo teneri occulta, ſed intra menſem eſt publicanda. *Conc. Turon.* 4. *c.* 11. *Conc. Lugdun. Gener.* 1. *De Sent. Excomm. in* 6. *c.* 1.

Excommunicatio poteſt ab Epiſcopo etiam in mortuũ pronunciari, id eſt, mortuus declarari poteſt excommunicatus. *De Hæret. c. Si quis Epiſcopus*.

Excommunicatio lata ab Epiſcopo, vel alio, in participantes, non tenet, niſi iſti ſint nominati. *De ſent. excomm. in* 6. *c. Conſtitutionem*, *ç. Statutum*.

Excommunicatio contra Hæreticos, in diebus Dominicis, & ſolemnibus eſt promulganda. *Conc. Later.* 3. *c.* 27.

Excommunicatio pulſatis campanis, & accenſis candelis ſolemniter publicari debet. *Clem. de pœnis c.* 1.

Excommunicari nemo poteſt ſine cauſa, & hæc debet probari 2. *q. c. Nemo Epiſcopus. Gregor. I. l.* 2. *ep.* 34. *Ioan.* 8. *ep.* 163. cauſa debet eſſe rationabilis. *De ſent. excomm. c. Sacro*. Debet eſſe grauis, quando quis non corrigitur 11. *q.* 3. *c. Nemo Epiſcoporum. Conc. Senonen. de excomm. c.* 31. *Conc. Colon.* 2. *p.* 13. *c.* 1. & 5. magnæ pœnæ contra ex leui cauſa excommunicantes, *ibidem*, & 11. *q.* 3. *c. Nullus Sacerdotum Conc. Aurel.* 5. *c.* 2.

Excommunicatio ferri non poteſt ob lucrum, quod ex ea habetur, *Conc. Later.* 4. *c.* 49. Sic excommunicans ſi iniuſtè tenetur ad reſtitutionem, & ſatisfactionem pro iniuria, vel aliter priuatur, niſi ex errore ſit deceptus *ibidem*. Excommunicati ex leui cauſa ſi ab Epiſcopo non recipiuntur, recipiantur à vicinis vſque ad Synodum. *Conc. Vormat.* 1. *c.* 13.

Non audiens, & non obediens Epiſcopo, excommunicari poteſt *l.* 2. *Conſt. Apoſtol. c.* 38.

Excommunicatio ferri poteſt ex contumacia publica. *Conc. Colon.* 2. *p.* 13. *c.* 4.

Epiſcopus excommunicans malos obedit Euangelio; ſic, & Hæreticos, 24. *q.* 3. *c. Notandum eſt*.

Periuri, & periurare facientes poſ-

 ſunt

ſunt excommunicari *Conc. Eborac.* 1.

Excommunicatio non poteſt ferri pro futura culpa, neque ſub hac forma. *Si non ſatisfeceris. De ſent. excomm. in* 6. *c. Romana.*

Ferri poteſt ob recuperandas res amiſſas, & quomodo. *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *de refor. c.* 3.

Epiſcopus excommunicatus non poteſt excommunicare, 24. *q.* 1. *audiuimus*, & irritè facit, *ibid. Nicolaus I. in decr. tit. de iudiciis c.* 14.

Excommunicatio, quæ fertur ad effectum reuelandi perdita, ferri non poteſt ab alio, quàm ab Epiſcopo, & tunc magna cum maturitate hoc fiat, neque adducatur Epiſcopus ad hoc faciendum ob authoritatem Magiſtratum, Dominorum, &c. *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *de refor. c.* 3.

Excommunicandi facultas delegata non poteſt ſubdelegari. *De off. & poteſt. Iud. deleg. c. vlt. §. fin.*

Excommunicatus non canonicè adhuc indiget abſolutione. *Gregor.* 7. *lib.* 6. *ep.* 7.

Excommunicati publicandi ſunt, vt ab omnibus fugiantur 11. *q.* 3. *c. cura ſit.*

Excommunicatus à ſuo Epiſcopo, putans ſe grauatum, poteſt appellare. *Conc. Sardic. c.* 17. appellare poteſt ad Metropolitanum 11. *q.* 3. *ſi Epiſcopus.* Nec poteſt excludi ab appellatione. *De exceptionibus c. ſignificauerunt.*

Excommunicatus appellans adhuc poteſt denunciari, & ſpoliari fructibus. *De appellat. & recuſat. cap. Paſtorali, §. Verum.*

Per appellationem, cenſuræ non ſuſpenduntur. *De ſent. excommunicationis in* 6. *c. Is cui.*

Excommunicatus ob Clerici percuſſionem non poteſt appellare, ſi caſus ſit notorius, ſecus è contra. *De appellat. & recuſ. c. conſuluit, & c. ſuggeſtum.*

Vniuerſitas vel Collegium non poteſt excommunicari, ſed de his illi, qui ſunt culpabiles. *De ſentent. excomm. in* 6. *c. Romana.*

Perſonæ incognitæ poſſunt excommunicari ob delicta. *Gregor. I. lib.* 5. *epiſt.* 30.

Excommunicari non poteſt non accuſatus, & indefenſus. *Gregor.* 7. *l.* 9. *epiſt.* 15.

Excommunicatus abſolui debet ab excommunicante. *Concil. Later.* 3. *tit. de pœnit. c.* 4.

Excommunicatus ex cauſa manifeſta non poteſt abſolui, niſi ſatisfecerit. *De Verborum ſignif. c. ex parte.*

Epiſcopus poteſt abſoluere excommunicatum ob leuem percuſſionem Clerici. *De ſent. excom. c. peruenit. Conc. Later.* 3. *p.* 50. *c.* 67.

Epiſcopus abſoluere poteſt excommunicatum, qui ex cauſa iuſta impeditur adire Papã, præſtita tamen prius iuratoria cautione de parendo, & adeundo remoto impedimento. *De ſent. excom. c. nuper in fine.*

Excommunicatus non poteſt abſolui à Peccatis, niſi prius abſoluatur ab excommunicatione. *Extra de priuil. c. inter cuncta.*

Excõmunicatio occulta (ſic & aliæ cenſuræ, & irregularitas) Papæ reſeruata poteſt ab Epiſcopo abſolui. *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *de refor. c.* 6. Canones generales ſpectantes ad aliàs cenſuras, coincidunt cum ſupra allatis.

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopos peregrinos.

Epiſcopo peregrino concedi debet à Diœceſano locus Sacrificandi. *Conc. Arelat.* 1. *c.* 20.

Epiſcopi peregrini cum honore ſunt reci-

recipiendi. *Concil Carthag.* 4. *c.* 33. & inuitandi ad Sacrificandum,&c. & alia facienda 7. *q.* 1. *c. Epiſcopus vel.*

Epiſcopi peregrini expulſi tyrannicè benignè tractandi ſunt ab alijs. *Conc. Sardicenſe c.* 21.

Epiſcopi peregrini inuitandi ſunt à Diœceſano, vt faciant Sermonem, & benedicant populum, *l.* 2. *Conſt. Apoſt. c.*56. 7. *q.* 1. *Epiſcopus vel.*

Epiſcopus peregrinus ignotus non admittatur ad exercendum Pontificalia, donec per Metropolitanum conſtet de eius ordinatione, & titulo. Et talis peregrinus aliter faciens ſuſpenditur ab officio ipſo Iure, Diœceſanus verò faciat illum denunciari ſuſpenſum. *Conc. Rauennat.* 2. *ſub Clem.* 5. *c.* 24.

Epiſcopi peregrini, & alij, colligentes, eleemoſinam ob ſtudium adeundi loca Sancta, ſunt prohibendi. *Conc. Cabilon.* 3. *c.*45.

Peregrinis Epiſcopis, & alijs, morientibus ab inteſtato, Epiſcopus diſponat de eorum bonis; ſi fieri poteſt hæredibus illa det, aliàs det locis pijs, ſub pœna reſtituendi triplum. *Honorius* 3. *ex Cirone de teſtamentis c.* 1.

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum, quoad teſtamenta, & donationes, quæ ab ipſo fieri poſſunt.

EPiſcopi poſſunt relinquere cui volunt bona propria. *Concil. Antioch. c.*24. *Conc. Agathen. c.* 46. *Epaunenſe c.*14. *Conc. Hiſpal.* 1. *c.*5. *Tolet.* 17. *c.* 1. *Pariſ.* 6. *l.* 1. *c.*16. 12. *q.*1. *c. Manifeſta, & cap. ſint Manifeſta. De teſtamentis c.*1,

Epiſcopus non poteſt legare, neque teſtari de rebus Eccleſiæ. *Conc. Agathen. c.*48. *c.*51. *Epaunenſe c.*17. Neque de inuentis in ea, neque de acquiſitis per eam. *Gregor. l. l.*7. *ex regeſt. c.* 13. *Conc. Pariſien.* 6. *c.* 16. 12. *q.*1. *c. Epiſcopi de rebus* 12. *q.*2. *c. Epiſcopus* 12. *q.* 5. *c. nulli, c. obitum, c. fixum, & c. ſi Epiſcopus. De teſtamentis c.* 1.

Epiſcopus non habens filios, aut nepotes, ſi alium relinquit hæredem, nihil poteſt ei relinquere de bonis Eccleſiæ, & nulla eſt donatio. Si verò filios, aut nepotes facit hæredes, neque iſtis poteſt aliquid Eccleſiæ dare: & iſti teneantur ad indemnitatem Eccleſiæ. *Conc. Agath. c.*35.

Epiſcopus donare non poteſt bona requiſita Eccleſiæ poſt conſecrationē, ſed omnia ſunt Eccleſiæ. *De ſpec. Cler, c. vnuſquiſque.*

Non poteſt facere Hæreticum hæredem, neque legatum ei relinquere. *Concil. Carthag* 3. *c.* 13. excommunicatur talia faciens. Etiam poſt mortem talis declaratur. *Concil. Afric. c.*48.

Epiſcopus non habens hæredem tenetur facere hæredem Eccleſiam 12. *q.* 2. *c. Epiſcopus, qui filios.*

Epiſcopus, & Clerici, poſſunt facere moderatas eleemoſinas de rebus Eccleſiæ, etiam in ægritudine. *De teſtam. c. ad hec.*

Facultas teſtandi, ſeu tranſmittendi bona ad hæredes, etiam ab inteſtato, conceſſa beneficiatis, etiam Epiſcopis, & Cardinalibus, non comprehendit fructus inexactos. *Vrbanus VIII. Conſtit.* 80. *Eternus* §. 7.

Poſſunt Epiſcopi, & alij Clerici aliquid teſtari pro ſeruitoribus, & pauperibus, & quæ. *De teſtam. c. relatum il* 2.

SACRI

SACRI CANONES.

Spectantes ad Epiſcopum circa oblationes, ſeu eleemoſinas Eccleſiarum.

EPiſcopus tenetur computare inter bona Eccleſiæ omnia data à Deuotis. *Conc. Agathen. c.* 6. 12. *q.* 3. *cap. Pontifices.*

Epiſcopus non impendat in cibos pauperum, ſed in carbones, & ligna Eccleſiæ, eleemoſinæ impiorum, quæ fiunt Eccleſijs *l.* 4. *Conſtit. Apoſtol. cap* 9.

Eleemoſinæ relictæ Parochijs non debent ab Epiſcopo vſurpari; ſed ita fiat, vt ſi Eccleſia Epiſcopi ſit diues omnia relicta Parochijs ſint illarum, ſi verò ſit pauper pars illarum illi danda. *Conc. Carpenet. c. vn.*

Eleemoſinæ, quæ fiunt Eccleſijs in quot partes ab Epiſcopo diuidendæ. *Conc. Emerit. c.* 14.

Epiſcopus excludere poteſt ab Eccleſia, donec reddant, retinentes eleemoſinas à defunctis relictas Eccleſijs. *Conc. Agath. c.* 4. 13. *q.* 2. *c. Clerici.*

Queſtores eleemoſinarum non poſſunt eas quærere ſine literis Papæ, vel Epiſcopi. *De Pœnit. & remiſ. c. Cum ex eo.*

Epiſcopi punire poſſunt eleemoſinarum queſtores non obſtantibus priuilegijs. *Clem. de pœnit. c. fin.* §. *fin.*

Epiſcopus non permittat (ſine cauſa) applicari ad alium locum eleemoſinas iam petitas pro hoſpitali. *Concil. Mediol.* 1. *p.* 3. *tit. de piorum locorum adminiſtratione.*

Quæſtores eleemoſinarum non permittantur ab Epiſcopis prædicare. *Conc. Trid. ſeſſ* 21. *de refor. c. vlt.*

Oblationes Cauponum, Scortorum, Prædatorum, &c. non ſunt accipiendæ *l.* 4. *Conſt. Apoſt c* 5. Nam impiorum oblationes Deum non placant, ſed eum irritant *ib. c.* 6.

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum, quoad iudicia facienda.

EPiſcopus non tenetur conſilium Capituli petere in iudicando puniendo, &c. *De conſuetud. in* 6. *cap. Non eſt.*

Poteſt compellere Parochum infamatum ad ſe purgandum, niſi appellet. *De purgat. can. c. Nos inter.*

Epiſcopus puniens innocentes eſt puniendus, & quomodo, 11. *q.* 3. *c. Epiſcopi.*

Non poteſt Epiſcopus punire Clericum conuictum de crimine à iudice Sæculari. *Conc. Later.* 3. *in append. tit. de depoſit. c.* 4.

Sciens aliquod delictum alterius ſolus, non poteſt illum excommunicare; & ſi excommunicat alij abſtineant ab Epiſcopo 6. *q.* 2. *c. Placuit.*

Non poteſt iudicare in cauſa Sanguinis, ſed ad iudicem laicum remittere debet. *Conc. Later.* 3. *p.* 50. *c.* 44.

Epiſcopus non poteſt iudicare cum iracundia. *Conc. Tolet.* 11. *c.* 5.

Epiſcopus faciens fuſtigare aliquem crudeliter, eſt puniendus, & quomodo. *De Clerico percuſſore c. Præterea.*

Epiſcopus iniuſtè iudicans grauiter eſt puniendus. *Gregor. l. l.* 10. *ep.* 8.

Epiſcopus incipiens inquirere de aliquo delicto, ſi delinquens opponit ſe eſſe abſolutum, vel ſi condemnans aliquem, hic opponit ſe habuiſſe gratiam; poteſt, vt delegatus Papæ, proſequi inquirendo de veritate, vel ſubreptione; & vſque dum non conſtat de veritate gratiam non admittat *Conc. Trid. ſeſſ.* 13. *de refor. c.* 5.

Epiſcopus iudicans, & puniens ex paſſione, pœna talionis puniendus eſt. *Conc. Nican.* 2. *c* 4.

Non

Non poteſt iudicare de negotijs Sæcularibus, 11. *q.* 1. *c. Quidem*.

Epiſcopus poteſt inſtitui iudex à Principe Sæculari, & quando 23. *q.* 8. *c. Sæpe Principes*.

Epiſcopus non poteſt Eccleſias interdicere, vel cenſuras ferre abſque ordine iudiciario. *Conc. Later. 3. in append. tit. de Simonia c.* 4.

Epiſcopus non iudicialiter, ſed propria authoritate, repetens res ſuas, vel Eccleſiæ, quomodo eſt puniendus 16. *q.* 7. *c. Placuit; & c. Conſuetudo*.

Non poteſt Epiſcopus nec circa ſubditos, nec circa Diœceſim excedere propriam iuriſdictionem in iudicando 9. *quaſt.* 2. *c. Nullus alterius; c. Nullus primas, &c.*

Epiſcopus ſi recuſatur in iudicio poteſt dare delegatum non ſuſpectum partibus. *De foro compet. c. Si quis contra*.

Epiſcopus loci delicti iudicat delinquentem exterum. Sed Epiſcopus loci domicilij, vel beneficij, exequitur priuationem, ſi hæc fiat Sententia. *De foro compet. c. Poſtulaſti*.

Epiſcopus iudicans Canonum auctoritate debet vti, *de Conſt. c.* 1.

Epiſcopus faciens percutere Clericum per laicum, etiam iure diſciplinæ, eſt excommunicatus ipſe, & etiam verberans; à Papa ſunt abſoluendi. *De ſent. excom. c. Vniuerſitatis*.

Epiſcopus, & alij iudices Eccleſiaſtici in cauſis ciuilibus, tàm Eccleſiaſticorum, quàm laicorum, poſſunt vti pœnis pecuniarijs, pignorum captione priuatione, & alijs. *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *de refor. c.* 3.

Epiſcopus, & alij non debent nimiũ differre cauſarum definitiones. *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de refor. c.* 10.

Epiſcopo petente auxilium, Magiſtratus Sæcularis, ſeu Princeps tenetur illud præſtare, etiamſi fiat exceptio de nullitate. *Conc. Colon.* 3. *tit. de Medio tertio c.* 2.

Epiſcopus in notorijs tenetur procedere ſine accuſatione. *De accuſat. cap. Euidentia*.

Non poteſt pro iuſtitia facienda accipere ſportulas. *Conc. Vernenſe c.* 35.

Epiſcopus, nec alij Iudices, non tenetur ponere in Sententia motiua ad ſententiandum. *De ſent. & re iudic. c. Sicut nobis*.

Poteſt pronunciare Sententiam ſiuè ſedens, ſiuè ſtans. *Clement. de verbor. ſignif. c. fin.*

SACRI CANONES

Spectantes vniuersè ad collationem beneficiorum faciendam ab Epiſcopo.

EPiſcopus non debet conferre curam animarum illi, qui non habet 25. annos, vel qui eſt ignarus, vel malè moratus ſub pœna priuationis poteſtatis conferendi per tres annos. *De elect. c. Cum in cunctis §. Clerici*.

Epiſcopus conferens alicui Præbendam, quam non poteſt, tenetur poſtea dare ei aliam, & nulla alia collatio valet, niſi detur ei primò. *De præbendis, &c. c. Inter cætera*.

Epiſcopus non poteſt differre vltra duos menſes in danda Eccleſia, ſeu beneficio ei, qui eſt legitimè præſentatus, ſi eſt idoneus, niſi adſit cauſa. *Conc. Oxonienſ.* 1. *c.* 1. Pœna *ibid.*

Poteſt repellere præſentatos à Patronis, ſi non ſint idonei. *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de refor. c.* 9.

Epiſcopus non perdit ius inſtituendi per hoc quod Ius Patronatus tranſit ad exemptos. *De Iureparronatus c. Cum Sæculum*.

Epiſcopo concedente Eccleſiam de conſenſu Patroni; hic cenſetur concedere

dere Iuſpatronatus. *De donat. cap. Paſtoralis*.

Prouidere poteſt Epiſcopus de Rectore, ſi ij, ad quos ſpectat, in tempore ſtatuto non conferunt; vel non præſentant, non obſtante appellatione. *De ſupplenda neglig. c. fin.*

Poteſt item prouidere, ſi conferens dedit indigno, *ibid. c. Literas*.

Non poteſt repellere præſentatum à Patrono, ſi eſt idoneus. *De Iurepatron. c. Significaſti.* Prouidet, ſi Patroni non præſentent in tempore *ibid. c. Si verò.*

Patronus intra quatuor menſes debet præſentare, ſi laicus ſit; ſi Eccleſiaſticus, intra ſex. *De Iurepatronat. in 6. c. vnic. §. fin.*

Epiſcopus non admittat Clericum Patronum ſe ipſum præſentantem pro Eccleſia habenda. *De Iurepatronát. c. per noſtros.*

Patronis diſſidentibus, ſi non concordent, Epiſcopus prouideat donec concordent. *De Iurepatronat. c. 1. & c. Quoniam.*

Si ijs diſſidentibus intra quatuor mẽſes lis non finiatur, Epiſcopus ordinet Eccleſiam, *ibid. c. Quoniam.*

Patronus mortuo Rectore Eccleſiæ tenetur intra decem dies nominare Epiſcopo Clericos examinandos per examinatores, &c. *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de refor. c. 10.*

Patronus dare non poteſt Eccleſiam Religioſis, ſine conſenſu Epiſcopi. *De Iurepatronat. c. Cura.*

Epiſcopus ſemper inſtituit facta præſentatione de idoneis examinatis; nec poteſt ſuſpendi inſtitutio Rectoris, facto examine, licet appelletur ad legatum, vel Papam. *Conc. Trid. ſeſſ. 4. de refor. c. 18.*

Epiſcopus admittens ſcienter præſentatos ſimoniacè, priuatur perpetuo collatione beneficiorum. *Conc. Germanic. 1. c. 11.*

Epiſcopo ſtatim nunciandum á Rectoribus, & alijs, quando vacant beneficia. *Conc. Rauenn. 4. ſub Io: 22. c. 7.*

Epiſcopus mortuo Parocho vel renunciante, etiam in Curia, debet ſtatim de Vicario idoneo prouidere, cum congrua prouiſione, vſque dum de ſucceſſore prouideatur, etiamſi ſit reſeruata talis Eccleſia, vel affecta Cardinali, Abbati, Capitulo, &c. *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de refor. c. 18.*

Poteſt vnire beneficia, ſiuè curata, ſiuè non, ſiuè reſeruata, ſiuè aliter affecta, ob paupertatem curatorum, & alios caſus à Iure permiſſos, ſine præiudicio tamen obtinentium; & illæ vniones non poſſunt reuocari, ſed perpetuæ ſunt. *Conc. Trid. ſeſſ. 25. de refor. c. 5.*

Poteſt trãsferre beneficia quando Eccleſiæ ſunt dirutæ ad alias, vocatis ijs, qui habent intereſſe, etiamſi ſint Iurapatronatus, cum eiſdem fructibus, & oneribus. *Concil. Trid. ſeſſ. 21. de reform. c. 7.*

Epiſcopus cognoſcere poteſt, vt delegatus Papæ, de vnione beneficiorum ad iurapatronatus, eaque diuidendo reducere ad primum ſtatum. *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 9. de refor.*

Beneficia conferenda iuxta diſpoſitionem fundationis, aliàs nulla eſt collatio, & ſubreptitia. *Concil. Trid. ſeſſ. 25. de reform. c. 5.*

Beneficia vacatura non poſſunt concedi. *Concil. Trid. ſeſſ. 24. de refor. c. 19.*

Si obtinetur à Papa facultas diſmembrandi beneficia, fiat citatis partibus, & exprimendus eſt valor, aliàs gratia eſt nulla. *Vrban. 8. Conſt. 6. Sanctiſſimus c. 22.*

SACRI

SACRI CANONES

Spectantes ad Perſonas, quibus dari, vel non dari poſſunt ab Epiſcopis beneficia.

EPiſcopus dare non poteſt beneficia Eccleſiaſtica pueris intra decem annos. *Concil. Later. 3. in append. tit. quibus, & quando, c. 1. De Præbendis c. Super inordinata.*

Patronus, vel alius intrudens pueros in beneficijs excommunicatur. *Concil. Sabinen. c. 15.*

Epiſcopus ſciens intruſionem pueri, ſi intra duos menſes eum non eijcit, priuatur poteſtate conferendi beneficia per ſex menſes. *ibidem.*

Epiſcopus non det beneficia Clericis vxoratis. *Concil. Later. 3. tit. de Cler. coniug. c. 2. in appendic. & p. 56. c. 7.*

Epiſcopus non poteſt ſibi conferre beneficium vacans. *De exceſſibus Prælat. c. Ad aures.*

Beneficia danda ſunt ab Epiſcopo perſonis idoneis, dignis, & honeſtis. *Concil. Trid. ſeſſ. 7. de refor. c. 3.*

Epiſcopus dare debet beneficia Clericis pauperibus, qui non habent vnde viuant. *De reſcript. c. Poſtulaſti.*

Beneficium dari debet meliori, & doctiori. *Concil. Colon. 2. p. 1. c. 4. & 9.* Dandum eſt magis idoneo, *Vt Eccleſiaſtica beneficia, &c. c. vn. circa finem.*

Epiſcopus conferre debet beneficia præſertim curata ijs, qui per ſe immediatè poſſunt ſuum munus exercere. *Concil. Trid. ſeſſ. 7. de refor. c. 3.*

Poteſt dare beneficium etiam abſenti. *De Præbendis c. Accedens.*

Poteſt inſtituere in beneficium, qui eſt præſentatus, etiamſi nondum ſit ordinatus, dummodo intra tempus præſcriptum ordinetur. *De Inſtitutionibus c. finali.*

Beneficia dare non poteſt Epiſcopus Laicis. *Concil. Meldenſe c. 77. Diſt. 89. c. indicatum, & c. Decenter. Concil. Later. 3. in appendic. tit. de depoſit. c. 8.* Epiſcopus conferens deponatur. *ibidem c. 7. Concil. Claramont. c. 15. Concil. Vienn. Prouinc. 1.*

Beneficia curata non ſunt ab Epiſcopo conferenda ſuis conſanguineis. *Conc. Tolet. 10. c. 3. diſt. 89. c. Decenter.*

SACRI CANONES

Spectantes ad perſonas beneficiorum incapaces.

BEneficiorũ incapaces ſunt indigni, inhoneſti, &c. *Conc. Later. 4. c. 50. Concil. Colon. 2. p. 1. c. 4. Concil. Trid. ſeſſ. 22. de refor. c. 4.* Collatio eſt nulla. *ibid.* Epiſcopus conferens ſuſpenditur à Iure conferendi. *ibid. & de præbend. c. Graue nimis.* A quo relaxanda illa ſuſpenſio. *ibid.*

Beneficij incapax eſt Clericus primę tonſuræ, vel in Minoribus ante annum 14. *Concil. Trid. ſeſſ. 23. de reform. c. 6.*

Beneficij incapax eſt, & ideò priuandus, qui per tres annos ſtetit in ſuſpenſione. *de ætat. & qualit. &c. præficiendor. c. Cum bonæ memoriæ.*

Beneficij incapax eſt vſurarius, vel aleator. *De exceſſ. Prælat. c. inter dilectos.*

Beneficij incapax eſt excommunicatus. *De Cler. excomm. celebr. c. Poſtulaſtis.* Etiam tempore abſolutionis. *ibidem, & c. Propoſuit.*

Beneficij incapaces ſunt filij hæreticorum, fautorum, &c. vſque ad ſecundam generationem, & ipſo facto priuati ſunt, ſi obtinent. *De hæreticis in 6. c. Quicumque §. hæretici autem.*

Beneficij incapaces ſunt, qui illa obtinent ad preces hæreticorum, & ipſo

facto priuati ſunt, ſi obtinent, & fiunt inhabiles ad alia. *ibid. §. Ad hac.*

Beneficio ſtatim ſpoliandus Clericus, qui ducit vxorem. *Concil. Later. 3. p. 70. c. 7. Pius V. Conſtit. 73. Sacroſanctum.* Perdit etiam Penſiones. *ibidem.*

Beneficij incapax eſt occultus indignus, & ſi ei detur nulla eſt collatio. *De exceſſibus Prælator. c. Inter dilectos.* Illud beneficium conferri poteſt alteri, ſed facta ceſſatione primi. Si confertur alteri non ceſſato primo priuatur Epiſcopus conferens poteſtate conferendi. *ibidem.*

Religioſus translatus, etiamſi ſit Canonicus Regularis, & incapax beneficij ſæcularis. *Concil. Trid. ſeſſ. 14. de refor. c. 11.*

Beneficij curati incapax eſt, qui neſcit loqui in idiomate illius nationis, in qua habere vult curam. *Urbanus 8. Conſt. 6. Sanctiſſimus c. 20.*

Beneficij eſt incapax, qui ambitioſis precibus per ſe, vel per alium procurat beneficium. *Concil. Mediol. 1. p. 2. tit. quæ pertinent ad benef. collat.*

Beneficij eſt incapax, qui obtinet illud non vacans. *ibid.*

Beneficia conferens indignis ſuſpenditur à poteſtate conferendi. *De Præbend. c. Graue nimis.* Similiter, & qui confert excommunicato. *De Cleric. excomm. celebr. c. Poſtulaſtis.* Similiter, & qui confert vſurario, & aleatori, &c. *De exceſſib. Prælator. c. Inter dilectos.*

SACRI CANONES.

[*Spectantes ad beneficia, quæ non poſſunt ab Epiſcopo conferri.*

BEneficia reſeruata Papæ vacantia Sede Romana vacante, à nullo poſſunt conferri, ſed à Papa futuro ſunt conferenda. *Vrbanus 8. Conſt. 6. Sanctiſſimus c. 68.*

Beneficia reſeruata Papæ à nullo poſſunt conferri, & nulla eſt collatio, ſi conferantur. *Extra de Præbendis, &c. c. Ad Romani Urbanus 8. Conſt. 6. c. 15.*

Beneficia ſemel reſeruata Papæ, ſemper ſunt reſeruata eidem. *ibidem.*

Beneficia vacantia per hæreſim ſunt Papæ reſeruata, & nulla eſt collatio ſi conferantur ab alio. *Gregor. 13. Conſtit. 66. in Eccleſijs. Pius V. Conſtit. 29. Cum ex Apoſtolatus.*

Beneficia omnium Cardinalium, Officialium Papæ, Miniſtrorum, Commenſalium, &c. ſunt Papæ reſeruata; *Iulius 3. Conſtit. 21. Sanctiſſimus. Extra de Præbend. c. ex debito, c. Præſenti: Extra de elect. c. Ex debito, Clem. 8. Conſtit. 54. Ob nonnullas.*

Beneficia omnia, quæ excedunt valorem ducentorum florenorum auri vacantia, Papæ ſunt reſeruata. *Vrbanus 8. Conſt 6. Sanctiſſimus c. 2.*

Beneficia Collectorum, & Subcollectorum Eccleſiæ, quæ habuerunt dum erant in officio, Papæ ſunt reſeruata, licet moriantur poſt officium. *Urbanus 8. ibid. c. 5.*

Beneficia omnia Officialium Papæ, & Sedis Apoſtolicæ Miniſtrorum, habita dum erant in officio, etiamſi moriantur poſtquam deſierunt eſſe officiales, reſeruata ſunt Papæ. *Urbanus 8. ibid. c. 1.*

Beneficia Cubiculariorum Papæ, etiam honoris, quæ habuerunt in officio, ſunt reſeruata Papæ. *ibidem c. 7.*

Beneficia Curſorum quoque ſunt reſeruata Papæ. *ibidem c. 6.*

Beneficia vacantia ex collatione irrita Epiſcoporum Papæ reſeruantur. *ibidem c. 1.*

Item omnia beneficia vacantia per Extrauag. Ioann. 22. *Execrabilis,* Papæ reſeruantur. *ibidem.*

Beneficia vacantia per promotiones ad

ad Ecleſias Papæ reſeruantur. *Urbanus 8. ibidem c. 26.*

Beneficia omnia vacantia in curia ſunt reſeruata Papæ. *Clem. 8. Conſt. 84. Cum ob nonnullas, De prabend. in 6. c. Licet, & c. ex debito. Extra de Prabend. c. Pia, & c. Ad regimen.*

Sed ſi vacant Sede Romana vacante, conferri poſſunt ab Epiſcopo, vel alijs ad quos ſpectat. *De Prabend. in 6. c. ſi Apoſtolica.* Dummodo non ſint de reſeruatis Papæ. *Urbanus 8. vbi ſupra c. 68.*

SACRI CANONES.

Prohibentes Epiſcopum poſſe dare, vel promittere beneficia vacatura.

Beneficia vacatura nec dari validè poſſunt, nec promitti. *De conceſſ. Prabend. c. Conſtituius, & c. Deteſtanda. Concil. Later. 3. c. 8. Concil. Colon. 2. p. 1. c. 5. Concil. Trid. ſeſſ. 24. de refor. c. 19.*

Epiſcopus debet conferre beneficium vacans, non obſtante appellatione illius, cui fuerat promiſſum. *De conceſſ. Prab. c. Relatum.*

Beneficij promiſſio facta ab Epiſcopo his verbis, *cum potero-dabo*, valet, ſed promiſſio de vacaturo non valet. *ibidem c. Accedens.*

Epiſcopus non poteſt promittere beneficium vacaturum ex periculo inſtantis mortis alicuius, nec minus illud dare, ſed prius eſt expectanda mors, alias obtinens eſt intruſus, & ipſo facto priuatus. *Concil. Londin. 2. c. 12.*

Epiſcopus promittens beneficium vacaturum, quamuis promiſſio ſit nulla, tenetur tamen, cum poterit prouidere promiſſarium. *De conceſſ. Prab. c. ex tenore, & c. Accedens*

SACRI CANONES

Spectantes ad vnionem beneficiorum ab Epiſcopis faciendam.

Epiſcopus non poteſt vnire beneficia ſine cauſa rationabili à Iure permiſſa. *Concil. Later. 5. ſeſſ. 9. de refor. Curia c. 1.*

Beneficiorum vniones perpetuę cum Papę licentia faciendæ ſunt. *Conc. Trid. ſeſſ. 6. de refor. c. 2. & 6. Vrban. 6. Sanctiſſimus c. 12.*

Beneficia vniri non poſſunt perpetuò alicui Monaſterio, Collegio, vel pio loco ex quacumque cauſa. *Concil. Trid. ſeſſ. 14. de refor. c. 9.*

Beneficia, ſiue curata, ſiue non curata, poſſunt, ab Epiſcopo, vt delegato Papæ, perpetuò vniri, ſi curati ſunt pauperes, vel propter alias cauſas à Iure permiſſas, etiamſi eſſent generaliter, vel ſpecialiter reſeruata, vel aliter affecta, abſque tamen prędiudicio obtinentium. *Concil. Trid. ſeſſ. 21. de refor. c. 5. ſeſſ. 24. de refor. c. 15.*

Vniones iſtę ſic factę non poſſunt reuocari, etiam prætextu reſignationis, &c. *ibid. ſeſſ. 21. c. 5.*

Epiſcopus vnire poteſt beneficia, quando vnum nō ſufficit ad ſuſtentandum Rectorem. *Concil. Sabinenſe c. 10.*

Epiſcopus numquam vnire poteſt beneficia Eccleſię cum iurepatronatus *Concil. Trid. ſeſſ. 25. de refor c. 8.* Et ſi à Sede Apoſtolica obtineatur facultas, cenſenda eſt ſubreptitia. *ibidem.*

Epiſcopus non poteſt vnire beneficia affecta, ſeu reſeruata Sedi Apoſtolicę, & ſi eidem detur facultas conferendi talia beneficia, non poſſet ea vnire. *Urbanus 8. Conſt. in append. 53. alias 163. Quamuis.*

Epiſcopus, ſi Canonicatus, aut Pręben-

dę tenues ſunt, poteſt aliqua beneficia eis vnire, vt poſſint Canonici ſuſtentari. Si ea non habeat, poteſt ſupprimere aliquas prębendas cum conſenſu patronorum, ſi ſint iurapatronatus, & fructus applicētur quotidianis diſtributionibus. Canonici autem, ſeu Prębendarij reducantur ad paruum numerum, qui tamen ſufficiat ſeruitio Eccleſię. *Conc. Trid. ſeſs.24. de reform. c.15.*

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum circa Canonicos, & Capitulum.

CAnonicus nullus eligi poteſt ſine Epiſcopi conſenſu. *Concil. Rauennat. 4. ſub Ioan. 22. c.5.*

Epiſcopus attendere debet, vt Canonici habeant Prębendas, ſeu reditus, ex quibus viuere poſſint. *Conc. Arelat. 3. c.9.*

Ab Epiſcopo pręſcribenda eſt Canonicorum forma viuendi. *Conc. Arelat. 4. c.6.*

Canonici duo aſſiſtentes Epiſcopo, exempti ſunt à reſidentia, & gaudent fructibus. *Concil. Sabin. c.21. De Cler. non reſid. c. Ad audientiam.*

Epiſcopo celebranti Pontificaliter, vel alia Pontificalia exercenti Canonici tenentur aſſiſtere. *Concil. Trid. ſeſſ.24. de reform. c.12.*

Canonici abſentes dum Epiſcopus celebrat, vel alia Pontificalia exercet, pœna Epiſcopi arbitrio puniendi. *Concil. Mediol. 1. p.2. tit. de prædicatione verbi Dei.*

Canonici tenentur deducere, & reducere Epiſcopum venientem ad Eccleſiam ad celebranda diuina, & inde redeuntem. *Concil. Mediol. 1. p. 2. tit. de Miſſa ſolemni.*

Canonici nihil poſſunt facere ſine Epiſcopi licentia. *De conſecr. diſt.7. c. In domibus.*

Capitulum ſine Epiſcopo non poteſt noua ſtatuta facere, vel conſuetudines mutare. *De conſuetud. c. Cum conſuetudinis.*

Capituli nomine intelligitur Cathedrale, quando mentio fit de Capitulo Eccleſiæ, non verò Diœceſanum. *De verbor. ſignif. c. Clerici.*

Capitulum Sede vacante non poteſt conferre beneficia, quæ ſpectant ad Epiſcopum. *De inſtit. in 6. c.1.*

Epiſcopus non poteſt alienare res Eccleſiæ Capitulo non conſentiente. *De his, quæ fiunt à Prælato, &c. c.1. & c. Cum Apoſtolica.*

Capitulo non reclamante Epiſcopus poteſt alienare. *ibidem c. continebatur.*

Epiſcopus poteſt viſitare, corrigere, & punire Capitula omnia, ſiue Cathedralia, ſiue alia, non obſtante exemptione, conſuetudine, &c. in contrarium. *Concil. Trid. ſeſſ.6. de reform. c.4.*

Capitulum ſequenti ritu ab Epiſcopo iudicandum eſt *ex Concil. Trid. ſeſſ. 25. c.6.*

Initio cuiuſlibet anni Capitulum eligere debet duos, de quorum conſilio, & aſſēſſ Epiſcopus, vel eius Vicarius tàm in formatione proceſſus, quàm in alijs actibus vti debet, vſque ad finem cauſę incluſiuè, & hoc cum notario Epiſcopi, in domo Epiſcopi, & illorum duorum vnum ſit notum, & alter poteſt Epiſcopo accedere. At ſi iſti duo ſint diſcordes ab Epiſcopo in aliqua definitiua ſententia, vel interlocutoria, tunc intra ſex dies eligant cum Epiſcopo tertium; & ſi diſcordant in electione tertij, electio deuoluitur ad Epiſcopum viciniorem, &c. alias cauſa, & proceſſus, quæ fiunt ab Epiſcopo contra Capitulum, omniaque acta nulla ſunt.

Si verò delictum ſit criminale, & timetur de fuga, poteſt ſolus Epiſcopus initio procedere ad detentionem delinquentis, & poſtea ſeruatur dicta forma procedendi, & delinquentes habita ratione perſonarum, & delicti, in loco decenti cuſtodiendi ſunt. *ibid. c.6.*

Capitulum tenetur honorare Epiſcopum in omni loco, & primum locum ei dare in Choro, Proceſſionibus, & alijs huiuſmodi. *ibid. c.6.*

Epiſcopus ſolus poteſt cōuocare Capitulum Canonicorum, quando vult eis aliquid proponere, & non tenetur expectare eorum commodum. *Conc. Trid. ſeſſ.25. de reform. c. 6.*

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum circa probationem Miraculorum.

EPiſcopi facturi proceſſum de Miraculis alicuius defuncti cum opinione Sanctitatis, nō procedant, niſi prius poſtulator probet fuiſſe ſeruatum decretum *Vrban. 8. editum die 2. Octobris* 1625. De imaginibus laureolis, & tabellis non apponēdis ante ſepulchrum talis defuncti. *Vrban. 8. Conſtit. 22. in appendic. 1. alias* 132.

Miraculum nouum non poteſt prædicari, aut teneri, niſi per Epiſcopum approbetur. *Concil. Senonen. in decr. Mor. c.40. Concil. Trid. ſeſſ. 25. decr. de inuocatione Sanctor.*

Epiſcopus permittat illa tantum poſſe prædicari Miracula, quæ ex Sacris Scripturis, vel à grauibus authoribus traduntur. *Conc. Colon. 2. p.6. c.23.*

Epiſcopus non permittat imprimi abſque licentia Sedis Apoſtolicæ Miracula, gratiæ, beneficia, &c. quæ præſumuntur accepta à Deo ad interceſſionem alicuius mortui cum opinione Sanctitatis; niſi fuerit canonizatus, vel beatificatus. *Vrban.8. Conſt. 37. Sanctiſſimus.*

Miracula, gratiæ, &c. talis mortui non canonizati, nec beatificari publicari non poſſunt ſine præfata licentia, ſub pœnis Clericis Sæcularibus priuationis officiorum, ſuſpenſionis à Diuinis, & adminiſtrationis Sacramentorum; Regularibus verò omnium officiorum, nec non actiuæ, & paſſiuæ vocis, &c. *ibid.*

Epiſcopi in hoc negotio procedere poſſunt. *ibid.*

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum quoad Indulgentias concedendas.

EPiſcopus poteſt concedere in certis ſolemnitatibus quadraginta dies Indulgentiarum. *De pœnitentijs, &c. c. Cum ex eo. Concil. Rauenn. 4. ſub Ioanne* 22. *c.* 20.

In die verò conſecrationis vnum annum concedere poteſt. *ibidem Rauen.* 4.

Epiſcopus in concedendis Indulgentijs ſuis ſubditis excedere poteſt formam, ac limitationem Sacrorum Canonum. *Concil. Conſtant. ſeſſ. vlt. in Conſtit. Martini* 5.

Indulgentiæ conceſſæ ab Epiſcopis habent veram efficaciam. *Concil. Conſtant. art.42. Vuicleff.*

Non poteſt Epiſcopus concedere maiorem indulgentiam, quàm dierum quadraginta (excepto die conſecrationis vt ſupra) *De pœnit. & remiſ. in 6. c.1. Concil. Later. 4. c 62.*

Epiſcopus concedere poteſt indulgentias ſuis ſubditis tantum. *De pœnit. & remiſ. c. Quod autem. Concil. Later. 2. in append. tit. de pœnit. c. 4. Conc. Conſtantien.*

tien. in Conſtitut. Martini 5.

Indulgentiæ, quæ prius per Quęſtores publicabantur, poſſunt, & debent per duos de Capitulo iuſſu Epiſcopi publicari. *Concil. Trident. ſeſſ.* 21. *de reform c. vlt.*

Epiſcopi moderatè debent indulgentias concedere. *Concil. Trid. ſeſſ.*25. *in decr. de indulgentijs*.

Epiſcopi tenentur referre ad Papam abuſum indulgentiarum. *ibidem*.

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum quoad diſpenſationes tàm proprias, quàm Papales.

POteſt Epiſcopus diſpenſare in dando canonicatus, &c. cum ijs, qui 20. annum expleuerunt, dummodo non ſint cum cura animarum. *De ætat. & qualitat. in* 6. *c. vnic.*

Poteſt diſpenſare cum illegitimo circa ordines Minores, & beneficia ſine cura animarum. *De filijs presbyterorum in* 6 *c.* 1.

Non tamen circa ordines ſacros, & beneficia curata. *ibid.*

Epiſcopus, vt delegatus Papę, poteſt cognoſcere, an diſpenſationes gratioſæ conceſſæ à Papa ſint ſubreptitię, vel obreptitię, & facere hoc extraiudicialiter, & ſummariè. *Concil. Trid. ſeſſ.* 22. *de reform. c.*5.

Poteſt eodem modo cognoſcere de commutationibus vltimarum voluntatum, an expoſita Papę ſint vera. *Concil. Trid.* 16. *c* 6.

Poteſt etiam diſpenſare circa interſtitia inter ordines tàm Minores, quàm Sacros. *ibid. c.*13.

Poteſt diſpenſare cum ordinato per ſaltum, ſi in ordine accepto non miniſtrauit. *Concil. Trid. ſeſſ.*23. *de refor. c.*14.

Poteſt diſpenſare in omnibus irregularitatibus, & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & alijs, quæ ſunt deductæ ad forum contentioſum. *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *de refor. c.*6. Sic etiam ab omnibus caſibus occultis Papę reſeruatis abſoluere per ſe, vel per Vicarium ad id deputandum *ibidem*.

Epiſcopi, &c. diſpenſare non poſſunt in defectibus ætatis, vel natalium, neque pro retentione beneficiorum incompoſſibilium, neque de creandis notarijs publicis, neque in diſpoſitione beneficiorum. *Vrbanus* 8. *Conſtit.*6. *Sanctiſſimus c.*14.

Diſpenſationes à Papa conceſſæ extra Romam, committendæ ſunt Ordinarijs eorum, qui eas impetrarunt. *Concil. Trid. ſeſſ.*22. *de refor. c.*5.

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum circa Caſuum reſeruationem.

EPiſcopi poſſunt reſeruare ſibi caſus quoſdam, ſeu peccata grauia, quę ab alijs inferioribus non poſſunt abſolui. *Cuncil. Rauennat.*2. *c.* 8. *Conc. Colon.* 2. *p.*3. *c.*37. *Concil. Trid. ſeſſ.* 14. *de refor. c.*7. *can.*11.

Caſus reſeruati Epiſcopo non poſſunt à ſimplici Sacerdote abſolui ſed iſte debet pœnitentes remittere ad Superiores Ordinarios, & legitimos Iudices. *Concil. Trid vbi ſupra*. Sed in articulo mortis, ceſſat omnis caſuum reſeruatio, & ab illis quilibet ſimplex Sacerdos poteſt abſoluere, *Concil. Trid. ibid. c.* 7.

Caſus, qui ab Epiſcopis ſolent reſeruari ſunt iſti. Homicidium voluntarium, Percuſſio Parentum. Incendiarij. Arborum vinearum inciſores, &c.

Inceſtus

Inceſtus in primo, vel ſecundo gradu cognationis. infantes exponentes, ſi habeant vnde viuant. Menſuras adulterantes. Notarij non denuntiantes legata ad pias cauſas, & alia ſimilia, que pro regionum diuerſitate videntur magis expedire. *Concil. Mediol. 1. p. 2. tit. qua pertinent ad Sacram. pœnit. minis.*

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum circa Immunitatem Eccleſia.

EPiſcopus conſentiens vt Laici exigant decimas, tributa, vel alia à Clericis incurrit excommunicationem, & depoſitionem ipſo facto. *Concil. Later. 5. ſeſſ. 9. Bulla de reform. Curia c. 3. circa finem.*

Epiſcopus cogi non poteſt ad danda beneficia, & alia Eccleſię bona in Emphyteuſim, neque per Reges, neque per Imperatores; & qui cogunt incurrunt pœnas latas contra violatores Eccleſiaſticę libertatis, & collatio nulla eſt, & nullus contractus. *Concil. Later. 5. ſeſſ. 10. c. 2.*

Eccleſiaſtica immunitas pro locis, & perſonis Dei ordinatione eſt inſtituta, & Canonicis Sanctionibus. *Concil. Trid. ſeſſ. 25. de refor. c. 20.*

Epiſcopus non poteſt grauare Eccleſias circa exactiones. *Concil. Later. 3. in app. tit. de Simonia c. 8.*

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopi Vicarium.

VIcarius Epiſcopi non poteſt eſſe Laicus. *Concil. Hiſpal. 2. c. 8.*

Epiſcopus debet deputare in ſua Diœceſi Vicarios Foraneos. *Concil. Mediol. 1. p. 2. tit. de Vicarijs Foraneis.*

Vicarij Foranei debent eſſe ex dignioribus, & probatiſſimis. *ibidem, vbi plura de hac materia.*

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopi domeſticos, & Cubicularios.

EPiſcopi domeſtici ſint perſonę probatæ vitæ. *Concil. Pariſ. 6. l. 1. c. 20.*

Epiſcoporum Cubicularij debent eſſe Clerici 2. *q. 7. c. cum Paſtoris.*

Epiſcoporum Clerici commenſales ſatisfaciunt, ſi recitant officium, quod recitant Epiſcopi, eos adiuuando. *Clement. de celebr. Miſſa c. fin.*

Epiſcopo ſeruientes, domeſtici, & cubicularij non reſidentes percipiunt fructus beneficij, ſed non diſtributiones. *De Cleric. non reſid. c. de catero.*

Epiſcopus curare debet, vt domeſtici ſui vtantur veſtibus decentibus, corona, & habitu Clericali. *Concil. Londin. 2. cap. 15.*

Epiſcopi domeſtici, & famuli in conuenienti numero ſint, qui Epiſcopi, & Eccleſiæ neceſſitati inſeruiant. Inter eos plures habeat Clericos, inter quos duos in Sacris, qui eum adiuuent in orationibus, & alijs &c. Vnum, qui præſit familiæ, eamque erudiat. *Concil. Mediol. 1. p. 2. tit. de Epiſcopi familia.*

Epiſcopi familiares, & famuli non ferant arma, niſi in itinere, & neceſſitate ex Epiſcopi arbitrio, modeſtis veſtibus vtantur, non ſericis. Veſtes ſint nigri coloris. Caligæ non ſint ſectæ, virgatæ, &c. ſed ſimplices *ibid.*

Epiſcoporum Clerici proprij, ſunt illi, qui ſunt eius domeſtici, ſeu commenſales, licet pro eius negotio ſint abſentes. *De verborum ſignif. in 6. c. fin.*

Epiſcoporum domeſtici, & commen-

menſales, ſunt illi, qui eorum expenſis aluntur, non verò illi, qui fraude, vel fictione ab eis quæruntur *ibidem*.

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopos Regulares.

REgularis eligi poteſt in Epiſcopum ab habentibus Ius eligendi, ſed neceſſaria eſt licentia ſuperioris Religionis, ante, vel poſt (excepta aſſumptione per Papam facta, &c) *De elect. in 6. c. ſi Religioſus, Clemens. de elect. c.* 1.

Regularis factus Epiſcopus, eſt liber à iugo regulæ 18. *q.*1. *c. Statutum eſt, & Clement. de elect. c.*1.

Regularis promouendus habere debet teſtimonium ſui ſuperioris de vita, ac moribus, & doctrina. *Conc. Later.* 5. *ſeſſ* 9 *Bulla de r for. curia cap.*1. *Concil. Trid. ſeſſ.*22. *de refor. c.*2. *Gregor.*14. *Conſt.* 6. *onus* § 9.

Epiſcopus Regularis non debet vti Rochetto, ſed habitu ſui ordinis. *Conc. Later.*4. *c.* 16. *de vit. & honeſt. Cleric. c. Clerici officia.*

Epiſcopi Regulares redeuntes ad clauſtra non poſſunt obtinere officia in Religione, & annullantur Priuilegia in contrarium. *Paulus* 4. *Conſt.* 21. *in Sacra.*

Religionem nouens non poteſt fieri Epiſcopus, niſi voto expleto. Si autem eligatur debet renunciare, & votum prius implere. *De voto, &c. c. per tuas.*

SACRI CANONES

Spectantes ad Epiſcopum circa Moniales.

EPiſcopus non permittat puellam aliquam fieri Monialem, niſi annum 12. compleuerit, nec ante poteſt illi habitum tradere. *Conc. Trid. ſeſſ.*25. *de refor. reg. c.* 17. Nec poteſt permittere, vt emittat profeſſionem niſi expleuerit annum 16. & niſi annum probationis compleuerit *ibid.* Ante profeſſionem Epiſcopus, vel Vicarius, vel eius loco alius, exploret voluntatem puellæ, an liberè profiteatur, *ibidem.* Per menſem ante profeſſionem præfecta debet ſignificare Epiſcopo tempus profeſſionis eius, alias officio priuetur arbitrio Epiſcopi, *ibidem c.*17.

Conſecratio Virginum facienda eſt ab Epiſcopo tantum. *Concil. Hiſpal.* 2. *cap.*7. *Concil. Pariſ.* 6. *l.* 1. *cap* 41. *&* 43. *Concil. Rom. ſub Silueſtro c.* 10. *Diſt.* 25. *c. perlectis, Conc. Carthag.* 2. *c.*3.

Conſecratio Virginum facta pro pretio eſt irrita. *Conc. Rom.* 5. *ſub Greg.* 7. *c.*5. *Conc. Later.* 4. *c.*63.

Si duodecim Moniales manere non poſſunt in aliquo Monaſterio, debet hoc vniri per Epiſcopum cum alio Monaſterio, ſiuè eiuſdem, ſiuè alterius ordinis. Si verò hoc fieri non expediat, permittatur, vt ſic maneant, donec omnes intereant. Redditus verò illius alteri applicentur. *Concil. Mediol.* 1. *part.* 3. *tit. de Monialium numero.*

Numerus Monialium ab Epiſcopo eſt taxandus. *De inſtitutionibus c.* 1.

Iuxta quantitatem redditiuum numerus Monialium debet eſſe, non maior, *ibidem, & de ſtatu Regularium in* 6. *c.*1. §. *ſanè. Concil. Mediol.* 1. *p.* 3. *tit. de Monialium numero, Pius* 5. *Conſtit.* 8. *circa paſtoralis.*

Moniales pauperes Monaſterij non poſſunt augeri. *Gregor.*13. *conſtit.*8. *Deo ſacris.*

Epiſcopus non permittat Moniales in Choro, vel in Monaſterio conſeruare Sanctiſſimam Euchariſtiam; non obſtantibus priuilegijs, &c. *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *de refor. reg. c.* 10.

Nemo ſiuè Clericus, ſiuè Monachus ſiuè

ſiuè Sæcularis, poteſt loqui cum Monialibus, ſine licentia Epiſcopi. *Concil. Pariſ.6. l.1.c.46. Concil. Matiſcon. 1. c.2. Concil. Nicæn. 2. c.20.*

Nemo introduci poteſt in Monaſterium Monialium, nec etiam mulier ſine Epiſcopi licentia. *Concil. Foroiulienſ. c.12. Concil. Turonen. 3. c.29 Concil. Mogunt. 4. c.79.* Sub pœna excommunicationis ipſo facto. *Concil. Trid. ſeſſ. 25. de refor. regul. c. 5. de ſtatu Regularium in 6. c.1.* Papæ reſeruatæ. *Pius V. conſt. 8. circa.*

Epiſcopi ex qua cauſa, & quomodo, & cum quibus poſſunt intrare in Monaſterium. *Greg. 13. conſtit. 28. vbi gratiæ.*

Epiſcopus reducat intra mænia Ciuitatum Monaſteria, quæ ſunt extra mænia, & in hoc vtatur brachio Sæculari, ſi opus ſit. Inobedientes, & impedientes cenſuris compellantur. *Concil. Trid. ſeſſ.25. de refor. regul. c. 5.*

Monaſteria Monialinm debent eſſe diſtantia à Monaſterijs virorum. *Concil. Agathen. c. 28. 18. q. 2. c. Monaſteria il 2. c. diffinimus.*

Epiſcopus vt Delegatus Papæ curare poteſt, & præcipere vt clauſuræ Monaſteriorum, etiam exemptorum, cuſtodiantur, & compellere, vt ita fiat. *De ſtatu Regul. in 6. c.1. §. fin. Clement. de ſtatu Monachorum c. fin. Conc. Trid. ſeſs.25. de refor. regul. c.5.*

Epiſcopus quoad alia non habet iuriſdictionem in Monaſteria exempta Monialium. *ibid. §. fin. de ſtatu regul. in 6.*

Epiſcopus poteſt compellere adminiſtratores bonorum Monialium, ſiuè Sæculares, ſiue Regulares, vt rationes reddant, vocatis Superioribus Regularibus, ſi Regulares ſint. *Gregor.15. Conſtit. 18. Inſcrutabili, §. 5.*

Epiſcopus, ſiue per ſe, ſiue per alium poteſt eſſe præſens electioni Præfectarum, etiamſi ſubditę ſint Regularibus, cum ſuperiori Regulari, & ſine expenſis. *Gregor. 15. ibid.*

Monaſteria Sedi Apoſtolicę ſubiecta ſemel in anno poſſunt ab Epiſcopo viſitari. *Concil. Later. 5. ſeſſ.10. Conſtit.2. Clement. de ſtatu Monach. c fin. Conc. Trid. ſeſſ.25. de refor. regul. c.9.* Idem de alijs cuicumque Capitulo, etiam Sancti Petri, &c. ſubiectis. *ibid.*

Monialis percutiens aliam, vel Clericum ab Epiſcopo abſolui poteſt. *De ſen. excomm. c. De Monialibus.*

Moniales, quę dicuntur Canoniſſę Sęculares ab Epiſcopo ſunt viſitandę omni anno, ſi ſunt exemptę, vt à Delegato Papę, ſi non exemptę authoritate ordinaria. *Clemen. De ſtatu Monnachor. c. fin.*

Epiſcopus approbare debet Confeſſarios, etiam Regulares Monialium, etiamſi Subditę ſint Regularibus. *Gregor.15. Conſtit. 16. Inſcrutabilis §. 5.*

Epiſcopus caueat, ne in Pręfectas Monialium eligantur iuuenculę. *Conc. Pariſien.6. l.1. c.39.*

Epiſcopus non permittat eligi Pręfectam, ſeu Abbatiſſam, niſi annorum 40. ſaltem, & octo annis poſt profeſſionem vixerit laudabiliter. Si verò hoc ſit incommodum fit ſaltem ſupra 30. & 5. annos habet profeſſionis, conſentiente Epiſcopo, vel alio earum Superiore. *Concil. Trid. ſeſſ.25. de refor. regul. c.7. Concil. Mediol. 1. p.3. tit. de Præfectis Monialium.*

Si vna Soror ſit Pręfecta, alię non poſſunt habere officia Vicarię, Scribę, Cancellarię, &c. *Concil. Mediol. 1. vbi ſupra.*

Monialium Pręfectę, Abbatiſſę, & alię ſuperiores in Italia non poſſunt durare vltra tres annos, & poſtea vacant officio. *Conc. Mediol. 1. vbi ſupra. Gregor.13. Conſtit. 80. Expoſuit.*

Abbatiſſa, vel alia Præfecta ſubdita regularibus, cum eligitur, non eget confirmatione Epiſcopi. *Gregor.* 15. *Conſtit.* 18. *Inſcrutabili.*

Electio Præfectarum, Abbatiſſarum, &c. Monialium fieri debet per duas partes votorum, & ſic electa confirmatur, non obſtante appellatione, niſi aliud obſtet. *De elect. in* 6. *c. Indemnitatibus*, §. *Sanè*, *vbi plura*.

Electa in Abbatiſſam, &c. intra annum à die confirmationis debet benedici, aliàs cadit à Iure ſuo. *Clement. de ſtatu Monacharum c. fin.*

Si Moniales electionem præfectæ, ſeu Abbatiſſæ, &c. conferant in Epiſcopum, per compromiſſum, Epiſcopus poteſt eligere, & illa eſt Abbatiſſa, &c. *De Electione c. Cauſam*.

Epiſcopus, vel alius ſuperior, cui ſubdita ſunt Monaſteria, qui electioni Præfectæ, Abbatiſſæ, &c. præeſt non debet ingredi in Monaſterium, ſed extra per cancellorum feneſtellam excipiat vota, & audiat Moniales. *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *de refor. regul. c.* 6.

Epiſcopus, ſiuè per ſe, ſiuè per alium poteſt eſſe præſens cum ſuperiore Regulari, dum fiunt electiones Abbatiſſarum, &c. Monialium, quæ ſunt ſubiectæ Regularibus, ſed ſine impenſis. *Gregor.* 15. *Conſtit.* 18. *Inſcrutabili*, §. 5.

Epiſcopus bis, vel ter in anno concedat Monialibus Confeſſarium extraordinarium, qui debeat omnium confeſſiones audire. *Concil. Colon.* 2. *p.* 10. *c.* 8. *Conc. Colon.* 3. *tit. Cenſura c.* 37. *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de refor. regul. c.* 10.

Epiſcopus caueat, ne per Ædes vicinorum introſpici poſſint Moniales, & ad hoc exequendum, ſi fuerit opus imploret auxilium Principum Sæcularium. *Conc. Mediol.* 1. *p.* 3. *tit. de clauſura*, *&c. Monialium*.

Epiſcopus approbare debet cauſam, ex qua egredi poſſit Monialis *ibid.*

Licentiæ conceſſæ ab Epiſcopis ingrediendi Monaſteria Monialium debent quolibet anno renouari *ibid.*

Epiſcopus non permittat Moniales vti, niſi organo, & harpicordio. *Conc. Mediol.* 1. *ibid. vbi plura ſub diuerſis titulis de regimine Monialium*.

SACRI CANONES.

Spectantes ad Epiſcopos circa equites exemptos.

Epiſcopi, vt delegati Papæ poſſunt viſitare Eccleſias equitum Sancti Ioannis Ieroſolimitani in ijs tantum, quæ pertinent ad curam animarum, & ſpiritualia. *Pius V. Conſt.* 13. *expoſuit*.

Poſſunt remouere Rectores, vel Cappellanos earum, ſi non ſunt idonei, & monere ſuperiores, vt alios ſubrogent, & ſi intra certum terminum, ipſi ſuperiores non ſubrogant, Epiſcopi prouident, *ibid.* §. 3.

SACRI CANONES.

Spectantes ad Epiſcopos circa viſitationem liminum Apoſtolorum Romæ.

Epiſcopi Itali, & habitantes in Inſulis adiacentibus tertio quoque anno tenentur viſitare limina Apoſtolorum, alij longiori ſpatio. *Sixtus V. Conſtit.* 15. *Romanus* §. 6.

Epiſcopus nouiter creatus iurat ſe viſitaturum limina Apoſtolorum debitis temporibus. *De Iure Iur. c. Ego*, *N. Sixtus V. ibid.*

Et hoc iuramentum facere debet ante conſecrationem, *ibid.*

Epiſcopi impediti, ſi per ſe non poſſunt viſitare limina tenentur id facere

per

per alium in dignitate conſtitutum; vel ſi hunc non habent, per Sacerdotem Diœceſanum id faciant; & ſi nec hunc habent per alium Clericum; & docere debent de impedimento, & quomodo id eſt faciendum. *Sixtus V. ibid.* §. 4.

SACRI CANONES.

Spectantes ad Epiſcopum morientem, eiuſque funus.

EPiſcopus moriens non relinquat domum vacuam. *Concil. Valent.* 1. *c.* 2.

Epiſcopi mors per totam Diœceſim ſignificari debet. *Conc. Nicæn.* 1. *ex Arabico*, *c.* 65.

Epiſcopus vicinior facere debet exequias defuncti. *conc. Valent.* 1. *cap.* 2. *Aurelian.* 2. *c.* 5. *&* 6 Intra octauas defuncti faciendæ exequiæ, *ibidem*.

Epiſcopus moriens Pontificalibus induatur, & ſic ſepeliatur. *Conc. Rauennat.* 2 *ſub Clem.* 5. *c.* 2.

Miſſa ſolemnis pro eo cantanda in omni Eccleſia Cathedrali, & Conuentuali. Omnes Coepiſcopi Prouinciæ pro eo faciant celebrare 30. Miſſas, quilibet, per 30. dies, & pauperes alant in quolibet ex ijs diebus. *Conc. Rauenn. ibid.*

Quolibet anno celebretur anniuerſarium omnium Epiſcoporum defunctorum. *Conc. Rauennat.* 2. *ſub Clem.* 5. *c.* 3.

Epiſcopo moriente ſucceſſori conſeruentur res. 12. *q.* 2. *c. Illud quod*.

Epiſcopo moriente inteſtato Eccleſia ſuccedit in integrum. 12. *q.* 5. *c. Si cuti*, *& c. vlt.*

Epiſcopo mortuo cum debitis, ſucceſſor debet ſoluere de redditibus Eccleſiæ. *Conc. Later.* 3. *in append. tit. de alien. c.* 9.

Epiſcopi defuncti bona per inuentarium notentur. *Conc. Valent.* 1. *c.* 2. *Aurelian.* 2. *c.* 5. *&* 6. *Conc. Tarracon. c.* 12. *Tolet.* 9. *c.* 9.

Clerici diripientes eius bona officio priuentur. *Conc. Aquiſgran. ſub Ludouico pio*, *c.* 88. 12. *q.* 2. *c. Non liceat Clericis*. *Conc. Vormat.* 17. *c.* 75. excommunicantur. *Conc. Claramont. c.* 31. *Leo* 9. *Conſt.* 1. *Quia authore Deo*.

Epiſcopi defuncti bona tangere non poſſunt hæredes, & conſanguinei ſine licentia Metropolitani, vel expectent ſucceſſorem, qui eis conſignet, quæ ſunt ſua. *Conc. Valent.* 1. *c.* 3. *Conc. Tolet.* 9. *c.* 7. *&* 9. Aliàs puniantur, vt inuaſores, *ibid. Tolet. Conc. Illerdenſe c.* 16; *Valent.* 1. *c.* 2.

Epiſcopo mortuo, nullus alius conſecrare poteſt Altaria in ea Ciuitate, ſub pœna ſuſpenſionis à Miſſa per annum. *Conc. Aurelian.* 5. *c.* 8.

Epiſcopo mortuo Eccleſia non vacet Paſtore vltra tres menſes. *Conc. Calcedon. c.* 24. *Conc. Vernen. c.* 17.

Epiſcopo mortuo nullus dicat malum de illo, & pœna. *Conc. Emerit. c.* 17.

Anniuerſarium pro Epiſcopo defuncto celebrari curet omnis Epiſcopus ſedens, omni anno toto tempore vitæ ſuæ, & hoc ſumptibus ſuæ menſæ. *Concil. Mediol.* 1. *par.* 2. *tit. de funere*, *&c.*

Cadauer Epiſcopi mortui ferri non poteſt ad ſepulturam ante ortum ſolis, vel poſt occaſum. *Concil. Mediol.* 1. *ibidem*, *vbi plura*.

SACRI CANONES.

Spectantes ad Sedem Epiſcopalem vacantem.

EPiſcopali Sede vacante nihil eſt innouandum. *Ne Sede vacante, c. 1.*

Iudicia facta contra Eccleſiam ea vacante ſunt nulla. *ibidem c. fin.*

Sede vacante Capitulum poteſt abſoluere ab excommunicatione, à qua Epiſcopus. *De maiorit. & obed. in 6. cap. vn.*

Epiſcopali Sede vacante omnia beneficia, quæ vacant in ea Diœceſi à Papa conferuntur. *Pius V. Conſt. 55. Sanctiſſimus.*

Sede Epiſcopali vacante ſi mandatur, vt conferatur Præbenda, & interim Epiſcopus creatur, ſi mandatum non fuerat executum, conferatur ab Epiſcopo. *De reſcriptis cap. Eam te.*

FINIS.

Errata Sic Corriges.

Pag.	Col.	Lin.	Errata	Sic Corriges
6.	1.	7.	drigit	Diligit
10.	1.	12.	Confererne	Conferrent
20.	1.	23.	& ab abſque	& abſque
25.	2.	28.	ſacilitas	facilitas
30.	1.	5.	nænus	neuus
30.	2.	31.	abi m-mundo	ab immundo
39.	2.	34.	paratas	parata
40.	1.	36.	ſuut	ſunt
44.	2.	14.	Virtutij	Virtute
45.	2.	3.	garrientis	garrientis
46.	2.	36.	alia ah	alia ab
51.	1.	2.	In labij	in labijs
58.	2.	26.	ſædentur	ſedentur
87.	2.	31.	Abroon	Abiron
93.	1.	21.	Delegati	Delegatis
101.	2.	7.	debea	debeat
115.	1.	in tit.	Ad Epiſcopis	Ab Epiſcopis
115.	1.	30.	aliraum	aliarum
120.	1.	36.	ſufflcere	ſufficere
122.	1.	13.	Celabrari	Celebrari
132.	2.	18.	bæc	hæc
155.	1.	in tit.	Fundatorem	Fundatorum
162.	2.	25.	Non	Notâ
176.	2.	2.	Epiſcopalis	Epiſcopali
188.	1.	19.	ſubeunte	ſubeuntem
190.	1.	38.	afferant	afferunt
192.	2.	29.	prouideat	prouideant
201.	1.	37.	auuratè	accuratè
210.	1.	2.	Calabrauæ	Calatranæ
212.	1.	31.	expreſſam	Expreſſum
217.	1.	28.	Araculo	Oraculo



Digitized by Google